Vol. 1 – *I Sentences //* Vol. 2 – *II Sentences //* Vol. 3 – *III Sentences //* Vol. 4 – *IV Sentences*

Vol. 5 – Theological Works
- *Quaestiones disputatae de scientia Christi, de mysterio Ss. Trinitatis, de perfectione evangelica* (1)
- *Breviloquium* (199)
- *Itinerarium mentis in Deum* (293)
- *Opusculum de reduction artium ad theologiam* (317)
- *Collationes in Hexaëmeron* (327)
- *Collationes de decem preceptis* (505)
- *Sermones selecti de rebus theologicis* (532)

Vol. 6 – Scripture Commentaries
- *Commentarius in librum Ecclesiasticae* (1)
- *Commentarius in librum Sapientiae* (105)
- *Commentarius in Evangelium Ioannis* (237)
- *Collationes in Evangelium Iannnis* (533)
-

Vol. 7 – *Commentarius in Evangelium S. Lucae*

Vol. 8 – Various Works of Mystical Theology & Works Addressed to the Franciscan Order
- **----Classis I: Opuscula Mystica**
- *De Triplici Via, alias Incendium amoris* (3)
- *Soliloquium de quator mentalibus exercitiis* (28)
- *Lignum vitae* (68)
- *De Quinque Festivitatibus pueri Iesu* (88)
- *Tractatus de praeparatione ad Missam* (99)
- *De Perfectione vitae ad Sorores* (107)
- *De Regimine animae* (128)
- *De Sex Alis Seraphim* (131)
- *Officium de passione Domini* (152)
- *Vitis mystica sive Tractatus de passione Domini* (159)
- **---Classis II: Opuscula ad Ordinem Spectantia**
- *Apologia pauperum* (233)
- *Epistola de tribus quaestionibus* (331)
- *Determinationes quaestionum circa Regulam FF. Min Pars I* (337) & *Pars II* (356)
- *Quare Fratres Minores praedicent et confessions audient* (375)
- *Epistola de sandaliis Apostolorum* (386)
- *Expositio super Regulam Fratrum Minorum* (391)
- *Sermo super Regulan Fratrum Minorum* (438)
- *Constitutiones Generals Narbonenses* (449)
- *Epistolae officiales* (468)
- *Regula novitiorum* (475)
- *Epistola continens XXV Memorialia* (491)
- *Epistola de imitation Christi* (499)
- *Legenda S. Francisci* (504)
- *Legenda minor S. Francisci* (565)
- **---Appendix Plurium Opusculorum Quae Sunt Dubia**
- *Speculum disciplinae Pars I* (583) & *Pars II* (615)
- *Speculum conscientiae* (623)
- *Summa de gradibus virtutum* (646)
- *Collatio de contempt saeculi* (655)
- *Compendium de virtute humilitatis* (658)
- *Epistola ad quendam novitium* (663)
- *Rhythmica* (667)

Vol 9. – Sermons
- *Sermones de Tempore* (23)
- *Sermones de Sanctis* (463)
- *Sermones de B. Virgine Maria* (633)
- *Sermones de Diversis* (723)

PROLEGOMENA

AD PRIMUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Insignem et inter theologos celeberrimum Commentarium in libros Sententiarum primo nostrae editionis loco posuimus, in quo exemplum editionis Venetae et Parisiensis secuti sumus. Ratio, quae potissimum ad hoc nos movit, haec est, quod S. Doctor suam in rebus theologicis et etiam philosophicis sententiam in hoc Commentario ita copiose et profunde explicavit, ut ea, quae in aliis libris ad varias sacrae doctrinae disciplinas spectantibus scripsit ad intellectum illuminandum et affectum inflammandum, ad hunc Commentarium tanquam ad suum fontem praecipuum et firmum fundamentum maxima ex parte reduci possint. Huius igitur Commentarii textu suae integritati restituto et opportunis notis illustrato, non parum opis etiam aliis operibus edendis tulisse nobis videmur. Quapropter singulari quodam studio ad hoc incumbendum esse putabamus, ut, adhibitis quam plurimis et optimis manuscriptis aliisque adminiculis, nostra huius magni operis editio fieret quam maxime correcta. Interim quae de hoc Commentario et nostra eiusdem editione nobis observanda videntur ad tria revocavimus capitula, tractando *primo* de quatuor huius Commentarii libris in genere; *secundo* de primo libro in specie, et de iis quae nos in eo edendo praestavimus; *tertio* de libro Sententiarum Petri Lombardi a nobis edito. His adiicientur nonnullae tabulae in commodum lectoris.

CAP. I.

De quatuor huius Commentarii libris in genere.

§ 1. *Authenticos esse huius Commentarii quatuor libros, extra omnem controversiam est.* Primus liber incipit: *Profunda fluviorum scrutatus est;* secundus: *Solummodo hoc inveni, quod Deus fecit hominem rectum;* tertius: *Deus, qui dives est in misericordia;* quartus: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis.* Profecto tot scriptores, etiam coaevi et suppares, tot editiones, tot codices manuscripti S. Bonaventuram huius libri auctorem esse proclamant, ut recte asserere possit P. Benedictus Bonelli (Prodrom. VIII. p. I. c. 1. § 3. col. 516.), quod « nemo vel ex morosioribus criticis, mihi quidem compertis, inventus est hactenus, qui huiusmodi Commentaria fuerit ausus in dubium revocare. Utquid ergo in re meridiana luce clariore atque extra omnis dubitationis aleam posita tempus terere »? Sufficiat igitur breviter commemorare, quod praeter testes ex Ordine Minorum, de quibus infra, Henricus Gandaviensis (de Scriptoribus ecclesiast. c. 47, ed. Alb. Fabricii), qui mortuus est anno 1293, de S. Bonaventura haec profert: « Scripsit in quatuor libros Petri ». Idem affirmat Ptolemaeus Lucensis, discipulus et familiaris S. Thomae (Eccles. histor. novae, XXIII. c. 2. apud Muratori, Scriptores rerum Italicarum, tom. XI. col. 1165).

Ipse huius Commentarii auctor, ut observatur in Prodromo (loc. cit.), satis se insinuat « nedum Franciscanum, nedum Alexandri Halensis discipulum, sed et Bonaventuram Parisiis scribentem. *Franciscanum* quidem, dum ait II. Sent. d. 44. a. 3. q. 2. circa finem: In regula B. Francisci simpliciter praecipitur, quod illius regulae professores nihil omnino habeant proprium super terram etc. *Alexandri Halensis discipulum,* dum in eodem II. libro d. 23. a. 2. q. 3. circa finem diserte nominat fratrem Alexandrum de Hales *patrem et magistrum nostrum*, et alibi in Comment. eundem appellat *bonae memoriae.* Tum etiam *Bonaventuram,* dum IV. Sent. d. 8. p. II. a. 2. q. 2. ad 3. inquit: Si unam haberent institutionem, unum esset nomen, sicut hoc nomen Bonaventura etc. *Parisiis quoque scribentem;* nam IV. Sent. d. 20. p. I. a. 1. q. 6, quaerens purgatorii locum determinatum, inter cetera sic habet: Si dixerimus, quod ubi peccaverunt, illud omnino vel incredibile vel improbabile est, quod omnes animae, quae Parisiis peccaverunt, Parisiis puniantur ».

§ 2. *De tempore et occasione scribendi hunc Commentarium audiendi sunt synchroni Ordinis scriptores.* Eorum testimonia a P. Bonelli in Prodromo (l. c. 3.) et a P. Sbaralea (Supplem. pag. 168) hoc modo conciliantur, ut S. Bonaventura iam anno 1245 post Alexandri mortem inceperit legere super Sententias, sed tantum coram sui Ordinis fratribus et inter domestica septa. Deinde vero cum licentia Ministri Generalis ab anno 1248 publice docuit, ut *licentiatus* in proprio sensu. « Prae ceteris, inquit P. Bonelli, audiendus est Fr. Salimbenus de Adam, Parmensis, Bonaventurae aequalis [1], referens in suis mss. Chroni-

[1] In eodem anno uterque habitum Seraphicum sumsit. Chronica ipsius anno 1857 impressa est Parmae. — Locus hic citatus in editis occurrit pag. 129.

cis de Ioanne Parmensi, Generali Ministro: Iste Fr. Ioannes de Parma dedit licentiam Fr. Bonaventurae de Balneo Regis, ut Parisius legeret, quod nunquam alicubi fecerat, quia bacellarius erat nec adhuc cathedraticus; et tunc fecit Lecturam super totum Evangelium Lucae, quae pulcra et optima est, et super Sententias quatuor libros fecit, qui usque in hodiernum diem utiles et solemnes habentur. Currebat tunc annus 1248, nunc autem agitur annus Domini 1284. Consentit Iordanus in Chronico mss. bibliothec. Vaticanae fol. 259, ubi de S. Doctore habet: Anno VII. ad bazalariatum Paris. et an. X. post ingressum religionis ad magisterium est promotus ».

« Secundum haec illud quod inquit Chronicon XV Ministrorum Generalium, scriptum anno 1305: « In septimo anno post ingressum Ordinis Sententias legit Parisius, et in decimo recepit cathedram magistralem », ita intelligendum videtur, ut anno septimo, scil. 1245, factus fuerit baccalaureus idoneusque iudicatus ad theologicas disciplinas tradendas Parisiis; non vero, quod tunc inibi e publico subsellio lecturam acceperit, utpote quam, synchrono teste Salimbeno, incepit non nisi anno 1248, in quem incidit annus decimus, ex quo noster Bonaventura vitam Minoriticam duxit. Eodem modo fas esse videtur interpretari Chronicon XXIV Generalium Ministrorum, Bartholomaeum Pisanum, S. Antoninum, Alexandrum Ariostum et antiquum catalogum Generalium Ministrorum apud Speculum vitae B. Francisci etc ». Hucusque Prodromus, qui deinde corrigit falsam chronologiam editorum Venetorum (Diatriba pag. 10) putantium, sub anno septimo, quo S. Bonaventura inter Minorum septa auditoribus nostris legerit, intelligendum esse annum 1250, et sub decimo, quo cathedram accepit, annum 1253. Denique idem P. Bonelli concludit: « Non tamen negaverim, anno septimo privatim legere potuisse auditoribus nostris inter Minorum septa, dummodo annus septimus statuatur non anno 1250, sed anno 1245 ». Confirmatur haec interpretatio testimonio B. Francisci a Fabriano [1], qui de nostro S. Doctore asserit: « licentiatus sub magistro Alexandro, primo magistro Ordinis, quem, cum esset in saeculo, tota Parisiensis Universitas sequebatur, sub quo septem fratres nostri fuerunt licentiati et magistri effecti in sacra theologia. Hic iam dictus Fr. Bonaventura vir eloquentissimus fuit, mirabilis in intellectu sacrae Paginae et totius sacrae theologiae, pulcherrimus sermocinator ad clerum et praedicator ad populum, in cuius praesentia ubique terrarum omnis lingua silebat ». — Etiam Bernardus a Bessa, ut supra in Praefatione generali [2] relatum est, similiter dicit: « Hinc factum est, ut in septimo anno post ingressum ad Ordinem Sententias legeret Parisiis et in decimo reciperet cathedram ».

Ex his testimoniis patet, S. Bonaventuram in aetate iuvenili incepisse in scholis domesticis interpretationem Sententiarum, ac simul confirmatur quod dicit Salimbene, ipsum scripsisse suum Commentarium anno 1248. Quod tamen, ut bene observatur in Prodromo (col. 516), « cum grano salis accipiendum est, dando antea et postea debitum tempus ad opus adeo grande incipiendum, prosequendum perficiendumque; non quod intra unius anni 1248 angustias illud conceperit peperitque ». Nam si iam anno 1245 suis fratribus Sententias explicavit, absque dubio etiam scriptis mandavit lectiones suas, quas deinde pro more aliorum sui aevi auctorum accuratius elucubravit et publici iuris fecit. Satis autem certum esse videtur, hoc opus usque ad finem anni 1256 iam fuisse ad finem perductum, cum Sanctus 2 Febr. 1257 [3] electus sit in Ministrum Generalem. Manifestum est, hoc gravissimo officio S. Bonaventuram a scholarum disputationibus impeditum fuisse.

Quodsi haec ita se habent, tunc concludere possumus, inter omnes commentarios fere innumerabiles Lombardum explanantes, saltem qui *typis* publicati sunt, hoc opus S. Bonaventurae ordine temporis vel primum vel secundum locum occupare. Dixi: *vel secundum locum*, ne derogem iuri B. Alberti M., qui cum aetate maior sit (natus dicitur 1193, mortuus est 1280) fortasse etiam prius vel eodem cum S. Bonaventura tempore suum Commentarium scripsit. De hoc nihil affirmare nec negare audemus, quia circa chronologiam vitae huius eminentissimi viri hucusque multa sunt incerta [4]. — S. Thomas, si praestamus fidem P. Bernardo Mariae De Rubeis (Dissert. criticae, diss. 10. c. 1; et 12. c. 2.), egregium suum Commentarium incepit ab an. 1253 cumque complevit post acceptam lauream magistralem. — De Petro a Tarantasia omnino constat, cum scripsisse suum Commentarium post S. Bonaventuram, cuius doctrinam in multis locis, ut iam observavit Dionysius Carthus., in compendium redegit, sicut in aliis locis Commentarium S. Thomae abbreviatum exhibet. Teste Echardo (Tom. I. pag. 250) Petrus incepit 1259 legere de Sententiis, quod post aliquorum annorum intercapedinem prosecutus est ab an. 1267.

Nec etiam alios Commentarios, solummodo in *codicibus mss.* asservatos, ante S. Bonaventuram ab *alumnis Ordinis Min.* scriptos et ab ipso auctore publicatos esse putamus. Constat quidem, in Universitate Parisiensi a tempore, quo Mendicantes ad cathedram in ipsa habendam admissi sunt, lectionem super librum Sententiarum vel lege vel consuetudine ad dignitatem magistralem aspirantibus praescriptam fuisse. Nec dubium est, quod licentiati et magistri suas lectiones scriptis mandare eorumque discipuli lectiones *reportare* i. e. quoad partes principales veloci scriptura excipere solebant. Exemplum praebet Scriptum Parisiense Scoti, quod habemus tantum reportatum. Huiusmodi Commentarii reportati etiam aliorum auctorum non pauci adhuc exstant in bibliothecis. Nec volumus *generatim* negare, aliquos commentarios in Magistrum sive reportatos sive ab auctore suo editos, sed nondum impressos, antiquiores esse posse Commentario S. Bonaventurae.

Non pauci scriptores putant, ante S. Bonaventuram et ab ipso eius magistro Alexandro Halensi fuisse scriptum Commen-

---

1 In eius Chronicis Fabrianensibus mss. fol. 9, de quo manuscripto plura dicit P. Bonelli in Prodromo lib. I. c. 15. col. 63, 64, nota f.

2 Pag. III. nota 1.

3 Waddingus ad annum 1256 n. 3. cum aliis eum sequentibus dicit, hanc electionem fuisse 2 Febr. 1256, quod falsum est secundum computum ordinarium, at verum quidem secundum computum illa aetate a multis receptum, qui novum annum a die Incarnationis i. e. 25 Martii, non a 1 Ianuarii incipiebant. Ipsa Chronica XXIV Generalium hanc difficultatem ita dirimit: « Hic Fr. Ioannes (de Parma), convocato Romae Capitulo Generali anno 1256 secundum illos qui computant annos ab Incarnatione Domini, secundum illos vero, qui computant annos a Nativitate, 1257, in festo Purificationis B. M. » Cfr. Prodrom. col. 17, nota d.

4 Echardus (Scriptores O. Praed. tom. I. pag. 165) pro certo habet, B. Albertum an. 1245 fuisse Parisios missum ad legendum pro forma et gradu, ut aiunt. Attamen M. R. P. Henr. Denifle O. Praed., qui in rebus ad historiam illius aetatis spectantibus est versatissimus, pro sua in nos amicitia nobis communicavit, illam assertionem Echardi certo carere fundamento; sed exploratum esse, B. Albertum 1248 legisse Parisiis.

tarium in Lombardum. Hoc asserit auctor libri: *Firmamenta trium Ord. B. P. N. Francisci,* (ed. Parisiensis 1512, fol. 42 recto), qui postquam de Summa theologiae locutus est, haec addit: « Scripsit etiam *primus inter omnes doctores* super Magistrum Sententiarum ad litteram scriptum egregium ». Attamen Natalis Alexander, Oudinus multique post eos volunt, hunc Commentarium non esse diversum a Summa theologiae eiusdem Alexandri. Si hoc est verum, certe non publicavit commentarium in Sententias. Haec enim Summa vocari minime potest commentarius in Magistrum, uti cuique eandem inspicienti manifestum est, cum rerum et ordine et tota dispositione nihil habeat, quod ad commentarium requiritur, non magis quam Summa S. Thomae, quam certo nemo, congrue loquens, velit vocare commentarium in Magistrum. E contrario Sbaralea (Supplem. pag. 17) talem commentarium praeter Summam Alexandro vindicare nititur, adductis multis testimoniis scriptorum, inter quos nominat Henricum Gandaviensem, qui (de Scriptoribus eccles. c. 45.) ait, scripsisse Alexandrum super quatuor libros Sententiarum. Similiter loquuntur Raynerius Pisanus Ord. Praed. in sua Pantheologia, Alphonsus Toletanus Ord. S. August., S. Ioannes Capistranus, Dionysius Carth., qui distinguunt Summam eiusdem et Commentarium, aliique posteriores, qui videri possunt apud eundem Sbaraleam. Afferre potuisset Sbaraleam etiam plures codices mss. in bibliothecis asservatos, qui cum nomine Alexandri inscripti sunt titulo *Commentarii in Sententias* vel *In Sententias.*

Verumtamen iidem hi codices vim testimoniorum, ad quae Sbaralea provocat, magna ex parte elidunt. Nam si accuratius examinantur, apparet, quod non contineant Commentarios a memorata Summa diversos, sed non nisi ipsam Summam. Hoc ipsi observavimus in nonnullis codicibus antiquis, nempe:

Assisii, bibliotheca Conventus S. Francisci, Cod. membr. in fol. parv., saec. XIII., sign. XXXII. B. 268. fol. 1 in sup. marg. *Alexander Halensis I. Sentent.* Incipit: *Quoniam sicut dicit Boethius in libr. de Trinit.* Desinit: *Finis primi et initium secundi.* Secundus liber inscribitur: *in librum II. Sententiarum.*

Florentiae, in bibliotheca Laurentiana, plut. XXIV. dext. Cod. IV. membr. in fol., saec. XIII., constat fol. 325, a secunda manu adnotatum fuit: *Alexander de Hales super secundum Sententiarum.* Incipit: *Completis tractatibus de iis quae pertinent ad speculationem Dei.*

Parisiis, biblioth. S. Victoris; Cod. 14530 membr., saec. XIII.: *in librum IV. Sententiarum.*

Nec *Ioannem a Rupella,* successorem Alexandri in cathedra Parisiensi, commentarium publicasse putamus. Nullum talis operis codicem novimus. Nec verisimile videtur S. Bonaventurae a Superioribus mandatum fuisse, ut novum commentarium scriberet, si isti duo celeberrimi magistri iam simile opus perfecissent, cum ipse an. 1248 non fuerit aetate maior 27 annis.

Negari non potest, aetatem illam adolescentiae videri potius immaturam et imparem istis muneribus obeundis, scilicet docendi in celeberrima studiorum metropoli theologiam et librum immensum de materiis tam arduis scribendi. Sed considerandum est, dona naturalia et supernaturalia huius Seraphici viri magis etiam excessisse ordinem communem et vulgarem, quam annorum paucitas deficiebat a regula ordinaria, ita ut recte dicere potuerit Sixtus IV. in Bulla canonizationis: « Paucorum annorum spatio incredibilem fuerat scientiam consecutus ».

Ceterum S. Bonaventura pro singulari sua modestia et humilitate sua sponte et voluntate nunquam ad tam ardua adhuc iuvenis eniti praesumsisset, nisi obedientia, quam profitebatur erga superiores, et fraterna dilectio erga suos fratres, instanter hunc laborem postulantes, propriam ipsi electionem praeclusisset. Ipse hoc testatur in fine libri tertii in Sententias his verbis: « Iesum Christum rogo, ut faciat provenire mihi ad obedientiae meritum et fratrum profectum; *propter quae duo labor iste fuit a principio assumtus* »; et adhuc expressius in quodam anecdoto prologo ad II. librum Sententiarum vel potius epilogo ad I. librum, quem P. Fidelis primus in bibliotheca civitatis Andegavensis (Cod. 193, membr. in fol., saec. XIV, fol. 164 verso) detexit et exscripsit. Hunc suo loco integrum dabimus; hic autem initium: « Salvatoris opitulante gratia, ex quo perventum est ad completionem primi Sententiarum [1], Patrum interveniente instantia, oportet inchoare secundum. At quemadmodum in primo libro Sententiis [2] adhaesi et communibus opinionibus magistrorum et potissime magistri et patris nostri bonae memoriae Alexandri, sic in consequentibus libris ab eorum vestigiis non recedam. Non enim intendo novas opiniones adversare, sed communes et approbatas retexere. Nec quisquam aestimet, quod novi scripti velim esse fabricator; hoc enim sentio et fateor, quod sum pauper et tenuis *compilator* » etc. More Sanctorum hoc a Seraphico dictum esse magis secundum inspirationem humilitatis, quam secundum rei veritatem, in confesso est apud omnes. Facile etiam demonstrari posset, ipsum non simplicem *compilatorem*, sed vere auctorem, *vel saltem commentatorem* appellandum esse, si attendimus ad eas definitiones, quas ipse sic proponit: « Notandum, quod quadruplex est modus faciendi librum. Aliquis enim scribit aliena nihil addendo vel mutando; et iste mere dicitur *scriptor.* Aliquis scribit aliena addendo, sed non de suo; et iste *compilator* dicitur. Aliquis scribit et aliena et sua, sed aliena tanquam principalia et sua tanquam annexa ad evidentiam; et iste dicitur *commentator,* non auctor. Aliquis scribit et sua et aliena, sed sua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmationem; et talis debet dici *auctor* » (I. Sent. q. 4. Prooemii).

Eadem modestia loquitur in fine II. libri Sententiarum: « Si cui autem aliter videtur et fortassis melius in huius quaestionis determinatione, immo explanatione duorum librorum praecedentium, non invideo; sed hoc rogo, ut si quis aliquid in hoc opusculo invenerit approbatione dignum, agat gratias Deo, largitori bonorum. In aliis vero locis, ubi [3] invenerit vel falsum vel dubium vel obscurum, scribentis insufficientiae benigne indulgeat, qui absque dubio, teste conscientia, vera, aperta et communia dicere concupivit ». Denique in fine III. Sent., « Immensas, inquit, gratias ago Christo, qui adiuvit me pervenire ad consummationem opusculi, miseratus paupertatem scientiae et ingenii mei ».

§ 3. *De relatione quae est inter Summam Alexandri Halensis et S. Bonaventurae Commentarium plura dicenda sunt.* In quaestionibus decidendis auctor Commentarii sequitur

1 Lectio est dubia; pro *Sententiarum* etiam legi poterit *fratrum.*
2 Videntur intelligi Sententiae Petri Lombardi; quod magis contextui totius huius Prologi respondet.
3 In ed. Vaticana *ut*, sed contra nostros codices.

plerumque magistrum suum Alexandrum, non tamen semper; et saepius etiam sententiam illius clarius et accuratius determinat. Concedendum est etiam, ipsum plurimas auctoritates sive locos tum Patrum tum philosophorum, multas definitiones aliaque multa ad doctrinam spectantia ex Summa Alexandri secundum sensum adoptasse et interdum etiam partes exiguas ad verbum deprompsisse, immo semel atque iterum etiam paululum plura adoptasse. Huc pertinent aliqui loci ex II. et III. Sent.; praecipue autem II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3, ubi agitur de cognitione Dei, quam habuit Adam in statu innocentiae. Responsio ad hanc quaestionem magna ex parte convenit cum iis, quae leguntur in Summa Alexandri in duabus quaestionibus, scil. S. p. II. q. 92. a. 1. 2. Attamen ubique tum orationis stilique robore, tum idearum mira connexione et sublimitate proprium Seraphici ingenii sigillum quisque facile agnoscit impressum, etiam in iis locis, ubi magni sui magistri vestigiis prope insistit maior discipulus.

Sed remanet quaedam difficultas, quae eo accurratius a nobis discutienda est, quia hucusque a nemine, quod quidem scimus, est observata. In rarissimo opere, quod sub nomine Alexandri Halensis et cum titulo « Summa virtutum » impressum est tanquam Summae theologiae pars, quod etiam a non paucis eruditis viris eidem Alexandro vindicatum est, plus quam 70 quaestiones exhibentur, quae, paucis tantum omissis vel additis, in eodem Commentario reperiuntur. Ad dilucidandam hanc rem necessarium videtur aliquanto diffusius inquirere tum de magna Summa Alexandri, tum de altero illo tractatu de virtutibus. Eo libentius hoc facimus, quia agitur de honore non tantum Doctoris Seraphici, sed etiam Angelici, uti continuo videbimus.

Summa theologiae Alexandri Hal. typis mandata est, teste Sbaralea, Venetiis 1475, tom. IV in fol. per Ioan. de Colonia et socium; Norimbergae 1481 per Anton. Koberger; Papiae 1489 per I. Anton. Birettum; Norimbergae iterum 1502; Lugduni 1515 (Koberger); Venetiis 1576 per Ioan. Bapt. Balainum Ord. Min. Convent., typis Franc. de Franciscis; denique Coloniae 1622. tom. IV in fol. Hae *duae ultimae* editiones in partibus II. III. et IV. novo ordine seu aliis numeris quaestiones dividunt. Habent enim pro parte secunda 171 qq., Kobergerianae vero 189; pro tertia 69, Koberg. 82; pro quarta 35, Koberg. 114, quod infra specialius in elencho auctorum, quibus utitur S. Bonav., pro commodo lectoris indicabimus.

Huius Summae, quae post multas parvas Summas theologicas, a praecedentibus auctoribus compositas, tum immenso voluminum ambitu, tum multiplici excellentis doctrinae laude magnam movit admirationem, auctorem esse Alexandrum, certissime constat. De hoc peremptorium habemus testimonium in litteris Apostolicis Alexandri IV. anni 1256, quas primus omnium edidit Echardus (De Scriptor. etc. t. I. p. 321) ex cod. Parisiensi sign. 15751, fol. ultimo. In Waddingo hoc documentum desideratur, sed receptum est a Sbaralea tum in Bullario, tom. I. p. 151, tum in Supplemento, p. 17. Has litteras Apostolicas, cum sint quasi fundamentum nostrae argumentationis, integras hic transcribimus.

« Alexander episcopus, servus servorum Dei. Dilecto filio ministro Fratrum ordinis Minorum in Francia salutem et Apostol. benedictionem.

« De fontibus paradisi flumen egrediens, exuberans videlicet sacrarum intelligentia scripturarum, per os recolendae memoriae Fratris Alexandri ordinis tui temporibus nostris largo profluxit laetitio impetu super terram, in lucem manifestius editis thesauris scientiae ac sapientiae salutaris. Idem siquidem frater, ut ex his quae scripsit et tradidit comperimus, Deo plenus (nemo enim nisi in spiritu Dei loquens aeternae veritatis mysteria ea inquisitionis indagine attigisset) studia sua publicis utilitatibus commodavit, et laboriosi operis sanctum aggrediendo propositum, super quaestionibus theologicis utiliorem utique quam prolixam molitus est *Summam,* profectibus in lege Domini studere volentium compendiosius profuturam. In qua *sententiarum irrefragibilium* ordinatae sunt acies ad obterendam veritatis pondere contentiosae pervicaciam falsitatis. Prolixitatem quippe si quam in eadem Summa lector delicatus abhorret, studiosis vobis in ea sic reddit continua partium suarum utilitas brevem, ut in tanto verborum agmime, quod immensa videtur divinae profunditatis eloquia continere, non aliud nos rationabiliter possit offendere, quam quod, Deo eiusdem Fratris laboribus finem, antequam suscepti operis dictam perficeret, imponente et ad statutum repositae mercedis evocante denarium; perfectae pietatis imperfectus est labor, quo et pauca videntur et ad satietatem animae insufficientia universa, quae scripta sunt, nisi destinatum, et ad quem animos legentium pars suspendit exhibita, principii sui finem moles tanti operis sortiatur. Quocirca discretioni tuae in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus considerans prudenter, quod indecenter relinquitur, si negligenter omittitur mutilum opus Dei, quod non nisi caelestis sapientia per ministerium servi sui tam clara iam digestae partis iniit venustate, de consilio discretorum fratrum studentium ad perfectionem eiusdem Summae necessarios pro numero et idoneos pro merito convoces Parisius, ex quibuslibet administrationis tuae locis Ordinis tui Fratres, quibus ex parte nostra in remissionem iniungas peccaminum et ad suorum cumulum meritorum, ut dilecto filio Fratri Gulielmo de Melitona huic solicitudini deputato sedule assistentes, ipsumque ac se mutuo adiuvantes, sine dilationis dispendio praedictae Summae opus finaliter exequantur, ad hoc uno et eodem Domini spiritu, qui gratis mira scientiarum dona distribuit, adiuvandi. Datum Anagniae V. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno II ». Id est 28 Iulii 1256, cum Alexander electus fuerit 21 Decemb. 1254.

Tria ex hoc documento constant: 1. Alexandrum esse auctorem *Summae* theologiae, quae a Papa describitur ut maximae amplitudinis et utilitatis. 2. Ipsum hoc opus reliquisse imperfectum. 3. Summum Pontificem Fr. Gulielmo de Melitona ad hoc deputasse, ut illam Summam perficeret et « in virtute obedientiae districte praecipiendo mandasse » Ministro Provinciali Ord. Min. in Gallia, ut alios idoneos fratres daret Fr. Gulielmo in hoc labore socios. Hoc unum testimonium iam sufficit — etsi alia non desunt, praesertim ipsius S. Bonav. — ut quisque sententiam ferre possit, quid iudicandum sit de quibusdam verbis, quae a Rogerio Bacon intra annos 1266-1268 inconsiderate pro sua immoderata indole de Alexandro scripta sunt [1]: « Ex suo (Alexandri) ingressu, inquit, fratres exulta-

1 Rogerii Bacon opera quaedam hactenus inedita, ed. Brewer, Londini tom. I. p. 325.

verunt[1] in caelum et ei dederunt auctoritatem totius studii et adscripserunt ei magnam Summam illam, quae est plus quam pondus unius equi, quam ipse non fecit, sed alii; et tamen propter reverentiam ei adscripta fuit, et vocatur Summa fratris Alexandri. *Et si ipse fecisset vel magnam partem, tamen non legit naturalia nec metaphysica* nec audivit ea, quia non fuerunt libri principales harum scientiarum, nec Commentarii translati... Eius autem Summa plures habet falsitates et vanitates philosophiae, cuius signum est, quod nullus facit eam de itero scribi, immo exemplar apud fratres putrescit et manet intactum et invisum his temporibus ». Sicut manifeste falsum est quod ultimo loco dicitur, uti testantur tot huius Summae codices et editiones, ita et alia, quae dicit, ad hoc restringenda esse videntur, ut scilicet Alexander (qui, ut vult Sbaralea, ab anno 1234 ingens hoc opus incepit) sociis aliquibus labori eius assistentibus usus sit. Fortasse etiam concedi potest, quod post eius mortem Gulielmus a Melitona aliqua scripta ab Alexandro inchoata et manca relicta in perfectam redegerit formam; vel si ita placet, etiam aliqua pauca aliunde sumta adiecerit.

Hoc ultimum negat Sbaralea, quippe qui in Bullario (loc. cit.) affirmat: « Omnes, quotquot hanc rem tractarunt post Waddingum et de hoc Gulielmo egerunt, eum *Summae* Halensis *supplementum* perfecisse scribunt; at ego nihil ab eo factum esse contendo; aut si quidquam addidit ille, additamentum illud nunquam *Summae* Halensis appositum legitur. Nam in pluribus editionibus antiquis et recentibus *Summa* illa desinit in parte *Sacramenti Poenitentiae* nec ultra progreditur. Neque mihi respondeant, addidisse eum saltem aliqua usque ad *Sacramentum Poenitentiae;* nam p. IV. q. 30. mem. 2. a. 2, quod est prope finem *Summae* incompletae, asserit auctor, Regulam S. Francisci pro Fratribus Minoribus approbatam et confirmatam fuisse ab *Innocentio, Honorio* et *Gregorio*, Summis Pontificibus; nec memorat confirmationem *Innocentii IV.* & *Alexandri IV.*, quam ipsi Pontifices recensent in suis Bullis *Nimis iniqua* etc. annis 1245 et 1256 editis; quod non reticuisset Gulielmus, si post hos annos Summae illi additamentum fecisset. Quemadmodum igitur *Summae theologicae* S. Thomae, quae et ipsa finit in parte *Sacramenti Poenitentiae*, nemo ausus est addere supplementum; ita et Summae Halensis. Magnorum namque summorumque virorum opera satius putant imperfecta manere, quam aliorum inaequalium manibus suppleri, memores, Plinium, Histor. libr. 35. cap. 40. scripto tradidisse: *Illud perquam rarum ac memoria dignum, etiam suprema opera artificum imperfectasque tabulas, sicut Irin Aristidis, Tyndaridas Nicomachi, Medeam Timomachi et Venerem Apellis in maiori admiratione esse, quam perfecta.* Ceterum » etc.

Argumentum a Sbaralea ultimo positum nihil valet, praesertim cum ipse Summus Pontifex Alexander IV. contrarium stricte praeceperit. Primum autem argumentum, petitum ex silentio, quod scil. reticuerit Bullas Innocenti IV. et Alexandri IV., nec in se est peremptorium et eius valori fere derogatur hac ratione, quod non tantum *quarta* pars Summae, sed etiam secunda et tertia imperfectae sunt, cum manifeste magnas habeant lacunas, ut iam observavit De Rubeis (Dissert. crit., diss. 15. c. 3.). In *quarta* parte tantum tractatus de Sacramentis in genere et de primis quatuor Sacramentis in specie inveniuntur. Desunt autem tractatus de tribus aliis Sacramentis et de Novissimis. In *secunda* parte in prologo ad q. 171. (ed. Coloniens.), quae est de scandalo, tractaturum se auctor promittit de homicidio, duello, usura, de fraudulento contractu et de rapina. Nihil tamen de his rebus invenitur in editionibus Summae. Magis etiam *tertia* pars post quaest. 68. « lacunam patentem et hiatum habet » (ut dicit citatus auctor), et finis omnino desideratur. Desunt enim qui in prologo quaestionis 26. et 69. promissi erant tractatus de virtutibus in genere, de donis, fructibus et beatitudinibus. Quaestio autem 78. sic incipit: « Post *tractatum de virtutibus in genere* inquirendum est de speciebus virtutum secundum *praeassignatam* differentiam, et primo agatur de virtutibus theologicis, quae sunt virtutes in finem... Consequenter vero de virtutibus, quae sunt ad finem, ut prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia etc. »

Sed in editionibus nihil omnino antea legitur de virtutibus in genere, nec postea aliud occurrit nisi in sequente q. 69. quaedam *fragmenta* de fide, de passionibus consequentibus fidem, de articulis fidei et de Symbolis. Omnia alia ab auctore promissa desunt.

Ex quo conficitur, quod Alexander, si totam Summam, qualis est in nostris editionibus conscripsit (ut dicit Sbaralea), non semper materias tractandas eo ordine composuit, quo eas in suo libro publicare voluit, cum tractatus plures secundum rerum ordinem posteriores perfecti sint, omissis aliis secundum eundem ordinem priores. Per consequens nec certo concludi potest, *omnes* partes Summae ante declarationes praedictas Innocentii et Alexandri fuisse iam ab Alexandro absolutas, et nihil omnino postea a Gulielmo vel quovis alio esse additum.

Sed transeamus tandem ad illam *Summam virtutum,* de quo opusculo tanta fuit opinionum discrepantia. Impressus est hic liber in forma quarti parvi, duabus columnis, typis parvis; habet 8 folia tabulas continentia, et 374 alia folia sive 748 paginas. Titulus, ornatus stemmate Iohannis Parvi (Jean Petit), notis compendiariis ad communem scripturam redactis, sic legitur: « Irrefragabilis doctoris alexandri de hales ordinis minorum opus de virtutibus excellentissimum: hactenus nusquam impressioni traditum: et est tertie partis sue summe continuativum: prout ab eodem doctore in eadem tertia parte dudum pluries impressa: quaestionibus XXVI. et LXIX. extitit compromissum ».

« Parisiis venumdatur in divi Iacobi vico sub argentei leonis intersignio: honesti viri Iohannis petit mercatoris librarii iurati domo, cuius expensis nunc primum (et antea nusquam) id opus profecto dignissimum in patulum prodiit: anno M. CCCCC. IX. »

In ultimo folio dicitur: « Finis. Summa de virtutibus Doctoris irrefragabilis alexandri de hales finem capit, in qua originaliter (pene omnia que in secunda secunde Sanctus thomas colegit) habentur: data Impressione primum a Fratribus minoribus conventus Parisiensis expensis: honesti et famosi bibliopole Iohannis Parvi: a quo venumdatur in vico sancti Iacobi sub leone argenteo. Anno domini M. CCCCC IX. octava die Iunii ».

Fol. I. est inscriptio: « Incipit summa de virtutibus disputata et composita per Fratrem alexandrum de Halles (sic) ordinis minorum doctorem Irrefragabilem que dici potest tertia tertie eiusdem doctoris.

Initium textus demonstrat, hunc tractatum non esse opus

---

[1] Ed. Brewer: exaltaverunt.

distinctum, sed potius partem alterius magni operis. Sic enim incipit: « Habito ergo de gratia gratum faciente et gratis data. Consequenter dicendum est de virtute.

Primo in generali.

Secundo in speciali.

Tertio de quibusdam proprietatibus consequentibus.

De virtute in generali queruntur plura.

Primo enim queritur de eius entitate » etc.

Pessimis typis et multis notis compendiariis opusculum est impressum atque erroribus typographicis scatet. Tractatus ipse est incompletus. Dividitur in tres partes, quarum ultima penitus desideratur, sicut et plura secundae partis, quae est de virtutibus in specie. Nam tractat solummodo de tribus virtutibus theologicis et duabus cardinalibus, scil. de prudentia et temperantia; desunt quaestiones de fortitudine et iustitia. Dividitur in 106 « collationes », quarum unaquaeque habet plures articulos, et hi solent habere plures quaestiones, ita ut circa 480 quaestiones proponantur.

Huius operis praeter Possevinum et plurimos modernos mentionem facit ex antiquis auctor Firmamenti trium Ordinum (fol. 42) his verbis: « Idem (Alexander) scripsit Summam virtutum tertiae partis continuativam, quae dici potest tertia tertiae Alexandri. Et istud opus iam novissime, scil. anno Domini 1509, primum in lucem productum et impressioni traditum » etc. Item Auctores editionis Vaticanae Operum S. Bonav. idem opus saepe citant in indice auctorum III. Sent. d. 23. et seqq. — P. Matthias Hauzeur, de quo infra § 7. loquemur, in opere « Collatio totius theologiae, t. II. a col. 77 usque 128 totum hoc opusculum sub titulo « Supplementum Alensis » in compendium redegit, editione ista Ioannis Parvi usus. Altera huius operis editio prodiit Toleti 1530 apud Ioan. Ulhaquiram, ut asserit Ioan. a S. Antonio in sua Bibliotheca.

Nihilominus de hoc opusculo, utrum sit *fictitium* necne, magna orta est controversia, quam eo libentius hic tangimus, quod nobis occasionem praebet, reparandi gravem errorem Waddingi, in quem vir, ceteroquin ingenuus et veritatis amans, aliorum relatione, ut videtur, deceptus, incaute incidit, et quo a via recta abductus nonnulla dixit, quae honori summi Doctoris S. Thomae Aquinatis derogant. Alii, ut Ioan. de Haye et Petrus de Alva, Waddingum in hoc secuti sunt. Huius ingratae controversiae originem et progressum, quae ex his quae dicturi sumus, ut opinamur, perfecte componi potest, breviter referamus.

Waddingus (Annal. tom. I. ad an. 1245. nn. 20. 21.) primo affert quaedam verba Gersonis inter alia haec dicentis: « Testantur scripta eiusdem S. Thomae, maxime Secunda Secundae, quam intimam sibi fecerat et familiarem illum quem laudabat doctorem Alexandrum ». Deinde Waddingus subiungit: « Intelligit Gerson Summam virtutum scriptam ab Alensi familiarem potissimum fuisse S. Thomae, ut quam verbotenus plene [1] Secunda Secundae huius insertam excepit ». Hoc nullo modo scribere potuisset clarissimus Annalista, si ipse Summam illam prae manibus habuisset. Similis enim insertio falsa esse demonstratur *primo* quidem, quia istud opusculum duplo et amplius maius est, quam ea pars Summae Angelici, quae easdem tractat quaestiones, unde non potest verbotenus in illam excipi; *secundo*, quia utraque opera, sicut nobis post qualemcumque collationem visum est, non magis, sed potius minus inter se conveniunt, quam Summa Angelici convenit cum ipsa theologica Summa Alexandri.

Non mirum, quod Waddingo sese opposuerunt plures S. Dominici filii, inter quos eminent Echardus (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 318. seqq. ed. Paris. 1721) et De Rubeis (Dissert. criticae, diss. 15. c. 3. 4.). In hoc tamen hi viri eruditissimi ultra limites veritatis abrepti sunt, quod ipsi post Natalem Alexandrum istam Summam virtutum opus omnino *fictitium* esse affirmarunt. Nam Echardus dicit (loc. cit. pag. 319. c. 1.): « Unde quotquot rei litterariae periti iam conveniunt, opus esse pure fictitium ». Insuper asserit, Natalem Alexandrum invicte probasse, Halensem non solum Summam illam virtutum ut Summae theologicae supplementum non scripsisse, sed nec scribere *potuisse*, « hoc *ineluctabili argumento*, quod ipsam Summam theologicam Halensis non compleverit. Qui Summae suae Supplementum addere cogitasset Halensis, qui eam Summam nondum finierat, cum humanis exemptus est »? Sed hoc *ineluctabile argumentum* suam perdit vim, si vel supponitur, istam Summam virtutum *prius* scriptam esse quam alteram, vel etiam, si ista Summa non est *opus distinctum*, sed scriptum eo fine, ut ipsi Summae insereretur tanquam eiusdem pars. Haec autem secunda suppositio congruit rei, sicut est.

Argumenta Echardi aliis verbis repetit De Rubeis, qui (loc. cit. c. 4.) addit: « Quod (opus) postremo si alicubi aut typis editum aut manuscriptum reperiatur, *in lucem proferre postulamus*, ut cum Summa theologica S. Thomae eiusque potissimum Secunda Secundae conferatur. *Nondum comparuit illud neque poterit unquam exhiberi*, nisi fortasse eo audaciae processerit quispiam, ut ipsam Secundam Secundae S. Thomae verbotenus describat eamque sub doctoris Halensis nomine, apposito Summae virtutem titulo, edi curet ».

Ut autem, quantum fieri a nobis potest, vera a falsis secernantur et cuique quod suum est tribuatur, tres quaestiones inter se distinguendae sunt, scil. primo, utrum istud opus de Virtutibus a Waddingo nominatum revera scriptum sit et adhuc exstet; secundo, utrum Alexander Halensis eiusdem sit auctor; tertio, utrum S. Thomas in sua Secunda Secundae hoc libro ita usus sit, ut Waddingus asserit.

Circa *primum* nihil dubii relinquitur, cum plura exemplaria editionis Parisiensis, quam supra descripsimus, adhuc exstent. Tria eorum propriis oculis nostris vidimus: duo quidem Monachii in bibliotheca Regia et tertium in nostro conventu civitatis Belgicae S. Trudonis (St. Trond), quod accuratius examinavimus. Non dubitamus, quod etiam alibi alia exemplaria eiusdem operis inveniantur. Mirum sane videtur, Echardum, virum sane imprimis eruditum et acutum, et post eum De Rubeis illud opus, de quo tot libri testificati erant, argumentis levibus tanquam plane fictitium demonstrare voluisse.

Etsi autem in hoc *facto* erraverunt, tamen quoad *tertiam* quaestionem, utrum S. Thomas istud opus transcripserit, pro veritate et iustitia tuenda his auctoribus omnino concedendum est, assertionem Waddingi esse erroneam. Nec dubitamus, quin ipse Waddingus, si istam Summam virtutum examinasset, sincere retractasset, quae contra honorem S. Thomae et contra veritatem scripserat. Nam si paululum examinatur istud opus, inve-

1. Videtur esse error pro *pene*, ut legitur in fine memoratae Summae.

nitur tum in dispositione rerum tractandarum, tum in singulis quaestionibus, multum differre a Summa S. Thomae; nec maior inter utrumque opus similitudo deprehenditur, quam quae generatim inter auctores Scholasticos de eadem quaestione scribentes inveniri solet. Cum autem via, quam defensores S. Thomae tenuerunt, denuntiandi scil. istud opus tanquam fictitium, nunc relinquenda sit, disquisitio circa idem institui debet, ut ipsum pro honore Angelici testimonium reddat. In hunc finem subiicimus tabulam generalem rerum primae partis opusculi, quae agit de virtutibus in genere. Iam hoc sufficere videtur, ut etiam plurimi illi, qui rarissimum istud opus non possunt inspicere, iudicare possint, quantum Summa Angelici ab ipso differat.

De virtutibus in genere.

I. De entitate virtutis in statu naturae lapsae, integrae, glorificatae, continet collationem 1. cum articulis 3.
II. De necessitate virtutis, col. 2. cum a. 3.
III. De excellentia virtutis, col. 3.
IV. De causalitate virtutis, col. 3.
  1. De causa efficiente:
    a. causa prima (Deus), col. 4, a. 3.
    b. causa secunda (creata), col. 5, a. 3.
  2. De causa formali, col. 6, a. 3.
  3. De causa materiali circa quam.
    a. circa delectationes et tristitias, col. 7, a. 5, et ultimus articulus habet 4 quaestiones.
    b. circa actiones et passiones, col. 8, a. 2.
    c. circa bonum et malum, col. 9, a. 2.
  4. De causa finali.
    a. de causa finali increata, col. 10, a 4.
    b. de causa finali creata.
      α. de causa finali in patria, col. 11, a. 2, quorum uterque habet 2 quaestiones.
      β. de causa finali in via, col. 12, a. 6.
  5. De delectatione.
    a. quid sit secundum rem,
    b. quid sit secundum definitionem,
    c. in quo sit subiecto, col. 13, a. 3, quorum unusquisque habet 3 qq.
V. De multiplici effectu sive utilitate, col. 14.
VI. De quidditate virtutis.
  1. Secundum rem, col. 15, a. 10.
  2. Secundum definitionem, col. 16, a 6. Loquitur de 16 definitionibus et tractat de 29 quaestionibus.
VII. De subiecto virtutis.
  1. Quantum ad substantiam, col. 17, a. 8 cum 12 qq.
  2. Quantum ad potentiam, col. 18, a. 6 cum 9 qq.
VIII. De actu virtutis in generali.
  1. De actu communi virtutis in via, col. 19, a. 4.
  2. De actu communi virtutis in patria, col. 20, a. 3.
  3. De actu communi virtutis in via et in patria, col. 21, a. 3.
IX. De obiecto communi virtutis, col. 22, a. 3.
X. De cognitione virtutis, col. 23, a. 4.
XI. De divisione virtutis, col. 24, a. 4. cum 8 qq.

Restat igitur *secunda* quaestio adhuc examinanda, utrum scil. memorati opusculi auctor sit Alexander Halensis, quemadmodum putat Waddingus. In favorem huius sententiae praeter auctoritatem antiquae editionis in medium proferri poterit, quod hi tractatus de virtutibus manifeste scripti sunt ut pars alicuius magnae Summae theologicae — quod in editionibus Summae Alexandri p. III. ante quaestionem 68. (secundum ed. Venetam et Coloniensem, vel 78. secundum ed. Kobergerianam) ingens lacuna appareat, ad quam explendam hi tractatus perfecte congruerent, si etiam ipsi essent absoluti — denique quod ipse prologus quaestionis 78. manifeste supponit, illam lacunam iam expletam esse, dum legitur: « *Post tractatum de virtute in genere* inquirendum est de speciebus virtutum secundum *praeassignatam differentiam;* et primo agatur de virtutibus theologicis, quae sunt virtutes in finem... Consequenter vero de virtutibus, quae sunt ad finem, ut prudentia, iustitia. »

His tamen non obstantibus, certum esse putamus, Alexandrum ipsum minime hos tractatus scripsisse. Aliter id quod Waddingus falso dicit de Doctore Angelico, vere de Seraphico affirmandum esset, scilicet quod magnam partem horum tractatuum fere ad verbum in suum Commentarium excepisset. Nam (si excipias nonnullas quaestiones) ea omnia, quae S. Bonaventura habet tum de tribus virtutibus theologicis (III. Sent. d. 23-30, et I. Sent. d. 17.), tum de virtutibus cardinalibus in genere (III. Sent. d. 33.) i. e. circa 70 quaestiones, paucis tantum argumentis vel additis vel omissis vel contractis, ad verbum leguntur etiam in istis tractatibus. Cum res ita se habeat, necessario concludendum est, vel S. Bonaventuram omnia ista transcripsisse, si revera Alexander est auctor illorum tractatuum, vel alium aliquem, non Alexandrum, illa sumsisse ex S. Bonaventura. Prima autem illa coniectura gravissimis argumentis demonstratur omnino improbabilis, dum pro secunda non contemnenda praesumtio militet. Quod breviter exponendum est.

1. Si ponitur, istos tractatus ab ipso Alexandro scriptos esse, nulla ratio dari potest, quare pars tam insignis sit exclusa a Summa theologica, ita ut in ipsa oriatur lacuna ingens et manifesta. Et notandum est, quod non tantum omnes editiones Summae habent istam lacunam, sed etiam antiqui codices manuscripti, quorum duo circa hanc rem examinavimus. *Florentiae* enim in bibliotheca Laurentiana, plut. XXIV. dext., cod. V. membr. in fol., saec. XIII., invenitur haec Summa, quae a secunda manu inscriptionem habet: *Alexander, tertius in Sententiis.* Hic codex praeter eandem lacunam exhibet etiam eadem verba in prologo sequentis quaestionis, quae iam commemoravimus. Insuper in tabula quaestionum ad istum locum (in cod. post q. 39.) spatium amplum relictum est vacuum, ut inserantur alii tituli quaestionum; quo monstratur, istam lacunam non fugisse attentionem librariorum. Numeri etiam sequentium quaestionum sunt a manu posteriore. Alius codex est *Florentiae* in bibliotheca Nationali, cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. 25. F. 5., inscriptus: *Tertius Alexandri de Hales.* Incipit: *Tota christianae fidei disciplina.* In hoc etiam codice ista lacuna invenitur et insinuatur spatio relicto vacuo inter memoratas duas quaestiones. Haec omnia indicant, ab ipso Alexandri tempore illam fuisse lacunam.

2. Magis etiam urget altera ratio. Explicari non potest, quod Seraphicus, qui tot tractat alias quaestiones, itidem in Summa Alexandri occurrentes, *nusquam* tali modo integram quaestionem cum suis argumentis ex utraque parte, cum responsione et solutione argumentorum transcribit, sed semper totam quaestionem ut verus auctor digerit. Nec obstat, quod S. Bonav., uti iam observavimus, doctrinam magistri sui potissimum sectatur et quod non paucas res ex magna illa rerum silva,

qualis est Summa Alexandri, mutuatus est. Sed hoc etiam alii Scholastici Alexandro posteriores fecerunt (ut pluries monet Dionysius Carth.), tamen tali modo, ut sint veri auctores sui operis sine ulla furti macula. Etiam paucae propositiones, quas Bonaventura in II. et III. Sententiarum aliquoties ad verbum ex Alexandro sumsit, eiusdem sunt generis. Sicut enim in omnibus nostris libris theologicis inveniuntur verba aliorum auctorum laudata et transcripta, ita etiam a Seraphico factum est, cum hac sola differentia, quod ipse pro more sui saeculi nominare non solet coaevi auctoris nomen. Quanta autem diversitas sit inter talem alicuius libri usum et illum, quo integrae quaestiones transcribuntur, omni luce clarius est.

3. Ipsae quaestiones, quae Commentario et illis tractatibus sunt communes, ita spirant methodum et spiritum Seraphici Doctoris, ut perfecte congruant toto Commentario. Nemo autem negabit, S. Bonaventuram, sicut etiam S. Thomam, singulares aliquas proprietates in scribendo habere, quibus eorum opera certius distingui possunt quam aliorum passim auctorum foetus.

Haec iam sufficere videntur, ut pro certo habendum sit, non a S. Bonaventura ista transcripta esse ex Alexandro, sed potius ab alio, quicumque ille sit, ex Commentario S. Bonaventurae.

Hoc autem *confirmatur* eo quod, si supponimus, tractatus istos post Commentarium nostrum scriptos esse, congrue omnia enodari possunt; unde magna iam oritur praesumtio pro hac sententia.

Primum enim inverisimile est, Fr. Gulielmum a Melitona, qui teste Waddingo usque ad annum 1260 vixit, post acceptum mandatum a Summo Pontifice nihil penitus per quatuor annos fecisse pro perficienda Summa, praesertim ut maximum illum hiatum in tertio libro expleret. Cum autem nec ipse tractatum de virtutibus ad finem perducere potuerit, facile intelligitur, hoc mancum alterius auctoris supplementum nunquam Summae fuisse insertum. Aliter enim res se habet quoad opus imperfectum primi auctoris, aliter autem quoad alterius supplementum non absolutum.

Deinde in hac suppositione nihil mirandum est, Gulielmum a Melitona, cui iam Summus Pontifex adiunctos esse voluit socios laboris, opportune usum esse scriptis praeclaris celeberrimi discipuli eiusdem Alexandri, consentiente et approbante ipso S. Bonaventura, qui tum officio Ministri Generalis fungebatur.

Putamus igitur, Sbaraleam veritatem assecutum esse, cum dixit, etiamsi Gulielmum plura ad perficiendum opus Alexandri composuerit, nunquam ea ipsi Summae fuisse inserta. Hoc tamen restringimus ad partes magnas sive principales, nec volumus contendere, locis in conditione imperfecta ab Alexandro relictis nullam Gulielmum admovisse manum. Sed ut de hac re aliquid certius pronuntiari posset, plurima essent perscrutanda, imprimis autem consulendi codices huius operis.

Quantum autem diiudicare possumus, isti tractatus de virtutibus omnino scholam antiquam Franciscanam ante Scotum et etiam ante Richardum a Mediavilla sapiunt, in specie methodum et spiritum Alexandri quoad generalem dispositionem prae se ferunt, ita ut Gulielmo, discipulo Halensis, vel si placet, saltem alicui ex eius sociis bene convenire possint.

Haec paulo accuratius exposuimus ad praecavendum, ne ex illo opusculo de virtutibus quispiam occasionem accipiat, accusandi S. Bonaventuram furti in rebus ad litteras spectantibus. Sed quod Seraphicus doctrinam eminentissimi sui magistri tanto in honore habuerit, ut eius sententiae plerumque adhaeserit et multa inde in usum suum modo a nobis exposito converterit, hoc nullo modo honori eius poterit derogare. Congruit enim tum pietati boni discipuli, tum spiritui catholicae Ecclesiae. Catholici enim theologi gloria minime in eo ponenda est, ut vel nova tantum ex proprio ingenio excudat, vel neglectis aliorum auctorum laboribus, solus ipse et solitarius ex antiquis fontibus sua corradat, vel etiam ut sine patre et matre, sine magistro et schola, novus doctor et separatus a sapientia praecedentium saeculorum et ab adiutorio coaevorum in se solo nitatur. Absit. *Scriba* enim *doctus in regno caelorum profert de thesauro suo* (qui est thesaurus Ecclesiae et scientiae catholicae) *nova et vetera* (Matth. 13, 52.), *omnia probans, quod bonum est tenens* (I. Thess. 5, 21.). Hoc modo processerunt magni illi doctores Scholastici, nec aspernati sunt addiscere in schola uniuscuiusque, super quem Pater luminum veritatis radios effuderit. Hinc in disciplinis philosophicis *Aristotelem*, licet gentilem, suum proclamabant magistrum et plurima ex eo in proprium usum convertebant; quod quantum fecerint illi magistri, imprimis B. Albertus et S. Thomas, exploratum est apud omnes. Quid mirum, si eodem modo usus sit S. Bonaventura scriptis sui magistri, theologi inter omnes suae aetatis praeclarissimi?

§ 4. *Praestantia huius Commentarii communi suffragio theologorum antiqui et moderni temporis celebratur.* Sed ne materiam praeoccupemus promissae a nobis dissertationis de vita et scriptis nostri Doctoris, interim remittimus lectorem ad Waddingum, (de Scriptoribus Ordinis Minorum pag. 19 col. 2.) et ad Sbaraleam (Supplem. pag. 142 seqq.) et praecipue ad Prodromi librum II., ubi a cap. 1-12. de doctrina S. Bonaventurae in genere et de usu eiusdem in Conciliis generalibus testimonia scriptorum quam plurima collecta sunt. Sufficiat hic notasse quod scribit Angelus Rocca de Camerino, Ordinis S. Augustini, in praefatione ad II. Sententiarum sui Ægidii Romani, scil. communi calculo probari, Scotum excelluisse in Commentario ad primum Sententiarum, Ægidium ad secundum, Bonaventuram ad tertium, Richardum a Mediavilla ad quartum. Quod tamen sine praeiudicio Angelici Doctoris nos intelligendum esse volumus. Gerson[1] vero speciali laude exaltat nostri Doctoris secundum librum Sententiarum.

Legenti constabit, etiam hunc Commentarium nihil sapere nisi summam moderationem, sinceram pietatem et singularem quandam devotionem. Veritatem docere in caritate et humilitate catholici doctoris credidit auctor esse officium, non autem aliorum unius matris Ecclesiae filiorum sententias arroganter contemnere et contentiose impugnare litesque cum detrimento caritatis seminare vel fovere. « Turpe enim profecto est, ut dicit Gregorius Nazianzenus (Oratio 26. n. 27.), in divinis disputationibus principatum et tyrannidem sibi usurpare nec cuiquam omnino fasces submittere ». Spiritu caritatis et humilitatis ductus, S. Doctor a novarum rerum studio, a curiosis quaestionibus, a singularibus opinionibus quam maxime fuit alienus; at traditam tum fidem tum scientiam contra haereticorum et novatorum errores strenue

---

1 In Epistola ad quendam fratrem Minorem scripta (ed. Paris. 1521. tom. I. fol. 107. col. I.), nec non in P. IV. de Concordia metaphysicae cum logica, fol. 56. c. 4, teste Prodromo, col. 227.

defendebat, ingenue et subtiliter explicabat validisque rationibus muniebat. Ad rem ipse dicit in fine III. Sent.: « Sufficit in dubiis scire, quod sapientes censuerunt, nec est utile contentionibus deservire. Multa dicimus et deficimus in verbis ». Sub hoc respectu laudatur a cancellario Universitatis Parisiensis Gersone [1]: « Recedit a curiositate quantum potest, non immiscens positiones extraneas vel doctrinas saeculares dialecticas aut physicas, terminis theologicis adumbratas, more multorum, sed cum studet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem et religiositatem affectus ». Nec inutile erit etiam nostris temporibus meditari verba, quae idem subiungit: « Unde factum est, ut ab indevotis scholasticis, quorum proh dolor! maior est numerus, ipse minus exstiterit frequentatus, cum tamen nulla sublimior, nulla divinior, nulla salubrior atque suavior pro theologis sit doctrina. Quanto denique diligentius in senectute mea sum revolutus ad studium ipsius, tanto facta est amplius confusa garrulitas mea ». — Bene etiam observat idem Gerson (P. IV. de Concordia metaph. et logicae): « Bonaventura studuit de variis opinionibus semper elicere illud quod verum apparebat, et cum sobrietate magna demittere illud quod nimium aut parum videbatur ». Admiranda certe in ipso elucet sapientia et ars, qua dissentientes magistrorum opiniones, non tantum disparatas, sed etiam quoad superficiem verborum contrarias, sine detrimento veritatis conciliare, vel saltem inadaequate dicta ad sanum sensum trahere solet, ipse quasi media inter oppositas sententias via ingrediens. Iuvat ex anecdota quadam quaestione [2] hic aliqua inserere, quae ad pacem servandam inter membra Ecclesiae, praecipue inter diversarum scholarum asseclas, et ad verum profectum theologicae scientiae promovendum quam maxime proficua essent, si in plurium, quam assolet, animis mentibusque inhaerescerent. « Ex his igitur, inquit, colligitur, quod multae opiniones videntur esse contrariae, quae tamen in unam coincidunt veritatem. Et propterea omnes opiniones praedictas in praecedentibus sustinui, et credo esse sustinendas aliquo modo. Non enim decet iuniores antiquorum aspernari sententias, sed humiliter venerari et fideliter explicare; quia non est credendum, quod magni amatores et inquisitores veritatis celebres positiones suas dixerint sine causa; in omnibus autem dictis praecipue *causa* dicendi consideranda est. Nam quod superficialiter videtur falsum frequenter invenitur verum, cum pertingitur ad intentionem dicentium ».

Nec silentio praetereunda est alia egregia consuetudo, a Sancto in eligendis opinionibus vel dicendi modis, de quibus in scholis dissentiunt catholici magistri, constanter retenta. Haec in eo cernitur, quod quando pro una parte magis iudicium rationis humanae, pro altera vero magis pietas fidei stare videtur, propensius inclinat in sententiam eam, quae Dei vel Christi vel Sanctorum honori et christianae virtutis exercitio magis suffragatur. Ita e. gr. tractans de sententia illa, quod ratio Incarnationis praecipua sit generis humani reparatio (III. Sent. d. 1. a. 2. q. 2.), sic concludit: « Quoniam ergo hic modus dicendi, etsi non videatur esse ita subtilis, sicut praecedens, plus tamen consonat pietati fidei in hoc, quod auctoritatibus Sanctorum magis concordat et Deum magis honorificat, etiam Incarnationis mysterium magis commendat et affectum nostrum ardentius inflammat: ideo » etc.

Sicut igitur in eligendis dubiis opinionibus mentem Seraphici Doctoris humilis modestia inclinabat in viam magis tritam et *communem*, et sapiens moderatio in viam *mediam*, ita caritas Dei et proximi in viam *pietati magis consonantem*.

§ 5. *Obsoletae aliquae sententiae nonnullae inveniuntur in his Commentariis, sed non proprie singulares.* Paucae enim illae opiniones, quae nunc a quibusdam S. Bonaventurae ut *singulares* attribuuntur et ut singulares notantur, vel tunc temporis erant in scholis Parisiensibus communiores, at progressu temporis et scientiae theologicae postea obsoletae sunt, vel non exhibent genuinam ipsius sententiam. Sunt tamen opiniones aliquae, quas ipse exemplo S. Augustini et S. Thomae retractasse videtur. Ut de dogmate immaculatae Conceptionis B. M. V. taceamus, de quo eius sententia, postquam omnia etiam anecdota ipsius opuscula genuina examinata sunt, specialius inquirendum est [3], ipse sequitur in Commentario [4] opinionem S. Ioannis Chrysostomi asserentis, S. Ioannem Baptistam non novisse Christum nisi in generali, non autem in speciali, antequam Christus baptizandus ad eum accesserit. Hanc tamen solutionem in genuino Commentario [5] in Ioannem cap. I. v. 31. disertis verbis reprobat. — Item, IV. Sent. d. 23. a. 1. q. 2; d. 7. a. 1. q. 2; d. 17. p. II. a 1. q. 3. opinioni falsae Magistri adhaeret ut probabiliori, scil. quod duo Sacramenta Confirmationis et extremae Unctionis a Christo quidem « fuerunt insinuata, sed postea a Spiritu sancto instituta ». In Breviloquio [6] autem melius et doctrinae Concilii Tridentini [7] conformius sic resolvit: « Tenendum est, quod septem Sacramenta Legis gratiae Christus instituit... Instituit autem praedicta Sacramenta diversimode: quaedam scil. ex eis confirmando, approbando et consummando, ut Matrimonium et Poenitentiam; quaedam autem insinuando et initiando, ut Confirmationem et Unctionem extremam; quaedam vero initiando et consummando et in semetipso suscipiendo, ut Sacramentum Baptismi, Eucharistiae et Ordinis » etc.

Alia quaedam sunt, quae nunc multis non placent, sive philosophica, ut quae docet circa materiam et formam in quodam sensu omnibus creaturis attribuendam, sive theologica v. gr. doctrina eius de peccato originali, de contritione in Sacramento Poenitentiae requisita, et de licito vel illicito usu matrimonii. Haec tamen illa aetate communius Parisiis docebantur, de quibus et aliis quibusdam suo loco in Scholiis nostris aliqua dicentur.

Non viguisse nec vigere potuisse S. Bonaventurae aetate tantam artem criticam pro discernendis operibus antiquorum genuinis vel spuriis, vel pro stabiliendis factis historicis, sicut in saeculis post artis typographicae inventionem, in concesso

---

1 De Examinat. doctrinar., teste Prodromo col. 97, ubi col. 98 etiam sequens locus citatur.

2 Videtur esse S. Bonaventurae, et integram dabimus ad I. Sent. d. 27. p. I. q. 2.

3 Sufficiat hic dicere, quod de immaculata Virginis Conceptione iuxta sententiam tunc in scholis praevalentem agit III. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1, ubi inter alia dicit: « Nullius conceptionis solemnitatem celebrat Ecclesia nisi solius Filii Dei in Annuntiatione B. V. Mariae. Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, quos nec omnino laudare nec simpliciter audeo reprehendere ». Sed postea melius informatus, in Capitulo, Pisis 20 Maii 1263 celebrato, ipse hoc correxit et cum Capitulo decrevit, « ut nova festivitas admitteretur in Ordine Conceptionis B. V. Mariae ».

4 IV. Sent. d. 5. dub. 3.

5 Supplem. Bonelli tom. I. col. 479.

6 P. VI. c. 4.

7 Sess. VII. can. 1.

est apud omnes. Unde non est mirandum, quod etiam S. Bonaventura nonnulla apocrypha vel spuria scripta cum aliis sui temporis doctoribus receperit, vel saltem dubius de eis haeserit, et quod aliquas pias quidem et antiquas, sed falsas traditiones ad historiam spectantes non respuerit. Pluries tamen de similibus tantum hypothetice loquitur. Ita v. gr. IV. Sent. d. 20. p. I. dub. 3. non omnino respuit illam narratiunculam, quod anima Traiani precibus S. Gregorii ab inferis liberata sit. Nam dicit: « Si alicui unquam post mortem (Deus) dedit gratiam, intelligendum est, quod ille non erat damnatus per sententiam, sicut legitur de Traiano ». — Eodem fere modo de hac historia loquitur S. Thomas, Summ. Suppl. q. 71. a. 5. ad 5, nempe illud non affirmando, sed hypothetice explicando [1].

Ad rem bene dicit Bonelli [2]: « Dementia esset illam Doctoris nostri aevo exigere notitiam rerum, quae solummodo post saecula plura, post improbos criticorum labores postque innumera monumenta a tenebris vindicata tandem innotuerunt. Hinc Symbolum *Quicumque* tribuit S. Athanasio, *Opus imperfectum* in Matthaeum Ioanni Chrysostomo, plures libros Dionysio Areopagitae, libros de *Vita contemplativa* S. Prospero, opus de *Ecclesiasticis dogmatibus* et alium de *Fide ad Petrum* S. Augustino ». Etiam librum de *Causis* adhuc attribuit Aristoteli, et opusculum de *Hebdomadibus,* qui inscribitur etiam de *Paradoxis,* Boethio, quod etiam ab ipso Trithemio fit, cum videatur potius idem esse cum Alani *Maximis theologiae.*

Minime tamen omnis criticae artis expertem se ostendit S. Bonaventura. Ita librum de *Nativitate,* quem transtulisse ferebatur S. Hieronymus, non recipit dicendo [3]: « Quamvis sit apocryphus, continet tamen multa verissima ». Dubitavit etiam de authenticitate *Quaestionum novi et veteris Testamenti,* quas magister Petrus Lombardus inter opera S. Augustini recensuit, asseritque [4]: « Ibi multa sunt, quae non videntur verba Augustini ». Librum de *Anima et spiritu* plerumque laudat sub nomine S. Augustini, sed II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. ad 1. dicit: « Sive fuerit Augustinus, sive alius ». Denique librum de *Ecclesiasticis dogmatibus,* quem in Commentario attribuit Augustino, in Apologia pauperum (resp. III. c. 1.) vero suo auctori Gennadio Massiliensi restituit.

§ 6. *A multis aliis auctoribus opuscula scripta sunt ad illustrandum amplum S. Bonaventurae Commentarium. Agamus primo de ineditis.* — Plurimi codices ab ipso aevo S. Bonaventurae scripti inveniuntur in bibliothecis, qui modis diversis Commentarium S. Bonaventurae in compendium contrahunt. Multitudo similium operum est tanta, ut sufficienter inde probetur, in quanto pretio habitus sit illa aetate liber iste S. Bonaventurae. Nonnulla horum operum prolixum Commentarium simpliciter contrahunt, ut facilius comparari et studeri possit. Alii praeter sententiam S. Bonaventurae breviter expositam exhibent propriam vel aliorum opinionem. Alii tantum tabulas vel indices habent. Opera illa, quae a P. Fideli notata sunt, hic subiicimus, ordinando hos codices quoad fieri a nobis potuit. Primo loco ponimus opera, quorum auctor in codicibus nominatur, deinde anonyma secundum ordinem alphabeticum bibliothecarum, et ultimo loco aliquos codices, qui nonnisi tabulas vel locos citatos exhibent. Monemus autem lectorem, notitias, quas habemus, saepe non sufficere, ut certo determinare potuerimus, utrum diversi codices idem opus contineant, an diversum. Saepe enim in codicibus ista opuscula eodem modo incipiunt, sed alio modo desinunt, vel e converso; aut primus liber Sententiarum convenit cum alio primo libro, sed secundus vel reliqui minime conveniunt. Sed etiamsi codices aliis verbis incipiunt, hoc tamen non certo demonstrat, diversa haec continere opera, cum vel initium in uno codice omissum esse possit, vel in altero aliquid additum. Quod quam saepe in codicibus opusculorum minoris momenti accidat, norunt omnes experti. Unde non dubitamus, quod accuratiore instituto codicum examine, adhuc plura, praesertim ex anonymis quae sequuntur opusculis, ad unum idemque opus pertinere cognoscerentur.

1. *Alexander ab Alexandria,* sive Lombardus, primo lector sacri Palatii, deinde ab anno 1313 Minister Generalis Ordinis Minorum, plurimorum librorum auctor, de quibus videri potest apud Waddingum et Sbaraleam; mortuus Romae 1314.

Scripsit Summam quaestionum S. Bonaventurae in quatuor libros Sententiarum, cuius exemplar invenitur *Mediolani* in bibliotheca Ambrosiana, cod. B. 5. sup. membr. in 12., saec. XIV. Libr. primus *incipit: Alta profunditas, quis inveniet eam? Eccle. 7, 25.* Hic innuitur quadruplex causa libri Sententiarum. *Desinit* fol. 47. recto: Possum velle voluntate pietatis. Per hoc patet solutio ad obiecta. Fol. 48 recto incipit libr. secundus: *Fecit Deus hominem rectum, et ipse se immiscuit infinitis quaestionibus.* Eccle. 7. In verbo proposito clauditur tota intentio secundi Sententiarum. *Desinit* fol. 122 verso: dum non sunt contraria animae et regulae suae. Per haec solvuntur omnia, quia vera procedunt. Amen. Explicit. — Liber tertius *incipit* fol. 124 r.: *Cum venerit plenitudo temporis* etc. Hic duo principaliter quaeruntur: Primum est de Incarnationis possibilitate. *Desinit* fol. 174 r.: Sicut pennae in avibus, et rotae in curribus, et vela in navibus, quia sine illis multo graviores sunt. — Fol. 175 r. *incipit* quartus liber: *Altissimus creavit de terra medicinam. Eccli. 38.* Altissimus Deus Pater... De terra, id est utero Virginis... *q. 1.* Hic quaeruntur sex, scilicet, si Sacramenta debuerint institui etc. *Desinit* fol. 238 v.: Per propriam virtutem, ut supra dictum est in principio huius paginae... prohibentur. — Deinde sequitur tabula singulorum librorum, quae desinit fol. 248. Hinc a manu saec. XV., abrasis prioribus litteris, additur: Summa questionum sancti Bone venture super (hic manus antiquior prosequitur) quatuor libros Sententiarum in hoc volumine breviter reducta per venerabilem fratrem Alexandrum de Alexandria Ordinis Minorum.

Idem Opus invenitur etiam *Assisii,* biblioth. Conventus sancti Francisci, cod. membr. in fol., saec. XIV., sign. B. IX. 1. Continet autem tantum *quaestiones abbreviatas* ex I, II. et III. Sent. — Item *Neapoli,* bibliotheca Nationalis, Cod. membr. in fol., saec. XIV., sign. VII. C. 40: *Quaestiones abbreviatae* ex I. et II. Sent. — Item *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, cod. membr. in fol., saec. XIV., sign. V. D. 26. *Compendium* ex II. et IV. Sent. — Item *Parisiis,* bibliotheca Arsenalis, cod. membr. in 8. saec. XV., hoc titulo: *Breviloquium* super IV. Sent. — Item *Romae,* bibliotheca Societatis Iesu, cod. membr. in fol., saec. XIV.,

1 Cfr. Prodromus, col. 522.
2 Prodromus II. c. 12. col. 113.
3 IV. Sent. d. 28. a. 1. q. 6. — Cfr. de his Prodrom. col. 522 et 113.
4 III. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 3. ad 2.

continet: Quaestiones abbreviatae in I. II. III. Sent.; caret numero; sed praecedens cod. Parisien. sign. n. 3413.

2. Fr. *Henricus* Ord. Min., Lector in Turico, Helvetiae civitate (codd. nostri scribunt vel Thurico, vel Thurego, vel Thurago). Quis sit iste Henricus non audemus decidere. Est certe auctor saec. XIII, ut constat ex codice a nobis ultimo loco posito, qui est saec. XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis. Coniectamus autem, auctorem esse posse illum celeberrimum praedicatorem Henricum Gökelmann de Jsny, qui fuit confessarius et consiliarius Imperatoris Rudolphi I. de Habsburg, ab anno 1255-1286 Episcopus Basileensis, deinde Archiepiscopus Moguntinus († 1288). Quod hic fuerit Lector Moguntiae et Guardianus Lucernae, constare videtur. Quum autem saltem ab anno 1247 Conventus Minorum fuerit Turici, nihil obstat, quominus idem etiam ibidem per aliquos annos officio lectoris functus sit. Ipsum opus iudicio P. Fidelis satis bene elaboratum est.

Bergomi, biblioth. Civitatis, cod. Δ VIII. 3. membr. in fol., saec. XIV. circa medium, in Germania scriptus, ut videtur. Fol. 1. recto, col. 1. est tabula: Incipiunt questiones et problemata primi libri. Quid sit subiectum in hoc libro. Fol. 2. verso, col. 2: Expliciunt questiones et problemata primi libri. Questiones in universo sunt 230. Deinde fol. 3. r. col. 1: Incipit excerptum questionum Bone venture. Veritates questionum ex opere Bonaventure super librum Sententiarum pro modico intelligentie mee ad instantiam fratrum extrahere cupiens, brevitati studui in hunc modum. *Desinit:* voluntate conditionali non vult. Benedictus Deus. Explicit. Suscipe placatus, bone rex de virgine natus, *Henrici* munus, qui regnas trinus et unus. Deinde sequitur tabula II. libri et post eam: Secundus liber... de rerum omnium creatione. *Desinit:* in multis locis utilis est. — Sequitur tabula III. libri, qui *incipit:* Determinatum est etc. *Desinit:* Hec videtur sentire Augustinus et Hugo de S. Victore. Post tabulam super IV. librum hic *incipit:* Finitis per Dei gratiam tribus libris, in quorum primo etc. *Desinit* ut in S. Bonaventura. In fine legitur: Hec ego frater H. de ordine fratrum Minorum, eiusdem Ordinis in Thurego lector existens, ex opere Bonaventure abbreviando conscripsi, cupiens desiderio satisfacere pauperum in scripturis, ut qui integri voluminis copiam habere non possunt, saltem hanc abbreviationem habeant pro memoriali. Unde rogo ipsum lectorem pium, ut, si sibi quod erraverim alicubi videatur, ad opus integrum recurrat, et forsitan ibi me reperiet non errasse. Sed si nec hoc ei sufficit, mihi placet et peto, ut si que a me male intellecta aut certe incaute posita invenerit, in nomine Domini corrigat et emendet, mecum mercedem recipiens ab eo, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Idem opus invenitur *Berolini,* biblioth. Regia, cod. membr. fol. magn., saec. XV, sign. M. L. Fo. 355: *Veritates questionum ex opere Bonav. sup. librum Sent.* — Item, *Friburgi* in Helvetia, biblioth. Min. Convent., cod. chart., anni 1478, sign. 72: *Veritates questionum super librum Sententiarum.* Amplectitur quatuor huius operis libros. — Item, *Norimbergae,* biblioth. Civitatis, membr. in 8, saec. XIII. exeuntis et XIV. ineuntis, sign. Centur. IV. mss. VI. n. 48: *Veritates questionum ex opere Bonav. sup. libr. Sent.* Continet quatuor libros.

3. *Ioannes de Altzeya,* presbyter in Ratisbona. Utrum hic sit auctor, an tantum scriptor sequentium excerptorum, ignoramus. Scriptum hoc exstat *Colmar* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. chart., saec. XV. Continet II. Sent. *Incipit: Solummodo hoc inveni...* Sollicite consideranti. *Desinit:* Finiunt excerpta ex scriptis Bonaventure supra secundo Sent. per me Iohannem de Altzeya, presbyterum in Regensburg; Basileens. Dioeces. 1471.

4. *Ioannes de Erfordia* Ord. Min., Provinciae Saxoniae lector et doctor utriusque iuris, scripsit opus: *Tabula originalium,* iam laudatum in Summa Astesana, quae anno 1317 perfecta est; item, *Glossarium,* seu Vocabularium latinarum vocum, quae in Bibliis habentur, aliaque plura, ut videri potest apud Trithemium et Sbaraleam, praesertim vero compendium Commentarii S. Bonaventurae.

Hoc opus asservatur *Luneburgi* in Borussia, biblioth. Civitatis; inter codd. theolog. latinae n. 20, membr. in fol., saec. XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis. In asseri anteriore legitur: Ioannes Erphordiensis super primum, secundum et tertium Sententiarum, minorum doctor probatus. Liber primus *incipit:* Primo queritur, utrum theologia sit scientia. Secundus: Utrum sint plura principia, sicut Manichei dicunt. Tertio praemittitur prologus S. Bonaventurae, *Deus autem, qui dives est* etc. Deinde: Queritur, utrum divina natura potuerit uniri cum humana natura. *In fine:* Expliciunt scripta super tertium Sententiarum.— Item, *Lipsiae* in Saxonia, biblioth. Paulina, cod. membr. in fol. min., saec. XIV, sign. 556: *Questiones abbreviate super I. II. et III. Sent.* — Item, *Hafniae* in Dania, biblioth. Regia, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. 69: Questiones devoti doctoris Bonaventure *super II. Sent.* — Item, *Patavii,* biblioth. S. Antonii, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 128: *Questiones abbreviate in III. Sent.* — Item, *Parisiis,* biblioth. Nationalis, cod. membr. in fol., saec. XIII. exeunt., sign. 14308: *Questiones abbreviate super III. et IV. Sent. Incipit* tertius: *Cum venit plenitudo* etc. Quartus *incipit: Deus, docuisti me a iuventute mea. Desinit:* et sic continue rodit etc.

5. Fr. *Ioannes de Fonte* Ord. Min., Gallus. Sbaralea (Supplementum) cum Possevino dicit, eum floruisse circa annum 1483; sed ex aetate codicum apparet, attribuendum eum esse saec. XIV.

Seitenstetten in Austria, biblioth. Patrum Ord. S. Benedicti, cod. chart. in fol., saec. XV. ineunt., sign. CXCI: *Conclusiones super quatuor libros Sent.* — *Incipit:* Ad preces studentium, dum essem lector in Montepessulano... ego frater Ioannes de Fonte Ordinis minorum... *Desinit:* a principio facte, patent ex dictis. Deo gratias.

Item, *Colmar* in Alsatia, biblioth. Civitatis, cod. chart. in fol. min., saec. XIV. exeunt. et XV. ineunt., sign. 451: *Conclusiones super quatuor* etc. — Item, *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, biblioth. Patrum Ord. S. Benedicti, cod. membr. in 4, saec. XV, sign. 117: *Conclusiones* etc. — Item, in *Monasterio Ensidlensi* in Helvetia, biblioth. Conventus, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. 216: *Conclusiones* etc. — Item, *Herbipoli* in Bavaria, biblioth. Universitatis, cod. sign. 182: *Conclusiones...* — Item, *Lubeci* (Lübeck) in Germania, biblioth. Civitatis, cod. chart. in fol., saec XIV: *Conclusiones* etc. — Item, *Wratislaviae* in Borussia, biblioth. Universitatis, cod. chart. in fol., saec. XIV, sign. I. Clas. 197: *Conclusiones* etc. — Teste Sbaralea idem opus cum titulo *Conclusiones* exstabat *Lovanii,* biblioth. Societatis Iesu.

6. Fr. *Kiliani Ord. Minor.* — *Wratislaviae*, biblioth. Universitatis, cod. I. Clas. 186. chart. in fol., saec. XV, continet lecturam super III. et IV. Sententiarum. Fol. 1. r.: Liber tertius, distinctio I. *Cum venerit plenitudo temporis.* Hic incipit tertius liber sententiarum, in quo Magister tractat de Christo. *Desinit:*

fol. 77. r. col. 2: qui custodit legem, beatus est hic in spe et in patria in re. Amen. Explicit lectura venerabilis baccalarei formati in sacra pagina, fratris videlicet Kyliani Ordinis Minorum super tertium sententiarum anno Domini... Fol. 78: Liber quartus, distinctio 1, Samaritanus. Hic incipit liber quartus, qui est de Sacramentis. *Desinit* fol. 166. col. 2: introeundo portas celestis paradisi, quod nobis concedat crucifixus qui pro nobis, cum Patre et Spiritu sancto eternaliter benedictus. Amen. Volo autem scire legentes hec scripta super Sententias, quod quantum valui ac intelligere potui, vestigia ut communiter doctoris ordinis mei secutus sum. Quorum duo sunt precipue: unus in speculativis, ille Magister Ioannes Duns, natione Scotus; alius in positivis, videlicet devotissimus ille Dominus et frater Bonaventura Cardinalis. Quorum dicta ac sequacium eorum etsi non de verbo ad verbum semper posui, a sententia tamen ipsorum vel saltem unius de ipsis secundum.... meam non deviavi, addendo quandoque vel obmittendo, sive sententiam summando, sicut videbatur tenuitati ingenii mei expedire. Unde non te moveat, quod nominatim eos non allegavi toties quoties occurrebant, quia non superbie aut elationis titulo hoc factum est, sed pro tollendo legendi aliis et scribendi mihi taedio. Si quando vero mea vox parum insonuit , non ab nutibus predictorum patrum presumptuose recessit.

7. *Richardus Rufus* Ord. Min., Anglus. De hoc auctore non conveniunt scriptores. Sbaralea (Supplement. p. 635), citans Rodulphium et Possevinum, inclinat in opinionem, Richardum, qui scripsit Compendium Commentarii S. Bonaventurae, diversum esse a Richardo Ruys, qui secundum Possevinum scripsit *Commentarium* in libros Sententiarum et circa an. 1270 floruisse dicitur. Sed Commentarius citatus a Rodulphio et Possevino eodem modo incipit, sicut opus infra descriptum; quod etiam Commentarius vocari potest, quia praeter doctrinam S. Bonaventurae alias etiam opiniones tanquam probabiles saepe affert, ad quas in margine codicis non raro apponitur nota: *calumniosum, calumniam patitur*, vel etiam *insanissimum*. Magis placet sententia Antonii Voord (Histor. Universitatis Oxoniens. I. pag. 72), relata a Sbaralea, utrumque Richardum esse eundem.

Assisii, biblioth. Conv. S. Francisci, cod. membr. in fol. min., saec. XIII. exeunt., qui continet I. et II. librum. *Incipit: Altissimus creavit de terra medicinam.* Verbum istud scribitur Eccli. XXXVIII, quod etsi contineat verborum paucitatem etc. *Desinit:* et que sunt hec vel illa precise patet ex dictis. Liber II., qui immediate prosequitur, *incipit:* Creationem rerum etc. In hoc secundo libro principaliter intenditur de homine... *Desinit:* sicut ipse, qui est in malo obstinatus, a quo sumsit exordium omne malum. — Hi duo primi libri, qui tempore Sbaraleae in hac bibliotheca erant, nunc ibi non inveniuntur, sed tantum libri III. et IV. in cod. membr. in fol. min., saec. XIII. exeunt., sign. 36. Incipit: *Deus autem qui dives est* etc. Post prooemium: Hic queritur, utrum divina natura potuerit uniri cum humana: et videtur quod non... Liber IV. protenditur usque ad distinctionem XXV. et *desinit:* quia inseparabiliter est adiunctum exteriori Sacramento et quod potest per pecuniam. — Idem opus exstat etiam *Berolini*, biblioth. Regia, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. M. L. th. 48; sed habet tantum I. et II. Sent.

Anonymi.

8. *Ambianorum* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XIII. exeunt., sign. n. 234 continet compendium super I. Sent. *Incipit: Altissimus de terra creavit medicinam* (Eccli. XXXVIII. v. 4.). In his verbis singulariter expositis quatuor cause sacre Scripture connotantur... *Desinit*: quoniam hoc non est nature tantum, sed etiam rationis. — Auctor, quamvis omnia ex Commentario S. Bonaventurae sumserit et saepissime ipsius verbis usus sit, ordine tamen admodum immutato procedit. Initio praemittitur tabula quaestionum. Simile et fortasse idem opus est illud quod exstat in biblioth. civitatis *Dolensis*, quod continet praeter librum I. Sent. etiam II. et quod accuratius describitur infra n. 18.

9. *Assisii*, biblioth. Conv. S. Francisci, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. B. IX. 1: Questiones abbreviate in I. II. et III. Sent. I. liber *incipit: In medio et in circuitu sedis... Desinit:* quia possumus sancte et iuste velle oppositum. Liber II. *incipit:* Creationem rerum... iste secundus liber dividitur... In prima agit de hominis conditione. In secunda... *Desinit:* et ipse infinitis se immiscuit questionibus peccatorum, secundum quod series manifestat duorum librorum precedentium. Cui est honor et gloria, laus et imperium per infinita sec. secul. Amen. Liber III. *incipit* absque titulo: *Cum igitur venit plenitudo temporis* etc. Liber iste tertius dividitur in partes duas. In prima Magister determinat de vita... *Desinit* verbis ipsius S. Bonaventurae: et mandata dedit secundum quod in hoc libro explanatum est. Sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.

10. *Assisii*, biblioth. Conv. S. Francisci, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. B. X. 12. Compendium in IV. Sent. *Incipit:* Samaritanus iste... *Desinit:* ad quam nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

11. Item, *Basileae* in Helvetia, cod. miscell. plurium aetatum, scilicet saeculor. XIII. XIV. et XV, sign. B. X. 26. Compendium ex IV. Commentarii. *Incipit:* Utrum Sacramenta debuerint institui... *Desinit:* dolorem spiritualem requiruntur.

12. Item, *Brugis* in Belgio, biblioth. Civitatis, cod. membr. in 8, saec. XIII, sign. 174. Quaestiones super III. et IV. *Incipit* III. liber in superiore marg.: Prima questio. Utrum divina natura potuerit uniri cum humana natura... *Desinit:* quanto aliquid durius comedit, magis debilitatur et gravatur. Responsio ad obiecta patet. Liber IV. *incipit:* Utrum Sacramenta debuerint institui. *Desinit:* non oblatione novi.

13. Item, *Cantabrigae* in Anglia, biblioth. Domus S. Petri, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 1. 2. 0: Questiones super quatuor libros Sent. Liber I. *incipit:* De uti primo queritur, cum sit actio... Liber II. *incipit:* De creatione primo queritur... Liber III. *incipit:* Utrum divina natura potuerit uniri cum humana... Liber IV. *incipit:* Samaritanus... Primo queritur, quid sit Sacramentum... *Desinit:* melius patuit et in questione de igne infernali.

14. *Ibidem*, codex sign. 1. 7. 9. continet quatuor libros abbreviatos et divisos per capita. *Incipit* c. 1: Veteris ac nove Legis continentiam etc... *Desinit* liber IV: a facie exorsus sedentis per media ad pedes usque via duce pervenit.

15. *Carnuti* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in 8, saec. XIV ineunt., sign. n. 259. $\frac{G.}{2}$: Conclusiones in quatuor libr. Sent. *Incipit* liber I: Cupientes etc. Questio prima. Utrum preter doctrinas philosophicas sit necessaria etc. *Desinit...* per comparationem ad naturam patientis. Liber II. *incipit:* Creationem rerum etc. Utrum sint plura prima principia. *Desinit:* et in his Prelato obedire necesse est. Liber III. *incipit: Cum venit igitur* etc. Questio prima. Utrum congruum fuerit, Deum

incarnari. *Desinit:* per beneficia et speranda. Liber IV. *incipit:* Samaritanus interpretatur custos etc. Questio prima. Utrum sacramenta fuerint necessaria *Desinit...* ignis ille est turbidus et fumosus et feculentus. Explicit. Denique additur: conclusiones fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum super quatuor libros sententiarum, optimum opus.

Eaedem *conclusiones* sunt Florentiae, biblioth. Mediceo-Laurentiana. Cod. Aedil. LXIX. chart. in fol. grand., saec. XIV. et XV. Secunda manus praemisit: Itinerarium S. Thome seu Bone venture. Ad calcem quarti libri: Explicit itinerarium S. Thome, secundum alios Bone venture... Anno Domini 1442.

16. *Cesenae* in Italia, biblioth. Malatestiana, cod. membr. in fol., saec. XIV. circa medietatem, sign. plut. XVIII. III. Summa I. II. et III. Sent. *Incipit* I. liber: Veteris ac nove etc. Queritur de subiecto theologie, et quod sit Deus... *Desinit:* quia ordinavit eam ad redemptionem nostram, ut dictum est... Liber II. *incipit:* Creationem rerum insinuans etc. Circa istam distinctionem queritur primo, utrum mundus sit eternus... *Desinit:* que non sunt contra animam et regulam suam. Liber III. *incipit:* Circa principium tertii queruntur quatuor. Primo queritur de possibilitate Incarnationis... *Desinit:* et laboris presentis continuationem nobis concedat etc.

17. *Darmstadii* in Germania, biblioth. Ducalis, cod. chart. in 8, saec. XV. exeunt., sign. 95. Excerpta super II. III. et IV. Sent. *Incipit:* De creationis statu et casu Angelorum. Utrum in primo instanti creationis sue Angelus... *Desinit:* sed plus ascendet quam aqua diluvii.

Idem opus exstat etiam *Alba-carolinae* (Karlsburg) in Transilvania, biblioth. Cathedralis, cod. chart. in fol., saec. XIV. exeunt. et XV. ineunt., sign. I. 5. III. 5. Commentarium in II. III. et IV. Sent. Liber II. *incipit:* Queritur, utrum Angelus in primo instanti creationis sue... *Desinit:* invidentia fraterne caritatis. *Sequitur III. liber:* Queritur, que sit precipua causa Incarnationis. Resp.: Reparatio humani generis... *Desinit:* ad agendum vel patiendum persone. *Deinde immediate:* Queritur, utrum Sacramenta debuerint institui. Resp.: Institutio Sacramentorum... *Desinit:* omnia peccata memorabuntur, ut continue simul torqueantur. — Item, *Lambaci* in Austria superiore, biblioth. Patrum Ord. S. Benedicti, cod. membr. in 4, saec. XIV. ineunt., sign. 132, Quaestiones ex II. III. et IV. Sent. — Item, *Monachii* in Bavaria, biblioth. Regia, cod. membr. in fol. min., saec. XIV, sign. C. L. M. 4647, Quaestiones sumtae de II. III. et IV. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in fol., saec. XV, sign. C. L. M. 4701, Quaestiones excerptae de II. — *Ibidem,* cod. chart. in fol., saec. XV, sign. C. L. M. 5861, Quaestiones super II. III. et IV. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in 4, saec. XV, sign. C. L. M. 8986, Quaestiones abbreviatae in II. III. et IV. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in 4, saec. XV, sign. C. L. M. 11740, Quaestiones abbreviatae in II. et III. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in 4, saec. XV, sign. C. L. M. 11751, Quaestiones abbreviatae in II. Sent. — *Ibidem,* cod. membr. in fol. min., saec. XIV, sign. C. L. M. 16090, Quaestiones abbreviatae in II. III. et IV. — *Ibidem,* cod. chart. in 4, saec. XIV, sign. C. L. M. 18728, Quaestiones abbreviatae in II. Sent. — *Ibidem,* biblioth. Universitatis, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. 33, Quaestiones abbreviatae in II. Sent. — Item, *Oenoponti* in Tirolo, biblioth. PP. Praemonstratensium in Wiltin, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. XXXII. B. 4, Quaestiones excerptae ex II. Sent. — Item, *Parisiis,* biblioth. Nationalis, cod. membr. in fol. min., saec. XIII, sign. 13472: Solutiones questionum ex IV. Sent. — Item, *Romae,* biblioth. Vaticana, cod. Palat. chart., saec. XV, sign. 438, Quaestiones super II. III. et IV. Sent. — Item, *Sancti Floriani* in Austria, biblioth. Monasterii, cod. chart. in fol., saec. XIV. exeunt., sign. XI. 103: Compendium in II. III. et IV. Sent. — *Ibidem,* cod. chart. in fol., saec. XIV. exeunt., sign. XI. 25. Continet II. III. et IV. Sent. — Item, *Treviris* in Borussia, biblioth. Publica, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 435: Excerpta ex II. III. IV. Sent.

18. *Dolii* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in 8, saec. XIII. exeuntis, sign. n. 56. Primus Bonaventure abbreviatus. *Incipit:* Queritur de causa finali, et dictum est etc. Liber II. *incipit:* Creationem rerum etc. Queritur hic de exitu rerum in esse. *Desinit:* sententia pastoris sive iusta sive iniusta tenenda est. Ceteri libri desiderantur in codice.

19. *Florentiae,* biblioth. Nationalis, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 218. D. 5, olim Conv. S. Crucis Fr. Minor. n. 288. Continet compendium in librum III. Sent. *Incipit: Cum igitur plenitudo temporis* etc. *Desinit:* et multiplicat sibi meritum et consolamen. Explicit liber Sententiarum tertius fratris Bonaventure. Deo gratias. Amen.

Idem opus habetur *Viennae* in Austria, biblioth. Palatina, cod. membr. in fol., saec. XIV. ante medium, sign. 1573. *Incipit:* Bonaventura super tertium Sententiarum... *Cum igitur plenitudo* etc. *Desinit:* expliciunt questiones principales tertii libri Bonaventure. Deo gratias. Amen.

20. *Florentiae,* biblioth. Nationalis, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 225. B. 9: Veritates summarie librorum Bonaventure super Sententias. Fol. 2. r. a prima manu praemittitur: Veritates summarie librorum Bonaventure et aliorum super Sententias. *Incipit:* Que sit causa finalis, quia ut boni fiamus. *Desinit:* tenetur enim homo ad hoc etiam sine iudicio sacerdotis.

21. *Florentiae,* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 360. B. 5. Continet librum IV. Sent. S. Bonav. abbreviatum. *Incipit:* Samaritanus vulnerato etc. Dividitur iste liber in duas partes, in quarum prima etc. *Desinit:* post plenam punitionem, que erit post iudicium, a qua nos custodiat qui cum Patre etc.

22. *Florentiae,* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 507. A. 2. Continet *Extractiones* ex I. et II. Sent. S. Bonav. *Incipit:* Questio I. Queritur, quid sit subiectum in scientia. *Desinit:* et sic non habent ideam in Deo. Liber II. *incipit:* Questio I. Utrum res habeant principium causale. *Desinit:* vel possint esse plures.

23. *Florentiae,* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. 846. G. 3. *Incipit:* liber I. a peritissimo Parisius exceptatus. Quoniam sicut dicit Hugo de sancto Victore, natura hominum. Fol. 16. *incipit* II. liber: *Solummodo hoc inveni* etc. Libri III. et IV. in hoc codice desunt.

24. *Hafniae* in Dania, biblioth. Regia, cod. 1363. membr. in fol., saec. XIII. exeuntis, continet conclusiones in IV. Sent. *Incipit:* Queritur, quid sit Sacramentum. Resp. Augustinus de Civ. Dei et in littera. *Desinit:* ipso ad suscipiendum nos disponente, qui est benedictus in secula. Amen.

25. *Alba-carolinae* (Karlsburg) in Transilvania, cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. G. 5. VI. 31. Fol. 105. r. col. 2. legitur: Incipiunt veritates questionum Bonaventure super quartum Sententiarum de Sacramentis et remuneratione finali. Deinde *incipit:* quartus liber de Sacramentis, et primo de Sacramentis

in genere. Queritur autem primo, quid sit signum, quia omne Sacramentum est signum. *Desinit* fol. 193: et ideo remota illa actione remanent incorruptibiles. Scriptor scribebat, pennam palma retinebat. Sequitur tabula quaestionum.

26. *Londini*, biblioth. Regia, cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. 18322, olim monasterii Montis sancti Georgii, continet Quaestiones cum problematibus. *Incipit* fol. 3: Circa quartum librum Sententiarum primo queritur, quid sit Sacramentum. Dicendum, quod Sacramentum quatuor modis. *Desinit:* qui ad gaudia nos secum trahit eterna, ad que nos perducat Iesus Christus. Amen. Expliciunt extractiones super quartum librum Sententiarum continentes veritatem.

27. *Medelcii* in Austria, biblioth. Patrum S. Benedicti, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. A. 6, in quo fol. 3. legitur: Questiones breves per modum conclusionum Domini Bonaventure super primo Sententiarum, quam tabellam seu registrum sui operis principalis super librum Sententiarum intitulat, eo quod hic questionum titulos modo et ordine principalis operis sui portiones questionum annotavit. Questio prooemialis: Utrum docere sit solius Dei. Actus docendi ut ab... *Desinit* fol. 48. v.: eorundem revocatoria in te placide determinetur. Amen. Expliciunt questiones per modum tabule. Fol. 49. r.: Secundi libri distinctionis prime questio prima, utrum aliquid sit eviternum Deo. Primum imperante bonitate... *Desinit* fol. 98. v.: simplici et solide innitantur veritati. Fol. 99. r.: Tabula per modum registri super tertium Sententiarum Domini Bonaventure. Distinctio prima. An natura divina sit unibilis humane. Veneranda est sacratissima unio... *Desinit* fol. 136. r.: et de vita gratie, quam nobis per virtutem donorum et mandatorum observantiam impendit. Explicit tabella per modum registri super tertium Domini Bonaventure secundum titulos questionum in vero scripto suo super Sententiis positos per ordinem. — Fol. eodem v.: Libri Bonaventure de Sacramentis. Queritur, utrum Sacramenta debuerint institui. Respondeo: Institutio Sacramentorum Deum decuit. *Desinit* fol. 175.v.: mali simul omnia peccata memorabuntur, ut continue torqueantur.

28. *Moguntiae*, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign.: chart. 363. Continet quaestiones abbreviatas ex commentariis sancti Bonav. super quatuor libros Sent. *Incipit* circa finem codicis: Queritur, utrum in Deo (sit ponere) essentie seu natûre unitatem. Et quod sic, videtur ratione ostensiva etc. Amplectuntur hae quaestiones folia 35 cum dimidio. Postea sequuntur quaestiones aliorum pariter abbreviatae.

29. *Monachii*, biblioth. Regia, cod. chart. in fol. min., saec. XIV, sign. C. L. M. 5959. Continet quaestiones abbreviatas super primum tantum Bonaventurae. *Incipit* fol. 1. r.: Cupientes aliquid de penuria etc. Huic operi Magister premittit prooemium. *Desinit* fol. 94. r.: a quo omnia et finis, ad quem ordinantur omnia, cui est honor et gloria, decus et imperium in secula seculorum. Amen. Sequitur tabula quaestionum, sed incompleta.

Idem opus habetur *Tuderti*, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol. min., saec. XIV. ineuntis, sign. 33. Habet commentarium sancti Bonav. in primum librum Sententiarum passim abbreviatum. *Incipit* fol. 2. r.: Cupientes aliquid etc. Premittit Magister huic totali libro etc. *Desinit* fol. 83. r.: explicit hic primus Sententiarum. Explicit expliciat, ludere scriptor eat.

30. *Monachii*, biblioth. Regia, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. C. L. M. 11414. Continet secundum Sententiarum sancti Bonav. abbreviatum, cui fol. 1. r. praemittitur tabula quaestionum, et fol. 11. r. col. 2. *incipit: Dominus sapientia fundavit terram. Desinit* fol. 329. r.: et ideo malum dicitur corruptio istorum aequaliter.

31. *Neapoli*, biblioth. Nationalis, cod. membr., saec. XIV, sign. VII. D. 5. Extra in vitta membranacea tabulae affixa legitur: Bonaventura super primum et secundum Sententiarum, et tertius et quartus Scotelli de Aquila. *Incipit* fol. 1: Cupientes aliquid de penuria, videlicet, queritur de hoc quod dicit opus... Fol. 66. *incipit* secundus liber: Creationem rerum. Ad intelligentiam eorum, quae in hac parte etc.

32. *Parisiis*, biblioth. Arsenalis, cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 619. Continet compendium quatuor librorum Sententiarum ex Commentario sancti Bonaventurae excerptum. *Incipit:* Veteris ac nove Legis etc. Hic queruntur duo principaliter 1. de fruitione; 2. de uti. *Desinit* liber quartus verbis ipsius Bonaventurae: et *nos apparebimus cum ipso in gloria*, ad quam nos perducat Iesus Christus, Filius Dei precibus beate Marie et adiutricis nostre, cui est benedictio etc.

33. *Parisiis*, biblioth. Nationalis, cod. membr., saec. XIII, sign. 14307. Continet abbreviatam expositionem in I. et II. Sent., decerptam ex Commentario sancti Bonaventurae. *Incipit* fol. 1. r. col. 1: *Deus, docuisti me a iuventute mea...* verba ista scripta sunt in Psalmo. Commentarius vero *incipit:* Antequam accedatur ad formam tractatus, quedam communia possunt dubitari. *Desinit* fol. 135: loquitur de peccatoribus adhuc existentibus in via, non in vie termino, id est in inferno. Liber II. *incipit* fol. 136: *Mirabilia testimonia tua...* Questio I. Utrum res create etc. *Desinit* fol. 252: et in iis que nec contraria sunt anime nec sue regule.

34. *Parisiis* ibid., cod. membr. in fol. min., saec. XIII, sign. 16417. Continet quaestiones abbreviatas in librum IV. Sententiarum sancti Bonav. *Incipit* fol. 1. r.: Queritur de hoc quod dicit, in duobus consistit Sacramentum. *Desinit* fol. 22. r.: illa tamen tentatio, que est carnis a nullo est appetenda.

35. *Parisiis* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIII. et XIV, sign. 3085. Post Comment. sancti Bonav. in librum I. Sententiarum continet dubitationes litterales abbreviatas ex Commentario IV. libri eiusdem sancti Doctoris. *Incipit* fol. 140. r. col. 1: Incipiunt questiones litterales quarti libri cum divisione littere. Samaritanus etc. Liber iste habet duas partes. *Desinit* vel potius deficit fol. 143: characteris impressione.

36. *Patavii*, biblioth. Sancti Antonii, cod. membr. in fol., saec. XIV. ineuntis, sign. 126. Fol. 1. r. in margine super. manus saec. XVIII. scripsit: S. Bonaventurae liber secundus Sent. abbreviatus. *Incipit:* Creationem rerum insinuans etc. Supra egit Magister in primo libro. *Desinit:* quos per perfectam paupertatem, continentiam et obedientiam ad celestem perducat gloriam in s. s. Amen.

37. *Pragae*, biblioth. Universitatis, cod. IV. H. 14. chart. in 4, saec. XIV. Quaestiones abbreviatae ex quarto Sent.

38. *Pragae*, biblioth. Capituli Metropolitani, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. A. LXXXVII. Continet multa ex Commentariis sancti Bonaventurae et aliorum excerpta. *Incipit: Gloria Dei celare verbum et gloria regum investigare sermonem.* Prov. XXV. Verbum Dei Patris eternaliter a Patre etc. *Desinit:* sua maiestate implevit et ornavit, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit scriptum extractum de diversis ope-

ribus magistrorum, scilicet Bonaventure, Thome et Petri cum magno labore et vigiliis et sollicitudinibus.

39. *Romae*, biblioth. Vaticana, cod. membr. in 8, saec. XIV. ineuntis, sign. 919. Continet quatuor libros super Sententias abbreviatos, ut innuit sequens inscriptio posita fol. 74: Bonaventura super quatuor libros Sententiarum abbreviatus. *Incipit:* Quod theologia est de rebus. *Desinit* fol. 189: et sic patent ea que queruntur circa quartum librum.

40. *Romae* ibid., cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 914. Continet II. et III. Sententiarum sancti Bonaventurae abbreviatos. *Desinit* fol. 138: ad vindictam malorum, laudem vero bonorum et gloriam Dei, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Finito libro sit laus et gloria Christo.

41. *Romae* ibid., cod. 928. Continet compendium in II. librum Sententiarum. *Incipit: Qui vivit in eternum creavit omnia simul.* His verbis opus creationis sufficienter exprimitur.

Idem opus videtur esse *Taurini*, biblioth. Universitatis, cod. in fol., saec. XIV, sign. D. III. 28. Continet excerpta ex II. et III. sancti Bonav. Fol. 18. r. col. 1. *incipit:* primus (sic) liber Bonaventure. *Qui vivit in eternum creavit omnia simul.* Verbum istud scribitur etc. Queritur, utrum mundus fuerit ab eterno. *Desinit:* explicit secundus Bonaventure exceptatus (sic). III. liber *incipit: Deus autem, qui dives est* etc. *Desinit:* explicit tertius Bonaventure exceptatus.

42. *Romae*, biblioth. Casanatensis, cod. membr. in 8, saec. XIV, sign. A. V. 1. Opus abbreviatum ex Comment. in quatuor libros Sent. *Incipit:* Veteris ac nove legis etc.

43. *Taurini*, biblioth. Universitatis, cod. membr. in 4, saec. XV, sign. E. V. 48, cuius *initium:* Summa Bonaventure in I. Sententiarum. Commendat autem Dominus caritatem suam etc. *Desinit:* consentiendo et in actum progrediendo.

44. *Trecis* (Troyes) in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol. minore, sign. 829, continet compendium in IV. librum Sententiarum. *Desinit* verbis sancti Bonaventurae: tunc videbimus, amabimus et laudabimus, cum apparebit Christus vita nostra, et nos apparebimus etc.

Nota. In eadem bibliotheca est cod. membr. in 8, sign. 1862, qui sub nomine S. Bonaventurae refert commentarium in III. et IV. Sent.; sed auctor eius est Odo Rigaldus Ord. Min., Archiepiscopus Rothomagensis.

45. *Tuderti*, biblioth. Communalis, cod. membr. in 8, saec. XIV ineuntis, sign. 137. Continet inter alia abbreviationes Commentarii sancti Bonav. super III. et IV. Sententiarum. *Incipit* fol. 83: Natura divina potuit uniri cum humana etc. *Desinit* fol. 121. Deinde prosequitur quartus: Samaritanus etc. Queritur, utrum Sacramenta debuerint institui. *Desinit* fol. 244. r.

46. *Turonis* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. chart. in 8, saec. XV, sign. 409. Fol. 38. r. refert excerpta ex II. libro Sententiarum sancti Bonaventurae.

47. *Venetiis*, biblioth. sancti Marci, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. clas. III. 93. Initio praemittitur: in isto volumine continentur II. et III. Bonaventure ordinis minorum Presbyteri Cardinalis, quorum principia mutata sunt ab aliquo invido. *Incipit: Sapiens mulier aedificat domum* etc. Questio I. Ad maiorem evidentiam eorum, que hic dicuntur de exitu rerum in esse. *Desinit* fol. 65. v.: isti ergo beatissime Trinitati sit sempiterna laus et gloria pro fine huius libri. Amen. Sequitur tabula quaestionum. Tertius liber *incipit* fol. 68. r.: *Veritas de terra orta est* etc. Questio I. Ad maiorem evidentiam... utrum divina natura uniri potuerit cum humana. *Desinit* fol. 134. r.: hoc autem in quarto libro plenius declarabitur, adiuvante gratia Iesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto pro fine huius libri sit honor et gloria cum laude perenni. Amen.

48. *Viennae* in Austria, biblioth. Palatina, cod. chart. in fol., miscell. saec. XIV. XV. et XVI, sign. 3872. Fol. 209. r. (charact. saec. XVI.) habet: Ex primo Sententiarum secundum Doctoris Seraphici palestram ac subtilissimi Scoti annotatio compendiosa. *Incipit: Fluvius egrediebatur de loco voluptatis.* Haec annotatio prosequitur etiam in librum II. et IV. Sententiarum.

49. *Viennae* in Austria ibid.; cod. chart. in fol., saec. XIV, sign. 4363. Continet: Determinationes de Sacramento Eucharistiae ac poenitentiae etc. ex Comment. in IV. Sent. S. Bonaventurae.

50. *Voravii* (Vorau) in Stiria, biblioth. Canonic., cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. CXCV., continet: Questiones Bone Venture super IV. librum sententiarum.

Indices sive tabulae super Commentarios S. Bonaventurae.

51. *Bonaventura a Cin ribus*, Italus, scripsit tabulas super Commentarium S. Bonaventurae. Mentionem ipsius faciunt Rodulphus (III. ad an. 1586), Waddingus, Sbaralea. Waddingus asserit, eum praeter tabulam uberrimam in omnia opera scripsisse: *Epitomen* operum Bonaventurae. Sed iste Bonaventura videtur tantum scripsisse duplicem tabulam, quae exhibetur in codice Senensi. Auctores citati saeculum, quo ille floruit, ignorant; sed ex codicibus constat, eum vixisse saltem non post saeculum XIV. medium.

Senis in Tuscia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. F. V. 19. Continet tabulas super libros Sententiarum, compilatas a fratre Bonaventura de Cineribus. *Incipit* fol. 137: Incipit super primum fratris Bonaventure. In fine tabulae tertii libri legitur: Explicit tabula edita a fratre Bonaventura de Cineribus ordinis Minorum super tertium fratris Bonaventure de Ordine supradicto.

Tabulae in singulos libros sancti Bonaventurae praemittitur index rerum, quae discutiuntur a doctoribus tum super libros Sententiarum, tum in theologicis quodlibetis; estque exaratus ab eadem manu saeculi XIV. et, ut videtur, ab eodem auctore editus, scilicet Bonaventura de Cineribus. *Incipit* fol. 1. r.: Abstinentia (absolutio) a culpa. Utrum quilibet sacerdos possit quemlibet absolvere. *Desinit* fol. 136. v.

Idem opus invenitur *Tuderti*, biblioth. S. Fortunati, cod. membr. in fol., saec. XIV, sign. 14. Continet tabulam alphabeticam rerum et pro unaquaque re plures quaestiones, ad quarum singulas citantur auctores, inter quos saepe Bonaventura et saepius Thomas. *Incipit* a verbo: absolutio. *Desinit:* verbo Xps.

Idem opus etiam habetur *Hispali* in Hispania, bibliothec. Columbina Capituli, cod. membr. in fol. minor., saec. XV, sign. tab. 130. n. 35., in quo exarata est tabula, alphabetico ordine disposita, super quatuor libros Sententiarum. Ad calcem legitur: A. de Solucar manu propria.

Idem opus invenitur *Monachii*, biblioth. Regia, cod. L. chart. in fol., saec. XV, sign. 22110. Continet quaestiones in II. et III. Sententiarum. Fol. 128. v.: Incipiunt capitula et rubrice secundi libri questionum Bone venture Cardinalis minorum fratrum existens: *Desinit* fol. 173. v.: Expliciunt capitula et rubrice secundi et terti libri sententiarum questionum Bona-

venture Cardinalis ordinis minorum frater existens per me Conradum Bernhartt de Aicheberg, Plebanum in Oggar, licet indignum, anno Domini 1460, in die sancte Prisce virginis et martyris. Deo gratias.

Simile opus habetur in eadem biblioth., cod. membr. in fol., saec. XIV. et XV, sign. n. 8005, pluribus manibus exarat. Fol. 135. v. col. 2. usque ad fol. 157. continet titulos quaestionum super libr. I. II. et III. Sent. ex opere sancti Bonaventurae extractos quorum *initium:* Incipiunt tituli primi libri Bonaventure. *Finis:* Explicit tertius liber Bonaventure. —

Tandem mentionem facimus sequentis opusculi, in quo plura excerpta quaestionem specialem tractantia ex Seraphico Doctore exhibentur.

52. *Carolopoli* (Charleville) in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. membr. in 4, saec. XIV, sign. n. 47, continet excerpta ex libro IV. Commentarii. — Item, *Leodii* in Belgio, biblioth. Seminarii maioris, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. 6. g. 23.

53. *Wratislaviae*, biblioth. Universitatis, cod. chart., saec. XV, sign. I. clas. oct. 13. Fol. 1. r. *incipit:* prologus Magistri Mathie de Ianaw super XXVIII doctores pro quotidiana seu crebra communione corporis Christi a plebeis christianis. Anno Domini 1460. Fol. 25. v.: Determinatio Vener. Magistri Bonaventure. — Item, *ibidem*, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XV, sign. I. 9. — Item, *ibidem*, biblioth. Cathedralis, cod. chart. in 4, saec. XV, sign. D. III. 1. *Incipit* fol. 144. v. — Item, *Vindobonae*, biblioth. Palatina, cod. ms. chart. in fol., saec. XV, sign. 4363, sub fine una cum determinationibus de Sacramento Poenitentiae ex IV. Sententiarum sancti Bonaventurae. — Item, *Graecii* in Stiria, biblioth. Universitatis, cod. chart. in fol., saec. XV, sign. 347, post medium, et cod. chart. in fol., saec. XV, sign. 492. similes habent *determinationes* ex eodem libro sancti Bonaventurae.

His opusculis subiungimus antiquum indicem locorum, in quibus dissentiunt S. Thomas et S. Bonaventura. Licet hoc documentum nihil contineat, quod non sit compertum, tamen haud ingratum fore confidimus antiquitatis amantibus. Invenitur tum *Romae*, biblioth. Burghesiana, cod. membr. in fol., saeculi XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis, sign. 19., et *Luneburgi* in Germania, biblioth. Civitatis, cod. membr. in fol., saec. XIII. vel XIV. ineuntis, sign. *Theol. 20 in fol.* Textum exhibemus secundum cod. Burghesianum, adiectis intra uncinos alterius codicis lectionibus variantibus, quae sunt alicuius momenti.

Haec sunt loca, in quibus dissentiunt frater Bonaventura et frater Thomas in primo libro super Sententias [In his dissentiunt Thomas et Bonaventura super Primum.].

1. Utrum theologia sit scientia speculativa, vel practica, in prologo.

2. Utrum malo contingat uti, prima d.

3. Utrum potentiae animae sint ei substantiales, vel accidentales, d. 3.

4. Utrum potentia generandi dicat *quid*, vel *ad aliquid*, d. 7.

5. Utrum potentia generandi et creandi dicantur univoce, vel [aequivoce, et] quae per prius, d. 7.

6. Utrum ratio vestigii sit in accidentalibus [accidentibus] vel solum in substantialibus [vel in substantiis], d. 3. in Bonaventura circa litteram, in Thoma d. 3.

7. Utrum modus, species et ordo et cetera talia sint essentialia in creaturis vel accidentalia, d. 3. in Bonaventura, in solutione illius quaestionis [argumenti]: *utrum potentiae animae sint ei* [deest *ei*] *substantiales.*

8. Utrum anima rationalis sit composita ex materia et forma, d. 8. Bonaventura sic, Thomas non [verba post. d. 8. desunt].

9. Utrum generatio et processio dicantur de Spiritu Sancto et non de Filio, d. 13.

10. Utrum caritas augeatur per additionem vel depurationem, d. 17.

11. Utrum augmentum caritatis habeat terminum, d. 17.

12. Utrum donum dicatur tantum personaliter, d. 18.

13. De differentia inter essentiam, subsistentiam [substantiam], hypostasim et personam, d. 23.

14. Utrum hoc nomen *unus* dicatur positive, vel privative, d. 24.

15. Utrum hoc nomen *persona* significet substantiam, vel relationem, d. 25. in Bonaventura, in Thoma d. 23.

16. Utrum persona sit nomen commune in divinis, diversitas in modo quantitatis, d. 25. in Bonaventura, 26. in Thoma.

17. Utrum Pater sit Pater quia generat, vel generat quia Pater, d. 27. in Bonaventura, 26. in Thoma.

18. Utrum verbum in divinis dicatur semper [deest *semper*] personaliter, d. 27.

19. Utrum aequalitas in divinis aliquid ponat. d. 31.

20. Utrum Pater diligat se Spiritu Sancto, d. 32.

21. Utrum Angeli sint in loco definitive [deest *definitive*] et quomodo definitive, d. 37.

22. Utrum Angelus movendo se de loco [deest *loco*] ad locum, pertranseat [additur *necessario*] medium, d. 37.

23. Utrum Angelus pertranseat medium subito, vel successive, d. 37.

24. Utrum antecedens istius conditionalis: *Si Deus praescivit, ergo erit*, sit contingens vel necessarium, d. 38.

§ 7. *Etiam libri typis mandati non desunt, qui Commentarios S. Bonaventurae data opera explicant vel eius doctrinam tradunt.* Eorum qui nobis innotuerunt elenchum hic exhibemus.

1. *Gulielmus Vorilongus* (alias Vurrilonis, Vorlion), doctor Parisiensis, scripsit: In quatuor libros Sententiarum iuxta doctrinam S. Bonaventurare et Scoti. Lugduni 1484, fol.; ibidem 1489, fol. (Iohannes Trechsel); Parisiis 1503; Venetiis 1496 et 1519 (Ioh. de Leucho, impensis Lazari de Soardis). Tanti habebatur eius doctrina, ut cum controversia de sanguine Christi coram Summo Pontifice Pio II. inter Minores et Praedicatores disputaretur, a Ministro Generali ex Gallia vocatus fuerit Romam, ut sententiam Minorum defenderet. De eo quod a. 1460 passus sit, loquitur epistola Petri Chambonis in libro *Firmamenta* trium Ordinum S. Francisci, P. IV. circa finem, (ed. Paris. 1512). Obiit Romae a. 1464, sepultus ad Aram Caeli. In isto tamen Commentario Scoti potissimum doctrinam sectatur.

2. *Stephanus Brulifer* (Brulever) Ordinis Minorum, scripsit Reportata in IV. libros S. Bonaventurae. Patria fuit Maclofiensis in Britannia Armorica, doctor Parisiensis, Gulielmi Vorilongi auditor et per aliquot annos rector studii in conventu Minorum Moguntino, plurium librorum auctor, quos enumerant Waddingus et Sbaralea. Mortuus est circa annum 1499. Primum librum Commentarii Bonaventuriani Moguntiae elucidavit an. 1490; deinde brevius secundum, tertium et quartum Metis. Post eius mortem quidam eius discipuli ea, quae ex ore ipsius in scholis exceperant,

typis mandarunt Basileae apud Iacobum de Pforzheim an. 1501, et iterum an. 1507, in quarto. Prodiit hic liber etiam Venetiis apud Lazarum de Soardis an. 1504, in quarto, et Parisiis an. 1521, in octavo, per Franciscum Regnaut, teste Ioanne a S. Antonio (Bibliotheca Franciscana, pag. 80), qui tamen errat, attribuendo haec Reportata cuidam Fr. Sanctovillae Mediolanensi. Iterum Parisiis an. 1570 idem opus prodiisse affirmat P. Bonelli (Prodrom. col. 308). Ad calcem huius libri impressum est aliud eiusdem Bruliferi opusculum de Formalitatibus Scoti, textum Scoti cum « commento perlucido » exhibens. — In his Reportatis ad singulas quaestiones praemittuntur variae definitiones et axiomata secundum scholam Scotisticam; deinde responsio Seraphici ad quaestionem distinctis propositionibus enucleatur, interdum etiam solutio obiectorum breviter explicatur. Licet auctor Scotisticae doctrinae sit addictus, tamen plerumque sensum S. Bonaventurae minus quam posteriores commentatores ad normam praeconcepti systematis trahere nititur. Dolendum, quod haec Reportata, saltem duae primae editiones, scatent mendis et erroribus, quae partim iis qui verba magistri sui exceperunt, partim typographo attribuenda sunt.

3. *Nicolaus de Tudeschis*, abbas Ordinis S. Benedecti, postea Archiepiscopus Panormitanus, iuris canonici peritissimus, inter alia scripsit etiam super librum D. Bonaventurae in II. Sent., Venetiis 1477. Ita Antonio Orlando Carmelita: Origine e progressi della stampa, teste P. Bonelli, Prodrom. col. 310.

4. *Nicolaus de Niise* Ordinis Minorum de Observantia, scripsit in IV. libros Sententiarum opus, Resolutio theologorum inscriptum, editum primo Rothomagii, deinde etiam Venetiis 1574. Primo fuit canonicus et vicarius generalis Episcopi Constantiensis, deinde frater Minor; obiit an. 1509. In suo libro, brevitate et claritate conspicuo, saepe refert sententias D. Bonaventurae, sed sequitur plerumque Scotum.

5. *Pelbartus de Temesvar* Ordinis Minorum de Observantia: Rosarium iuxta quatuor Sent. libros quadripartitum ex doctrina Doctoris subtilis, D. Thomae, D. Bonaventurae aliorumque sanctorum Doctorum. — Res tractandas ordine alphabetico iuxta quatuor libros Lombardi compilavit. Quartum librum post mortem Pelbarti supplevit Fr. Oswaldus a Lasco. Plurimae huius operis sunt editiones, ut Hagenau 1503, 1504, 1507, 1508, in fol.; Venetiis 1586, apud Franc. Ziletti, et ibidem 1589; Brixiae 1594. Etiam Pelbartus magis addictus est scholae Scoti quam S. Bonaventurae.

6. *Hugo de Sletstad* Ord. Min., de quo Trithemius (de Scriptoribus eccles. c. 702) dicit: Natione Teutonicus, vir in Scripturis divinis studiosus et eruditus atque in philosophorum disciplinis egregie doctus, ingenio subtilis et quaestionum scholasticorum disputator insignis. Scripsit quaedam, *ut ferunt*, praeclara volumina, quibus nominis sui memoriam posteris reliquit, e quibus exstat Quaestionum Sententiarum libri IV. et quaedam alia. Fuit autem divi patris Bonaventurae ordinis Minorum in suis determinationibus sectator et interpres luculentus, enucleans ea quae in singulari philosophia illius obscura et rariora simplicibus videri potuerunt. — Auctoritatem Trithemii secutus, eiusdem Hugonis meminit Fabricius (Biblioth. Latina mediae et infimae aetatis tom. III. pag. 299 ed. Pataviensis 1754) et post utrumque Bonelli multique alii. Istius autem libri nos hucusque nullum aliud vestigium invenire potuimus.

Doctrinam S. Bonaventurae illustrantes Auctores ex Ordine Minorum Conventualium.

7. *Petrus Capuleus Cortonensis*, a Paulo V. an. 1605 ad Episcopatum ecclesiae Conversanae promotus († an. 1625), scripsit Commentarium in I. et II. Sent. D. Bonaventurae, impressum Venetiis 1622. Voll. 2 in fol.

8. *Felix Gabrielli* Minorum Conventualium (ab anno 1653) Magister Generalis, deinde Episcopus Nursinus (1659-1684): Disputationes de praedestinatione et reprobatione ad mentem S. Bonaventurae et Scoti, Romae 1653, in quarto.

9. *Matthaeus Ferchius*, natione Dalmata, magister Patavinus († an. 1669, annos natus 87): De Angelis tractatus theologicus ad mentem D. Bonaventurae, Patavii 1658, in quarto; qui et alia de S. Bonaventura scripsisse fertur et laudatur a Bartholomaeo de Barberiis (Praefat. ad cursum theolog.) ut « solus inter omnes fidelissimus Bonaventurista ».

10. *Bonifacius de Augustinis:* Theologia S. Bonaventurae in summam redacta, Romae apud Corbelletum 1696, in folio. Huius operis solummodo tomus primus in lucem prodiisse videtur [1].

Auctores ex Ordine Minorum Capuccinorum.

11. *Petrus Trigosus*, natione Hispanus, discipulus Petri Soto, primo Societatis Iesu professus, deinde ad PP. Capuccinos transiit († an. 1593, aetatis suae 68). Edidit insigne opus: S. Bonaventurae etc. Summa theologica, quam ex eius in Magistrum Sententiarum scriptis accurate collegit et in hunc ordinem redegit copiosisque commentariis illustravit R. P. F. Petrus Trigosus O. S. F. C., tomus I. Partis I. Ad Clementem VIII. Pont. Max., Romae 1593. — Alia editio « a mendis, quibus prior scatebat, repurgata nec non elucidata », ut in titulo dicitur, prodiit Lugduni 1616. Typis mandatus est tantum primus tomus primae partis de Deo uno, in quo magno volumine in fol. praeter prologum non nisi circa 21 distinctiones primi libri Sententiarum tractantur. Mutato rerum ordine multisque additis aliis quaestionibus sive, ut dicit, *dubiis*, diffusissime et docte interpretatur Seraphicum, ita ut fere semper eum ad mentem S. Thomae et scholae eiusdem intelligat. — Quod ad explicationem primi libri S. Bonaventurae in Trigoso desideratur, id suppletum est ab alio eiusdem Ordinis alumno, qui sequitur.

12. *Theodorus Foresti*, Bergomensis, Ordinis sui Definitor Generalis et Visitator Apostolicus, Urbano VIII. familiaris († an. 1637), scripsit: Paraphrases, commentaria et disputationes de alma et sanctissima Trinitate iuxta mentem D. Bonaventurae, in quibus praeter diligentem textus et verborum expositionem, divinarum litterarum locis ac SS. Patrum assertis perpetuo fere cum D. Thomae assensu Seraphica doctrina illustratur et sustinetur, Romae apud Iacobum Mascardum 1633, fol. Haec unica, quantum scimus, editio innumeris scatet erroribus typographicis. Auctor licet sit doctus, cedere debet Trigoso.

13. *Franciscus (Longus) a Coriolano*, Calabriae oppido

1. Similia opera, sed manuscripta et nunquam typis tradita, plura existunt, Inter alia a Sbaralea in Suppl. laudatur Petrus Paulus Caruata, Navarriensis, Min. Convent., cuius Commentaria in quatuor libros Sententiarum iuxta mentem S. Bonaventurae inter annos 1605-1608 scripta asservantur in bibliotheca sacri conventus Assisiensis.

(† a. 1625): Summa theologiae ad instar Summae D. Thomae ex operibus D. Bonaventurae compacta variisque annotationibus illustrata, Romae 1622, typis Vaticanis et sumtibus Camerae Apostolicae. Ut constat ex bulla Gregorii XV., quae impressa est in principio Breviarii chronologici, ab eodem auctore conscripti, ista Summa in septem tomos in folio erat distributa, at tantum primus tomus prodiit.

14. *Ioannes Maria Zamorra*, Utinensis, qui obiit Veronae a. 1622, praeter plurima de B. M. V. opuscula edidit octo Tractatus sive Commentarios theologicos, in quibus omnes controversias inter S. Thomam, S. Bonaventuram et Scotum componere nititur. Impressi sunt Venetiis a Iacobo Sarzina 1626, in fol.

15. *Bonaventura Lingonensis*, natione Gallus, scripsit: Bonaventura Bonaventurae, scil. Bonaventura et Thomas, sive Summa theologica ex omnibus fere SS. Thomae et Bonaventurae placitis concinnata, inter quos si aliquando videatur esse dissensio, aut benigna explicatione componitur, aut problematica disputatione ventilatur, difficultatesque omnes in scholis plurimum agitari solitae de mente illorum Sanctorum resolvuntur; Lugduni, sumtibus Laurentii Annisson, 1653-1673, 3 tomi in fol.

Idem scripsit etiam cursum philosophicum iuxta mentem S. Bonaventurae, qui utrum sit impressus, nescimus.

16. *Marcellus Regiensis*, Gallus: Summa Seraphica, in qua S. Bonaventurae Seraphica theologia, per eius in Magistrum Sent. Commentarii libros dispersa, dilucide est enodata et accurate redacta in scholae methodum; Massiliae, apud Carolum Brebion et Ioannem Penot 1669, 2 tom. in fol.

Haec Summa non continet proprie elucidationem doctrinae Bonaventurianae, sed tantum doctrinam Seraphici, plerumque verbotenus propositam, ad methodum Summae D. Thomae coordinat.

17. *Marcus a Baudunio*, Gallus: Paradisus theologicus unius et trium doctorum, Angelici, Seraphici, Subtilis, horumque conciliatoris fonte irriguus; Lugduni apud Ioannem Molin 1663. Auctor semper studet illos tres doctores Scholasticos ad eandem sententiam trahere, sed non semper feliciter.

Idem scripsit etiam Compendium theologiae, tam speculativae quam practicae, ibidem 1673, 4 tomi in octavo; et cursum philosophicum minoris momenti sub titulo: Paradisus philosophicus unius ac trium doctorum Angelici, Seraphici et Subtilis horumque conciliatoris fonte irriguus; Massiliae 1654, in fol. et ibidem 1664, in quarto.

18. *Gaudentius (Bontempi)*, Brixiensis († an. 1672, annos 69 natus), post cuius mortem discipulus ipsius P. Ioannes Franciscus Durantis, Brixiensis, edidit Gaudentii opus mole ingens: Palladium theologicum, seu tota theologia scholastica, ad intimam mentem D. Bonaventurae; Lugduni, sumtibus Laurentii Arnandi, Petri Bordet etc., 1667, 7 tomi in fol. Hoc opus eruditione excellit, doctrinam S. Bonaventurae ad methodum Summae Aquinatis ordinat et fere semper etiam ad mentem eiusdem interpretatur, ut notat P. Bartholomaeus a Barberiis in praefatione ad suum Cursum theologicum.

19. *Bartholomaeus a Barberiis*, Italus, a Castrovetro, Provinc. Lombardiae alumnus, quotidiana, ut ipse ait, per quinquaginta annos lectione operum S. Bonaventurae in doctrina eiusdem prae ceteris versatus et plerumque fidelior Seraphici interpres, edidit: Cursus theologicus ad mentem Seraph. Doct. Bonaventurae, in 2 tomos distributus; Lugduni, sumtibus Francisci Comba, 1687, in fol. Hi duo tomi sunt parvae molis. Haec editio intolerabilibus erroribus typographicis foedata est, de quo auctor lectori « flens et cum rubore maximo » conqueritur. Aliam editionem Parisiensem eiusdem anni, ab aliis laudatam, non vidimus.

Scripsit etiam cursum philosophicum ad mentem S. Bonaventurae sub titulo: Flores et fructus Seraphici ex Seraphico paradiso excerpti; Lugduni, sumtibus Laurentii Arnaud etc. 1677. Insuper utilissimum librum: Tabula seu index generalis in opera omnia S. Bonaventurae; Lugduni, apud Arnisson etc., 1681. Iterum hic index impressus est, nonnullis mutatis, tomo XV. edit. Parisiensis Operum omnium S. Bonav.

Item: Glossa seu Summa, ex omnibus S. Bonaventurae expositionibus in sacram Scripturam exacte collecta et secundum ordinem biblicum concinnata; ibidem 1681, 4 tom. in fol. — Opus pro praedicatoribus valde utile.

20. *Franciscus Maria a Bruxellis:* Theologia Seraphica, Gandavi 1715, 4 tomi in quarto; laudatur ut opus succosum et praxi accommodatum.

Plura alia opera, a Patribus Ord. Capucc. elaborata ad doctrinam S. Bonaventurae illustrandam, nunquam typis sunt mandata. Inter cetera laudantur a Sbaralea in suo Supplemento Commentaria in quatuor libros Sent. ad mentem S. Bonaventurae P. Marci Anton. Galitii, huius Ordinis Min. Gener. († 1665), quae asservabantur Brixiae in conventu PP. Capuccinorum. Item Commentaria in eosdem libros P. Mauritii Gamborini in conventu Genuensi Immaculatae Conceptionis eiusdem Ordinis.

Auctores Ordinis Minorum de Observantia Recollect.

21. *Matthias Hauzeur*, Herviensis, Prov. Flandricae bis Provincialis et multorum scriptorum polemicorum auctor, versatissimus in doctrina S. Augustini, cuius opera in compendium redegit et explicavit libro: Anatomia Augustiniana, 2 tomi in fol., 1644. Scripsit: Collatio totius theologiae inter maiores nostros F. Alexandrum Alensem, patriarcham theologorum, Doctorem irrefragabilem, S. Bonaventuram, Doctorem Seraphicum, F. Ioannem Duns Scotum, Doctorem subtilem. Ad mentem S. Augustini: sub Magisterio Christi; interiore, per Gratiam; exteriore, per Ecclesiam. Typis eiusdem Provinciae (Flandriae) in conventu Leodiensi et Namurcensi. Ab anno 1646-1652, 2 tomi in fol. — Stilo laconico Summam Alexandri et Commentarios S. Bonaventurae et Scoti in compendium contrahit et quaestionibus plurimis explicat ac eorum sententias inter se et cum S. Augustino non sine acumine conciliare studet. Defectus ordinis et methodi copiam doctrinae et ingenii aliquatenus obscurat.

Alii libri theologici, ab alumnis Ordinis S. Francisci de Observantia cum tribus suis familiis tribus ultimis saeculis scripti, maxima ex parte sequuntur vel Scotum, vel neminem ex antiquis Scholasticis, et tantum interdum S. Bonaventurae faciunt commemorationem, inter quos laudari meretur theologia dogmatica-scholastica edita a P. Henno, Prov. Flandr.

Commemorari hic etiam merentur duo libri occasione sexti Centenarii S. Bonaventurae editi, licet de doctrina S. Bonaventurae in genere, non in specie de Commentario agant, nempe: Seraphicus Doctor S. Bonaventura in oecumenicis Catholicae Ecclesiae Conciliis cum Patribus dogmata definiens, disquisitio historico-theologica a *P. Ludovico a Castroplanio*, Ord. Min. de Obs. — et opus Italice scriptum: Della vera filosofia e delle

dottrine filosofiche del Serafico Dottore S. Bonaventura, Studi del P. Marcellino da Civezza M. O., Genova, tipografia della Gioventù, 1874.

§ 8. *Editiones typis expressae huius Commentarii recensentur.* Non paucae sunt huiusmodi editiones, sed primae sunt incompletae, non omnes quatuor libros exhibentes. De his primo disseramus.

Editiones incompletae.

1. Secundus liber Commentarii in fol. parv. duabus columnis exaratus, prodiit *Tarvisii* anno 1477 per Herm. Lichtenstein.

Incipit absolute fol. 1. recto, cum signo A ad calcem sic[1]: Solummodo || hoc inveni, quod Deus fe || cerit hominem rectum || et ipse se infinitis etc. *Desinit* fol. 333. verso, col. II: Religiosi patris Bonaventure ordinis minorum || veritatis theologice professoris eximii. sacreque || apostolice sedis cardinalis super secundum sen || tentiarum scriptum finit. Anno salutis nostre || MCCCCLXXVII, per magistrum Hermanum || lichtenstein Taruisii feliciter impressum.

Deinde sequitur: tabula eiusdem libri (implet 2 fol. et med.). Haec editio a nobis collata est cum Vaticana.

2. Item secundus liber Commentarii in fol. parv., duabus columnis, prodiit *Venetiis* anno 1477 per Theodoricum de Reynsburch et Reynaldum de Novimagio socios.

Incipit fol. 1. cum signo a 2: Viri excellentissimi artium et sacre || theologie divi monarce summique pro || fessoris: super 2° sententiarum domini Bonaven || ture minorum ex ordine opus praeclarissi || mum feliciter incipit: Solummodo hoc inveni etc. *Desinit* fol. 335 verso, col. I: Religiosi patris Bonaventure ordinis || Minorum veritatis theologie professoris || eximii: sacreque apostolice sedis Cardinalis || super secundum sententiarum scriptum finit. || Per excellentissimum sacre theologie do || ctorem magistrum Thomam penketh angli- || cum ordinis fratrum herêmitarum sancti Au || gustini in famosissimo studio Patavi || no ordinarie legentem maxima cum diligentia || emendatum. Anno salutis nostre. MCCCC || LXXVII. per Theodoricum de Reynsburch || et Reynaldum de Novimagio socios || Venetiis feliciter impressum. — Deinde sequitur tabula eiusdem libri (implet 2 fol. et med.).

Haec editio a nobis collata est cum Vaticana.

3. 4. Primus liber Commentarii in quarto, duabus columnis, editus est Brixiae anno 1490 per presbyterum Farfengo. Fol. 1. recto: Prologus. Reverendissimi patris: et domini sancti Bo || naventure septimi generalis minorum cardi || nalis. et episcopi: catholicique Doctoris Pa || risiensis Theologi. super primo sententiarum opus || seraphicum feliciter incipit. — Profunda fluviorum etc. Praecedit tabula quaestionum 6 foliorum. *Desinit:* Reverendissimi patris et domini sancti Bonaventure septimi generalis minorum cardina || lis et episcopi catholici doctoris parisiensis. Super primo sententiarum opus seraphi || cum. Accuratissime correctivum (sic!) atque emendaeltum (sic!). Maximaque diligentia ac studio || Brixie per presbyterum Baptistam de farfengo Feliciter. Impressum. Anno domini || MCCCCLXXXX. die vero vigesimo mensis Octobris. — Sequitur stemma impressoris.

Haec editio collata est a nobis cum Vaticana, sed in nostro exemplari deerant bis duo folia in dd. 35, 36, 37. Inter omnes editiones primi libri haec maxime repraesentat eundem textum, quem habent antiquiores codices, cum quibus fere semper convenit. Sed innumerabilibus et magnis scatet mendis, quae partim ex siglis male solutis, partim ex vitio codicis, partim et praecipue ex typographi negligentia ortum duxisse videntur.

Alia a P. Bonelli citatur editio Brixiensis Commentarii ad primum librum, impressa anno 1496, quae dicitur esse asservata in bibliotheca Universitatis Patavinae.

5. Primus liber Commentarii sine loco et anno. Iuxta Panzer (VI. 99. 210.) et Hain (I. n. 3536.) haec editio impressa est ab Eustadio Reyser et ab Hain sic describitur: «*F. 1. a:* ( ) Rofunda fluviorum scru || tatus est et abscondi || ta produxit in lucem. ver || bum istud quod sumptum || est ex iob. XXVIII. diligen || etc. *Expl. f. 163. a. col. 2. l. 12:* generationes seculi seculorum. Amen. *F. 164. a:* Sequuntur questiones seraphici doctoris || domini bonaventure cardinalis super primo li || bro sententiarum. Et primo quatuor questiones preambule secundum quadruplex genus cause. Terminat tab. 165 col. 1. l. 29. s. l. a. et typ. n. f. mai. g. ch. s. f. c. et pp. n. 2 col. 62. l. 165. ff. (Eustadii Reyser.) ».

6. Aliam primi libri editionem sine loco, sed cum anno 1480 in bibliotheca Nationali Parisiensi (Inventaire D. 1284) a quodam nostro collaboratore sic denotatam invenimus: Questiones super primum Sententiarum S. Domini Bonaventure, gothicis litteris; in fine 1480. — Aliis relinquimus decernendum, utrum differat haec editio a praecedentibus.

7. Item alia primi libri editio, Londini (bibl. Mus. Britann., 3833 f.) asservata sic notata est: Eichstadt, anno 1478 in fol. duae columnae linearum 62. Incipit: Profunda fluviorum scrutatus est etc. In fine sequitur tabula: Questiones domini Bonaventure.

Editiones completae quatuor huius Commentarii librorum.

8. Una completa sine loco, anno et nomine typographi tribus tomis in fol. laudatur a Ioanne a S. Antonio in sua Bibliotheca universa Franciscana, tom. I. pag. 156, quae fortasse eadem est cum illa, de qua loquitur Panzer (IV. 99. 210.).

9. Alia citatur a Mazzuchello, degli Scrittori d'Italia, tom. II. pars 4. pag. 2360, ut edita Argentinae 1489, de qua dicit Sbaralea (Suppl. pag. 146. c. 2.): « Hoc opus primum prodiisse dicitur Argentorati anno 1489 ». — Cum editiones sub n. 8 et 9 nunquam ad manus nostras venerunt, aliis iudicium relinquimus, utrum vere existant.

10-13. Editiones quatuor ex officina celebris typographi Koberger vel sociorum eius. Hae omnes habent duos tomos in folio cum duabus columnis. *Prima,* licet non indicet annum impressionis, videtur esse anni 1491, ut ex epistola responsoria Nicolai Tinctoris ad Ioannem Beckenhaub[2], Moguntinum, data ex Bamberga 1491 die 2 Martii, et ex alia Iacobi Wimpfling, Sletstatensis, item data 1491, argui posse videtur. Cum accuratissime describatur ab Hain (tom. I. n. 3540.), pauca nobis de hac editione sufficiant: *Perlustratio* in lib. quatuor sententiarum. Fol. 1. verso: Ioannes Beckenhaub, Moguntinus, evan-

1 Pro siglis sive notis compendiariis integras litteras posuimus.

2 Fuit clericus, qui plurimum laboravit pro novis libris edendis, primum Argentinae, deinde ut adiutor Ioannis Koberger.

gelice theologie summo doctori domino Nicolao Tinctoris de Guntzenhau || sen imperialis ecclesie Bambergensis praedicatori salutem etc. Hanc epistolam excipit eiusdem carmen in laudem utriusque auctoris, in quo hi versus: Quo libri impressor Nurnberge *Anthonius* ipse || Koberger tendat post sua fata precor.

Sequitur responsum Tinctoris ex Bamberga 1491 die 2 Martii. Fol. 3. recto: Celebratissimi patris domini bonaventure || ordinis minorum artis divine summi discusso || ris: et apostolice sedis episcopi cardinalis prolo || gus in primum librum sententiarum: *Explicit* fol. 198. recto, col. 2: *Amen.* Accedunt sex folia tabulae. Similiter incipiunt alii libri, sed liber quartus, qui explicit fol. 264. verso, in fine habet: Concludit epilogando breviter que in hoc libro et || omnibus precedentibus determinata sunt || etc. Fol. 265. recto est epistola Iacobi Wimpfling Sletstatensis ad quoslibet theologie studiosos, data ex Nuremberga 1491. Sequitur: Tabula super libros senten || tiarum cum Bonaventura. Fol. 2. recto: Ioannis bekenhaub moguntini in scripta divi || bonaventure cum textu sententiarum tabula. quam si || etc. Fol. 92. verso: tabula super textum sententiarum cum Bonaventura finis. || In quam sparsim viciola quedam adnotavi in Bona || ventura et lombardo suis locis emendanda etc. Fol. 93. recto: Sequuntur varii articuli erronei omnium pe || ne facultatum. in anglia et parisius studiose et autori || tative condemnati cum revocationibus eorundem. *Explicit* fol. 103. verso: Deo gratias.

Secunda editio parum differens a priore in fine IV. libri Sent. annum impressionis habet sic: quartus Liber Sententiarum cum disputatis Ce || lebratissimi patris domini Bonaventure ordinis || minorum. per Anthonium Koberger Nurnberge in || pressus Anno domini Millesimo quingentesimo. fi || nit feliciter. — Accurate describitur ab Hain I. N. 3543.

Tertia, quae secundae est admodum similis, an. 1510 edita est impensis Antonii Koberger, adiuvante Iacobo Sacon. In fine enim quarti libri sic legitur: Quarti divi Bonaventure sententiarum libri dilucidatio adest || qui veluti et praecedentes nunc ab infinitis ferme quibus scatuit er || roribus corruptis (?) secundum exemplaria dudum per pie memorie Re || verendum sacre theologie parisiensem doctorem profundissimum fratrem Stephanum brulifer ordinis minorum methis pro tunc eiusdem sera || phici doctoris scripta legentem: edita. Et ad debitam correctionis li || mam summis cum laboribus redacta. Pro dicti sancti Bonaventu || re honore et omnium studiosorum utilitate novissime impressus est. || sumutibus (sic!) atque impensis Anthonii Kobergis civis et incole Nurenbergensis. Industria quoque Iacobi sacon artis impressorie magistri so || lertissimi in lugdunensi galie metropoli civitate auspici fini datus. || Anno millesimo quingentesimo decimo vigesima Augusti. — De isto Iacobo Sacon, cuius signum seu stemma typographicum in fine uniuscuiusque libri conspicitur, dicit P. Bonelli [1], eum fuisse typographum Lugdunensem, «cuius opera celeberrimus Cobergerus Nuremburgensis eo in Emporio uteretur». — Haec editio quoad textum recedit ab antiquis codicibus magis quam ed. anni 1491.

Quarta etiam editio ab ista tertia paululum differens, nempe tantum in litteris initialibus et verborum in paginas distributorum, eodem signo typographico Iacobi Sacon insignita est. Primum tomum huius editionis, Commentarium in I. e II. Sent. complectentem, prae manibus habemus, in quibus deest annus impressionis. Tamen teste P. Fideli, qui eam integram vidit, prodiit Lugduni an. 1515 per eundem Iacobum Sacon. Idem testatur Sbaralea in suo supplemento.

Etiam secunda, tertia et quarta editio exhibent epistolam Ioannis Beckenhaub, cum versibus illis: quo libri impressor Nurnberge Anthonius ipse || Koberger tendat post sua fata precor, et etiam responsum Nicolai Tinctoris de Guntzenhausen, atque epistolam Iacobi Wimpfling Sletstatensis ad quoslibet theologiae studiosos, mutato tamen tempore, quo hae litterae scriptae perhibentur. Prima enim editio exhibet eandem epistolam Iacobi Wimpfling tanquam scriptam Nurembergae 1491; secunda ut datam ex Nuremberga 1499. Tertia in fine IV. libri sic: ex Lugduno nobilissima Galliae civitate anno MDX.

Quatuor hae editiones etiam librum Sententiarum Lombardi continent, et *dubia* S. Bonaventurae circa litteram Magistri, a suo loco remota et quoad titulos abbreviata et mutata, ad marginem textus libri Lombardi ponunt. — Si fides habenda est rubricae ad finem IV. libri huius tertiae editionis positae, P. Stephanus Brulifer textum harum editionum correxit. Cum autem hic ante an. 1500 mortuus sit, huc ad verbum non potest intelligi, nisi de prima vel fortasse secunda editione. Nec improbabile est, Ioan. Beckenhaub, cum primam editionem curaverit, Bruliferi commentario reportato usum esse in corrigendo textum, ita ut Brulifer ipse non adstiterit huic editioni adornandae. — Ceterum editio anni 1491 magis respondet antiquorum codicum lectioni quam sequentes, quae in aliquibus mutatae sunt, vel omnino inconsultis manuscriptis vel adhibitis codicibus saeculi XV.

Editiones aliae antiquae, sed post Kobergerianam in Germania, Gallia et Venetiis publicatae, manifeste sequuntur plerumque quoad textum unam vel aliam harum quatuor editionum, aut simpliciter iterum eam imprimendo, aut textum in nonnullis locis arbitrarie mutando.

14. Editio Kiliani Piscatoris, Friburgi, ut videtur, an. 1493 impressa, tom. 2 in fol. cum 2 col., manifeste primam editionem Kobergeri repetit. Versus Ioannis Beckenhaub impressorem indicantes hic leguntur sic: Quo libri impressor *Friburgi Kilianus ipse* || *Piscator* tendat post sua fata precor. Nomen Beckenhaub in hac editione scribitur Bekenhub, et Guntzenhausen scribitur Guntzenhusen; epistola Nicolai Tinctoris responsoria data est ex Bamberga 2 Maii 1493, ex quo suspicari licet, eodem anno 1493 editionem fuisse impressam. Inscriptio in 1. fol. est: Perlustratio Sancti Bonaventure || in Primum librum Sententiarum. Fol. 3. recto: Celebratissimi patris domini bonaventure or || dinis minorum artis divine summi discussoris: et || apostolice sedis episcopi Cardinalis prologus in pri || mum librum sententiarum. Haec accurate describitur ab Hain n. 3541.

A multis alia laudatur editio huius anni 1493, Bambergae impressa. Sed haec non videtur differre ab editione Kiliani Piscatoris. Et error videtur esse inde ortus, quia litterae Tinctoris in principio positae istum locum et annum prae se ferunt. — Item fictitia videtur esse editio facta Lipsiae 1498 in fol., de qua loquuntur Mich. Maittaire in Annal. typogr. tom. I. pag. 556, et multi alii cum P. Bonelli. Nemo horum hanc editionem descripsit, nec Panzer nec Hain eam viderunt. Dns Dr. Krehl, bibliothecae

1. Prodromus, col. 334.

Universitatis Lipsiensis Praefectus, pro sua humanitate a nobis saepissime probata, communicavit nobis, nullam se de hac editione certam notitiam, omni adhibita diligentia, invenire potuisse, et vix esse dubium, eam fictitiam esse.

15-16. Editio Parisiensis apud Franciscum Regnault 1522, in 8, sequitur textum editionis Kobergianae. Alia Parisiensis prodiit in lucem 1688.

17. Venetiis 1562, iussu Ministri Generalis totius Ordinis Seraphici P. Francisci Zamorae et typis Francisci Sansovini, 4 tom. in 4. Primo tomo praefixa est magna illa tabula super 4 libros Commentarii facta a Ioanne Beckenhaub, Moguntino. In fine eius additur: tabula haec alphabetica revisa et correcta est per Rev. Patrem fratrem Iulium Urceanum or. m. observantie provincie Brixie.— Post folium titulum exhibens sequitur epistola fr. Aloysii Putei dedicatoria ad Ministrum Generalem Franc. Zamoram, scripta Tridenti (ubi auctor Concilio Oecum. assistebat) 6. idus Sept. 1562, in qua nonnulla occurrunt memoratu digna. Luget in hac epistola auctor super communem iacturam verae illius theologiae Scholasticae in scholis Ordinis, cuius cladis causam attribuit « tum altitudini sensus doctoris Subtilis inattingibili, tum negligentiae in studiis sacrarum Scripturarum ». Deinde prosequitur: « De hac idcirco vice nobis dolenter quaerentibus atque animo vertentibus, quonam remedio gravi adeo periculo succurrendum foret, ecce tu opportune advenis, qui... publicis ipse iussis edixisti, quotquot in observantina familia theologiam profitentur, praelegere suis scholasticis libros seraphici patris divi Bonaventurae, sententiarios vulgo appellatos, doctrina peracutissimi nihilominus Scoti haudquaquam interim valere iussa » etc. Sequitur: Epistola ad lectorem fr. Bonifacii de Ragusio O. Min. sacri montis Sion Guardiani, qua laudes celebrat doctrinae S. Bonaventurae, et quae subscripta est: in suo oecumenico et generali Concilio Tridentino, sub die octava Sept. 1562. — Denique accedit alia praefatio ad lectorem de eodem argumento, dat. Venetiis eodem anno. — In titulo legitur: Ab innumeris fere mendis purgatus et annotationibus tam rerum memorabilium quam omnium locorum Scripturae et Doctorum in margine nunc demum decoratus. — Exhibet tamen haec editio textum primae editionis Kobergerianae, paucis tantum locis nec semper feliciter mutatis; etiam *dubia* cum eadem editione ad marginem textus Magistri ponit. In hoc autem praecellit, quod ad marginem indicat locos, unde multae auctoritates sumtae sunt.

18. Venetiis apud Georgium Angelerium 1573, 4 tom. in 4, recognoscente fratre Ioan. Balainio Andrio, Franciscano Conventuali, qui etiam quincuplicem indicem adiecit et editionem suam dedicavit Cardinali Felici Peretto de Monte Alto, qui postea fuit Sum. Pontifex Sixtus V.

19. Venetiis 1580, absque nomine typographi, 4 tom. in 8, recognoscente magistro Angelo Rocch. ord. S. Augustini. Haec editio omnino sequitur editionem Balainii; ipsa dubia iterum a textu Magistri separat, non autem ea ponit, uti codices, post quaestiones, sed immediate post divisionem textus, mutatis eorum titulis. In hac mutatione ipsa, praecedens et sequentes edd. sequuntur Romanam an. 1569.

Quoad recensionem textus ambae editiones multum conveniunt cum editione Romana anni 1569, de qua mox loquimur.

20-22. Romae annis 1569, 1573, 1580 apud haeredes Antonii Bladii, 4 tom. in 4. parvo. Titulus ed. anni 1569 est: Scriptum d. Bonaventurae... in quatuor libros Sententiarum P. Lombardi. Ex antiquissimis exemplaribus nunc primum studio F. Antonii Posii a Monteilcino ordin. Min. Conv. ab innumeris pene erroribus emendatum, singulis quaestionibus argumentis adiectis, collationeque locorum atque controversiarum d. Thom., Io. Scot. et S. Bonav. in albis apposita illustratum. Munificentia... S. N. D. Pii V. nec non solertia congreg. Fr. Capuccinorum, praesertim fr. Hieronymi Pistoriensis novissime impressum. — Incipit cum litteris dedicatoriis Antonii Posii ad S. Pium V; exhibet etiam tabulam Ioan. Beckenhaub.

Haec editio fere tota transiit in Vaticanam, tum quoad recensionem textus, tum quoad summaria et notas marginales, paucis tantum in Vaticana additis vel mutatis.

23. Venetiis an. 1611. 4 tom. in fol. typis H. Scoti.

24-28. In quinque editionibus omnium operum S. Bonaventurae, scilicet Vaticana, Lugdunensi, Moguntina, Venetiana, Parisiensi.

CAP. II.

De nostra editione primi libri Commentariorum S. Bonaventurae.

§ 1. *De codicibus et editionibus, quibus in reformando textu primi libri Commentariorum usi sumus, et de methodo, in isto labore a nobis observata, haec referimus.*

Rarissime quatuor libri huius Commentarii ita scripti et uniti sunt, ut unum totum opus eos efficere appareat, sed ordinarie singuli libri alia manu et alio in volumine scripti, vel ad summum duo libri in uno volumine coniuncti inveniuntur. Hinc fit, ut in multis bibliothecis plura exemplaria unius vel alterius horum Commentariorum libri inveniantur, nullus autem aliorum trium librorum, vel ut unius libri codex sit optimus et antiquus, aliorum codices vero mediocres. Fit etiam, ut pro singulis libris numerus et praestantia codicum differant. Unde sicut in reformando textu quatuor librorum diversis diversarum bibliothecarum codicibus utendum nobis fuit, sic etiam singulatim de codicibus in Prolegomenis ad singulos libros nobis agendum est. Referendo hic elenchum codicum *primum* librum complectentium, quos P. Fidelis inspexit et adnotavit, primo loco ponimus secundum ordinem alphabeticum bibliothecarum codices, ex quibus cum editione Vaticana collatis variantes lectiones collegimus, deinde ceteros. Cum autem haec collatio diversis temporibus et locis a pluribus sociis, sive ordinariis sive extraordinariis, facta sit, et iam codices complures, antequam omnium lectiones variantes colligebantur, certis litteris alphabeti designati essent, nimis nobis difficile fuisset, ipso ordine litterarum alphabeti affinitatem singulorum codicum vel familiarum exprimendi. Hinc electio istorum signorum nulla certa lege facta est. — Omnes codices integri collati sunt, exceptis illis paucis, de quibus in ipso elencho contrarium notatum est.

SYLLABUS MANUSCRIPTORUM

QUAE CONTINENT

COMMENTARIOS SANCTI BONAVENTURAE

SUPER LIBRUM I. SENTENTIARUM.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, biblioth. Conventus S. Francisci, cod. N. 42. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Fol. 1. v. antiqua manus praemisit: *Primus fratris Bonaventure.* Incipit: *Profunda fluviorum scrutatus est.* Desinit ut in editis: *in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.* — Nitide scriptus, sed non sine multis mendis, quia deest correctio, quae illo aevo post scriptum codicem fieri solebat. Sign. in nostra ed. littera A.

2. *Bambergae,* biblioth. Publica, cod. B. III. 42. chart., saec. XV, in fol. In initio legitur: *Prooemium sancti Bonaventure.* Deinde: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 243. v. — Licet sit recentioris aetatis, tamen cum vetustioribus codd. satis convenit; habet nihilominus praesertim in locis difficilioribus multas lectiones ipsi proprias et interdum utiles. Sign. Y.

3. *Bononiae,* biblioth. Collegii Hispanorum, cod. 35. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Initio alia manus praemisit: *Primus Bonaventure* Incipit et desinit ut in editis. — Tantum in difficilioribus locis est a nobis inspectus. Sign. kk.

4. *Cracoviae,* biblioth. Universitatis, cod. 1246. D. D. XIV. 4. chart. in fol., saec. XV. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 274. v. col. 2. ut in editis; cui additur: *Explicit scriptum Bonaventure super primum sententiarum per me Petrum de Novagora 1471.* — Codex bonus, qui sequitur fere semper antiquiorem codicem sub sequenti numero relatum, ita ut ipsi ad eandem familiam pertineant; in constructione propositionum saepe discedit ab aliis codd., ut orationem latinam reddat magis correctam vel elegantem; insuper non raro praebet lectiones, quae attentione sunt dignae. Sign. aa.

5. *Cracoviae,* cod. 1252. A. A. XI. 16. membr. in 4, saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1. r. col. 1. Desinit fol. 160. v. col. 1: *Explicit liber primus.* Deinde sequuntur tabulae distinctionum, in quarum fine alia manus saec. XIV. exaravit: *Bonaventura super primum sententiarum.* — Convenit fere omnino cum praecedente. Sign. bb.

6. *Florentiae,* biblioth. Nationalis, cod. C. 6. 209. membr. in fol. parvo, binis columnis conscriptus. Incipit fol. 2. r. Post finem sequitur tabula quaestionum, cuius finis: *utrum Spiritus sanctus procedat a Patre mediante Filio. Amen.* Deinde alia manus prosequitur: *Finito libro referamus gratiam Christo.— Per gratiam Trini finiunt capitula libri. — Primus est certe Bonaventure doctus a Patre... Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, die luneXXIII mensis septembris indictione XII.* — Verum, ait P. Fidelis a Fanna in revisione, quam fecit de hoc codice, posset quis dubitare, an haec manus sit saeculi XIII; codex tamen est saec. XIII, unde de manu illa non litigandum. Est unus ex illis codicibus, qui melioris sunt notae. Sign. F.

7. In eadem biblioth., cod. D. 5. 206. membr. in fol., saec. XIII. Fol. 1. v. antiqua manus scripsit: *Primus Bonaventure completus et bonus commentarius.* Incipit fol. 3. r. col. 1. Desinit sicut edd. Inde prima manus addidit: *Explicit liber primus Bonaventure.* — Multis mendis scatebat, sed a posteriore manu saepissime est correctus. Exhibet cum codd. aa et bb notabilem additionem ad d. 27. p. I. q. 2. Sign. G.

8. In eadem biblioth., cod. D. 5. 207. membr. in fol., saec. XIV. exeunt. Incipit fol. 3. r. col. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit ut edd. — Inter bonos codd. est numerandus. Sign. H.

9. In eadem biblioth., cod. I. 7. 45. membr. in fol. min., saec. XIV. Incipit fol. 2. r. col. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit: *in omnes generationes seculi seculorum. Amen, Amen, Amen, Amen.* — Codex a pluribus manibus est exaratus. Lectiones ab aliis codicibus differentes non raro exhibet, quae una alterave vice a nobis sunt receptae. Sign. I.

10. In eadem biblioth., cod. C. 6. 208. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 2. r. col. 1. Desinit fol. tertio ante ultimum, col. 2: *Explicit liber primus.* Sequitur tabula quaestionum, quarum ultima: *utrum teneamur conformari in volito. Explicit totum.* — Codex satis bonus, a variis manibus correctus. Sign. ff.

11. *Florentiae,* biblioth. Mediceo-Laurentiana, plut. XXV. dext. cod. 2. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 4. r. col. 1. Desinit fol. 186. Sequitur tabula copiosa rerum et quaestionum etiam litteralium. — Saepius discrepat a ceteris codicibus, praesertim addendo glossemata, quae tamen aliquando nullius valoris sunt. Sign. K.

12. In eadem biblioth., cod. LXX. Mediceo-Fesulan., membr. in fol., saec. XIV. circa med. Incipit fol. 1. r. col. 1. Desinit fol. 136. v. col. 2. Postea additur a prima manu: *Explicit primus*

liber fratris Bonaventure super primum librum sententiarum. Deo gratias. Sequitur tabula, quae percurrit usque ad fol. 141. v., tribus columnis disposita. — Correctio codicis a *prima* vel suppari manu facta est tantum quoad primam partem; correctiones vero a diversis manibus recentioris saeculi tam in prima, quam in secunda parte inveniuntur. Scriptura clara ipse excellit et codicibus bonae notae annumerandus est. Sign. ee.

13. *Lipsiae*, biblioth. Paulina, cod. 491. membr. in fol., saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* In fine: *Explicit primus liber sententiarum Bonaventure fratris minoris.* Postea sequitur tabula quaestionum, ad cuius calcem iterum repetitur: *Explicit liber primus fratris Bonaventure de Ordine fratrum minorum, sed Magister Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, erat auctor principalis.* — Inter optimos codices est recensendus. Peculiare ipsius est, quod in pluribus additionibus etc. consentit cum codicibus Oxoniensibus mox referendis. Sign. Z.

14. *Mediolani*, biblioth. Ambrosiana, cod. I. 95. infer., traditus ex legato Bernardini Ferrari, VII. idus martius 1830, sed olim fuit Francisci Petrarchae, poetae clarissimi. Incipit fol. 3. rect. in marg. super.: *Sancti Spiritus adsit mihi gratia. Amen, Amen, Amen.* Subinde: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 194. v. col. 1: *Hec sunt scripta fratris Bonaventure supra primum sententiarum.* Sequitur indiculus quaestionum ab alia manu confectus saec. XIII. — Codex est conscriptus, vivente adhuc Bonaventura. Codex bonus, distinguitur studio emendandi locutiones parum Latinas et praesertim in fine quaestionum plerumque aliis verbis conclusionis utitur. Sign. V.

15. *Monachii*, biblioth. Regia, C. L. M. 8079. chart. in fol., saec. XV, complectitur tantum dubia litteralia Domini Bonaventurae super quatuor libros sententiarum, ut legitur fol. 241. r. in marg. super. Subinde incipit col. 1: *Cupientes aliquid de penuria* etc. *Sed queritur de hoc quod dicit: opus agere presumpsimus; sed presumptio est peccatum.* Desinit fol. 279. r. col. 1: *in omnes generationes seculi seculorum. Amen. Deo gratias. Explicit conscriptum domini Bonaventure circa primum de dubitationibus litteralibus.* — Continet tantum dubia circa litteram Magistri. Sign. dd.

16. In eadem biblioth., cod. lat. 14086. membr. in fol., saec. XIII, exeunt. Incipit et desinit ut in editis. — Praescindendo a multis omissionibus et mendis, quae in codicibus non bene correctis communiter inveniuntur, textum genuinum exhibet. Sign. W.

17. In eadem biblioth., cod. lat. 18344. chart. in fol., saec. XV. Praemittitur tabula distinctionum, deinde incipit: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 287. v. col. 2. — Convenit plerumque cum antiquis codicibus, sed tum glossando plura addit, tum locutiones paulo incongruas emendare nititur. Sign. X.

18. *Montis Cassini*, biblioth. Monasterii, cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 398. OO., alias 252. Fol. 1. r. manus posterior praemisit: *D. Bonaventura in primum librum sententiarum.* Et manus adhuc recentior ad calcem eiusdem folii subdit: *Thomas in primo sententiarum.* Incipit: *Profunda fluviorum* etc. Desinit: *Explicit liber primus.* Sequitur index quaestionum. Codex antiquus et bonus. Quandoque praebet lectiones magis exquisitas. Sign. M.

19. *Mutinae*, biblioth. Atestina, cod. membr. in fol., saec. XIII, notatus num. 974. VII. I. 14. Incipit fol. 1. r., cui manus saec. XV, addidit: *Primus Bonaventure.* Hinc col. 1: *Profunda fluviorum* etc. In fine legitur: *Explicit liber primus, qui scripsit est benedictus.* Postremo sequitur tabula, quae percurrit usque ad distinctionem XIV. — Non integre collatus, sed solum in paucis locis difficilioribus inspectus. Sign. ii.

20. *Neapoli*, biblioth. Nationalis, cod. in 4. membr., saec. XIV, binis columnis exaratus, sign. VII. D. 28. Fol. 1. r. in margine superiore legitur: *Primus liber sententiarum fratris Bonaventure.* Deinde col. 1: *Profunda fluviorum.* Desinit ut ceteri. Convenit cum antiquis codd. Scriptor autem multa omisit, forsan opportuno tempore conscribenda, ut indicant spatia quam plurima, quae adhuc vacua permanent. Sign. N.

21. *Oxoniae*, biblioth. Collegii Balliolensis, cod. 133, in fol. membr., saec. XIV. ineunt. Fol. 2. v. ab antiqua manu: *Bonaventura super primum et secundum.* Commentario praemittitur tabula ordine alphabetico disposita. — Codex bonae notae, tamen multas exhibet breves additiones ipsi proprias, quae generatim sunt concinnae et bonae. Sign. O.

22. *Ibidem*, biblioth. Collegii Lincoln., cod. 25. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Ad calcem fol. 1. legitur: *Bonaventura super primum et secundum sententiarum.* Notulis marginalibus est illustratus. — Multis diversarum manuum emendationibus insignitus, ratione quarum in permultis locis cum codice O, quandoque etiam cum editione Vaticana concordat. Sign. L.

23. *Parisiis*, biblioth. Nationalis, cod. 3085. membr. in fol., saec. XIV. ineunt. A fol. 1. usque ad fol. 39. continet dubitationes litterales et tabulam primi libri sententiarum. Deinde incipit: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 139. v. per verba: *Explicit liber primus de quaestionibus extra litteram.* — Hic codex aliqua habet propria tum quoad formam, tum quoad materiam. Quoad formam, quia in ipso dubia litteralia non in fine cuiuslibet distinctionis, sed omnia insimul in principio voluminis collecta inveniuntur. Eandem separationem, etiam duplice volumine distinctam, D. Peltier (Praefat. ad tom. I. ed. Paris. pag. II.) observavit in quodam antiquo codice, qui prius fuit Capituli ecclesiae Rhemensis (cfr. infra n. 53). Quoad materiam distinguitur, quia unam alteramque dictionem sive addendo sive mutando claritatem textus promovere studet. Sign. R.

24. In eadem biblioth., cod. 15821. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 1. r.: *Profunda fluviorium.* Desinit fol. 113. v. col. 2: *Explicit liber primus.* Inter bonos codices numerandus. Sign. S.

25. In eadem biblioth., cod. 17480. in fol. membr., saec. XIII. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 149. v. col. 2: *Explicit liber primus.* Hinc: *Capitula super primum sententiarum.* Est tabula distinctionum et quaestionum a posteriore manu disposita. — In multis convenit cum modo nominato cod. S. Sign. C.

26. *Ibidem*, biblioth. Universitatis Parisiensis Sorbonae, cod. membr., saec. XIII. exeuntis, sign. Th. II. 48. Initio praemittitur tabula distinctionum, inde Commentarius, qui recurrit usque ad fol. 135. Desinit ut in edd. — A variis manibus recentioris aetatis correctus est. An. 1877 a D. Messager, tunc Vicario Eccles. Antissiod. S. Stephani, cum editis collatus est; cuius hic grato animo mentionem facimus. Sign. U.

27. *Patavii*, biblioth. S. Antonii, cod. membr. in fol., saec. XIII., sign. num. 120. Incipit fol. 3, sed 1. numerato, absque titulo: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 153. r. col. 1: *Explicit liber primus.* — Antiquus et correctus. In pluribus textus difficultatibus utilis nobis fuit, praesertim propter praecisionem et positionem verborum. Sign. P.

28. In eadem biblioth., cod. membr. in fol., saec. XIII, sign. 125. Abest primum folium. Incipit a verbis: *siccatus est fluvius*

et transierunt etc. Desinit fol. 139. r. col. 1: *Explicit liber primus.* Manus saec. XIV. addidit: *Bonaventure.* — A diversis manibus correctus. Antiquiores correctiones conveniunt cum lectionibus codicis praecedentis. Fol. 127. legitur: *Iste liber datus est ad usum fratris Guidonis anno 1283.* Sign. Q.

29. In eadem biblioth., cod. 123. membr., saec. XIV. ineunt. exaratus. Incipit fol. 1. r., cuius in superiore parte scriptum est maioribus litteris: *L. I. fratris Bonaventure.* Inferius: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 152. v. col. 2: *Explicit liber primus fratris Bonaventure super sententias.* Sequitur tabula, quae extenditur usque ad dist. XV. — Non integre collatus, sed in pluribus difficilibus locis tantum inspectus. Sign. gg.

30. In eadem biblioth., cod. 124. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 1. col. 1: *Profunda* etc. Desinit fol. 156. r. *Explicit liber primus sententiarum.* Alia manus addidit: *d. Bonaventure.* — Idem valet de hoc quod diximus de codice praecedente. Sign. hh.

31. *Romae,* biblioth. Vaticana, cod. Vat. lat. 907. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Incipit: *Profunda fluviorum* etc. Habet folia 192. In fine prima manus addidit: *Explicit liber primus Bonaventure.* — Convenit cum aliis praestantioribus codicibus. Sign. B.

32. In eadem biblioth., ex eadem collectione cod. 908. membr. in fol., saec. XIV. Incipit: *Profunda fluviorum* etc. Desinit ut in editis. — Idem de hoc iudicium ac de praecedente. Sign. D.

33. *Romae,* in biblioth. Chisiana, cod. B. VIII. 128. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 115. ut in editis. Hinc a prima manu: *Explicit primus liber boni fortune.* Quae verba rubricator linea rubra operuit et suffecit haec alia: *Explicit primus domini fratris Bonaventure super sententias.* — Multas habet lacunas et menda; praebet nihilominus bonas lectiones. Sign. E.

34. *Tuderti* in Umbria, antiqua biblioth. S. Fortunati, cod. 39. membr. in fol., saec. XIII. Incipit fol. 4. r. col. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 139. rect. col. 2, ut in editis. Fol. seq. subiicitur tabula tribus columnis exarata, referens distinctiones, quaestiones et dubitationes circa litteram. Desinit fol. 142. rect. col. 1. — Primatum tenet inter omnes nostros codd. tum propter antiquitatem (cum tempore S. Bonaventurae sit scriptus), tum propter textus multiplicem correctionem, iam a prima manu et suppari et etiam a recentioribus manibus factam, tum propter lectiones ipsi interdum proprias, quae non raro a nobis in textum sunt receptae. Notandum etiam, quod mendum aliquod, a scriptore codicis in textu scriptum, sed deinde in hoc codice iam a manu antiqua correctum, saepissime non correctum invenitur in ceteris nostris codicibus *antiquis,* et aliter correctum in *iunioribus.* Certum esse videtur, hunc codicem esse unum ex illis duobus Commentarium in I. Sent. complectentibus, quos cum multis aliis libris Cardinalis Bentivegna de Bentivegnis conventui Tudertino S. Fortunati an. 1289 legavit. Fuit hic in Ordine Min. Guardianus Tuderti, ab an. 1276 Episcopus Tudertinus, deinde successor S. Bonaventurae in episcopatu Albanensi. In biblioth. antiqua S. Fortunati adhuc exstant plura librorum inventaria antiqua (codd. 184, 186, 187.), relata apud Bonelli (Prodr. col. 479); quorum antiquius, quod refert duo exemplaria libri I. Sent., videtur factum paulo post mortem dicti Cardinalis, ergo circa an. 1289. Sign. T.

35. In *Collegio nostro* asservatur cod. chart. in 4, saec. XV, parvis litteris et abbreviate scriptus, qui inter omnes nostros codices maxime a lectione codicum saeculi XIII. discedit et ad textum ed. Vaticanae magis accedit. Sign. cc.

II.

Codices a nobis non collati.

36. *Andegavis* in Gallia, biblioth. Civitatis, asservatur cod. 193. membr. in fol., saec. XIII. exeunt., olim monasterii sancti Albini Andegavensis. Fol. 1. r. a manu recente praemittitur: *Primus liber Magistri sententiarum expositus ab anonymo.* Deinde ab antiqua manu, quae codicem exaravit: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen. Profunda fluviorum* etc. In fine: *Explicit liber primus.*

37. *Berolini,* biblioth. Regia, cod. 55. memb., saec. XV. Fol. 1. col. 1: *Tabula Bonaventure ordinis minorum super primo sententiarum incipit feliciter.* Ad calcem eiusdem: *Finis. Tabula Bonaventure ordinis minorum exit feliciter.* Inde: *Prologus Bonaventure super sententiis incipit feliciter. Profunda fluviorum.* Desinit fol. 224. r. col. 1: *Finis. Liber primus Bonaventure super sententiis ordinis minorum exit feliciter.*

38. *Brugis* in Belgio, biblioth. Civitatis, cod. 173. membr. fol., saec. XIII. Fol. 1. r. in margine superiore manus posterioris temporis scripsit: *Sanctus Bonaventura in quatuor libros sententiarum.* Sed nunc codex complectitur tantum Commentarios in librum primum et secundum.

39. *Cracoviae,* biblioth. Universitatis, cod. 1250. A. A. VI. 1. membr. in fol., saec. XIII. exeunt., et XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r., a secunda manu praemittitur: *Scriptum fratris Bonaventure super primo sententiarum. Profunda fluviorum* etc. In fine additur: *Explicit liber primus. Deo gratias.*

40. *Erfordiae* in Germania, biblioth. Regia, collect. Amploniana, cod. 122. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Fol. 1. r.: *Bonaventura super primum et tertium.* Deinde col. 1.: *Profunda fluviorum.* Desinit circa medietatem voluminis: *Explicit primus liber sententiarum.*

41. *Hispali* in Hispania, biblioth. Columbina, cod. Y. Tab. 132. N. 5. membr. in fol. parv., saec. XIV. Fol. 3. r. praemittitur Commentario tabula quaestionum, quae desinit fol. 5. v. per verba: *Expliciunt problemata primi libri sententiarum.* Deinde fol. 6. r. col. 1. incipit: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. ultim. codicis: *Explicit expliceat, ludere scriptor eat.*

42. *Lipsiae,* biblioth. Universitatis, cod. 492. in fol. membr., saec. XIV. ante med. In pergameno asseri exteriori annexo legitur: *Bonaventura super primum librum sententiarum in questionibus et lectura.* Incipit fol. 2. r. col. 1. Desinit fol. ultim. codicis, ut in editis.

43. *Lubeci* (Lübeck) in Germania, biblioth. Civitatis, cod. theol. n. 15. in fol., chart. saec. XV. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. ultim. codicis: *et hac voluntate merebatur.*

44. *Monachii,* biblioth. Regia, Cod. Lat. ms. 5175, chart. in fol., saec. XV. Fol. 1. r. legitur: *Registrum super primum sententiarum Domini Bonaventure.* Hoc *registrum* est tabula copiosa rerum, quaestionum ac dubitationum litteralium, quae desinit fol. 8. Fol. seq. r. col. 1. incipit Commentarius: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 259.

45. In eadem biblioth., cod. C. L. M. 6949, chart. in fol., saec. XV. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* Commentarium sequitur copiosa tabula, ut in praecedente, quae desinit fol. 357. r.

46. In eadem biblioth., C. L. M. 8844, chart. in fol., saec. XV. Fol. 1. r. legitur: *Principium Prologi in primum scriptum Domini Bonaventure est profunda fluviorum.* Sequitur tabula ab alia manu, sed eiusdem aevi confecta, quae protenditur usque ad fol. 3. r. Deinde Commentarius: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 327. r. col. 2, ut in editis.

47. In eadem biblioth., C. L. M. 8950. chart. in 4, saec. XV. Fol. 233. v. est Prologus sancti Bonaventure in libr. primum sententiarum. Incipit ut in editis. Desinit fol. 239. r.: *quo beata sit, nisi Deus. Et sic finitur principium Bonaventure super Sententias.*

48. In eadem biblioth., C. L. M. 11413. *a*, chart. in fol., saec. XV. Incipit fol. 1. r.: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. ultim. ut in editis.

49. *Oxoniae,* biblioth. Bodleiana, Codices Canoniciani, cod. 16, in 4. min., folior. 152, saec. XV. ineuntis. Fol. 1: *Profunda* etc. Desinit ut in editis. Dein: *Expliciunt veritates primi fratris Bonaventure cum tribus argumentis ad utramque partem.* Sequitur tabula. Ex his verbis argui posse videtur, plura argumenta in multis quaestionibus deesse.

50. *Ibidem,* biblioth. Collegii Mertonensis, cod. 0. 1. 8. membr. in fol., saec. XIII. exeunt. Fol. 1. r.: *Bonaventura super primum librum sententiarum.* Incipit: *Profunda fluviorum.* Desinit ut in editis: Deinde a prima manu additur: *Completus est liber primus Bonaventure.*

51. *Parisiis,* biblioth. Universitatis Sorbonae, asservatur cod. miscellaneus, sign. num. 3572. membr. in fol. min., saec. XIII. Fol. 77. incipit absque titulo et nomine auctoris: *Profunda fluviorum* etc., Prologus scilicet sancti Bonavennture in primum librum Sententiarum, cui subsequitur Commentarius, qui est mutilus.

52. *Patavii,* biblioth. Universitatis, cod. 1098. in fol. membr., saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Profunda fluviorum.* Desinit fol. 158. v. Sequitur inde tabula, cui additur: *Explicit hic primus auctoris in agmine simus.* Denique: *collectiones errorum in Anglia Parisius condemnatorum,* exaratae ab alia manu, sed eiusdem aevi.

53. *Rhemis,* olim Capitali Rhem. cod. E $\frac{369}{297}$ membr. in fol., saec. XIII, fol. 1. In superiore parte legitur: *Ave Maria: Sancte Martialis.* Inferius col. 1. incipit a d. 1. a. 1. *Veteris ac nove legis* etc. *Ad evidentiam definitionum et aliorum, que Magister ponit* etc. Desinit fol. 94. In sequente folio subiicitur tabula quaestionum. Fol. 97. col. 1. iterum incipit a verbis Magistri: *Cupientes aliquid de penuria* etc.; et prosequitur referens quaestiones circa litteram totius libri, quae percurrunt usque ad folium 127. Desinit: *quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen.*

54. *Romae,* biblioth. Vaticana, cod. Palat. 364. chart. in fol., saec. XV. Fol. 1. in superiore margine legitur: *Liber primus sive scriptum primi sententiarum Seraphici doctoris Bonaventure Cardinalis. Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 266: *Explicit liber primus.*

55. In eadem biblioth., cod. Urbinat. 141. in fol. membr., saec. XV. Initio praemittitur: *In hoc codice continetur liber Bonaventure de Bolneo regio Ordinis minorum super primo libro sententiarum.* Fol. 3: *Incipit liber Bonaventure Ordinis minorum super primo libro sententiarum. Profunda fluviorum* etc. In fine: *Explicit liber primus Bonaventure Ordinis minorum.* Hinc sequitur tabula, cui additur: *Tituli questionum Bonaventure super primo sententiarum expliciunt feliciter.*

56. *Spinalii* (Epinal in Gallia), cod. 61. membr. in 4, saec. XIII. Manus saec. XVIII. adiecit titulum: *Commentarius in Magistrum sententiarum,* sed siluit nomen auctoris. Incipit: *Profunda fluviorum scrutatus est.* Desinit ut in editis.

57. *Taurini,* biblioth. Universitatis, cod. D. III. 23. membr. in fol., saec. XIII. Fol. 1. r. a prima manu praemissum fuit in parte superiore: *nota hic proprietates fluvii.* Inde col. 1: *Profunda fluviorum* etc. Desinit fol. 185. v. col. 2. Additur: *Finis adest operis, mercedem posco laboris; si bene lectus ero, si non, veniam mihi quero.*

58. *Turonis* (in Gallia), biblioth. Publica, cod. 372 membr. in fol., saec. XIII, mutilus in principio; Incipit enim a distinctione XVI. ultim. quaest: *minorem dicens, si totum* etc. Manus saec. XV. superius praemisit: *Bonaventure super primo sententiarum.* Desinit, ut in editis.

§ 2. *De via ac ratione, in emendando textu primi libri Commentariorum observata, haec notamus.*

Magna illa lectionum variantium farrago, ex tot collatis manuscriptis et editionibus coacervata, novo et taedioso labore colligenda et sub uno conspectu ponenda erat, ut apta ad textum emendandum discretio earum fieri posset. Tunc apparuit, antiquiores codices saeculi XIII. ordinarie inter se, at contra editionem Vaticanam conspirare. Plerumque vix differunt nisi iis mendis, quae toties in manuscriptis etiam bonae notae inveniuntur, praecipue in verborum omissionibus, quando iidem vel similes termini repetuntur. Apparuit etiam, iuniores codices menda veteribus communia novis et saepe disparatis lectionibus corrigere solere. Apparuit porro, codicem recentioris aetatis, signatum cc, ab antiquis multum discedere cumque praelusisse saepe lectionibus editionis Vaticanae. Apparuit denique, nec hunc iuniorem codicem tantum a textu antiquo aberrasse, quantum editio Vaticana, quae secuta est proxime praecedentes editiones, discrepat ab isto codice. Unde manifestum est, per ipsas editiones saeculi XV. et praecipue XVI. textum primitivum non parum glossis et arbitrariis correctionibus mutatum esse, licet ipsi editores textum ab innumeris vitiis et mendis a se purgatum esse praedicaverint. Sed iam compertum est, editores saeculi XVI. non raro, inconsultis antiquioribus manuscriptis vel omnino neglectis omnibus codicibus, textum suo proprio iudicio vel secundum systemata eo tempore vigentia non parum mutasse vel potius corrupisse. Loci enim, qui ipsis videbantur obscuri, vel quorum modus loquendi ut obsoletus ipsos offendebat, proprio marte et non raro infausto successu corrigere nitebantur, ut diligens lector ex nostris notis saepe potest observare.

Quae principia et quas regulas nos in eligendis lectionibus variantibus et in textu Vaticanae editionis reformando simus secuti, iam in Praefatione generali breviter dictum est. Hoc loco tantum observamus, nullam nos rationem habuisse editionum Vaticanae succedentium, cum ad usum nostrum prorsus inutiles apparuerint. De antiquioribus editionibus iam supra (c. 1. § 8.) locuti sumus. Ad usum nostrum valde serviebat editio antiqua Brixiensis (sign. 1) et post eam prima Kobergeriana (sign. 2).

Dum textui emendando operam dabamus, non raro evenit, ut codices meliores unanimiter lectionem aliquam a Vaticana

discrepantem praeberent, quae primo aspectu falsa, vel non intelligibilis, vel saltem a Latino sermone abhorrens et ideo reiicienda nobis videbatur. Sed accuratiore inquisitione instituta, apparuit, codicum lectionem esse genuinam atque penitus explicari simul et probari usu loquendi illa aetate in scholis usitato. In antiquis enim versionibus operum Aristotelis, sive a Boethio secundum textum Graecum, sive ab aliis secundum textum Arabicum factis, in Commentariis Averrois vel Avicennae simili latinitate expressis, in Summulis philosophorum vel theologorum coaetaneis (v. g. Petri Hispani) invenimus easdem dicendi formulas saepe barbaras, quae in saeculis subsequentibus in scholis frequentari cessarunt. Hinc in iunioribus codicibus, sed praecipue in editionibus, non raro suppressae sunt tanquam obsoletae, immo vitiosae et absurdae, ut scilicet hac ratione textus a vitiis infinitis purgaretur. Exemplum videri potest benevolus lector in hoc I. tomo p. 13, nota 7. et p. 357, nota 8, (quae refertur ad prima verba paginae sequentis). Nos autem primitivam codicum lectionem, licet minus usitatam et elegantem, restituimus et eiusdem explicationem ad calcem subiecimus. Iure affirmare possumus, nihil nos in textu S. Doctoris proprio arbitrio mutasse, sed omnia ad normam codicum et editionum, adhibitis criticae artis regulis, sincere et moderate, quantum Deus dederit, exegisse.

In recensendis lectionibus variantibus non adoptavimus systema, novissime introductum, ponendi quam plurimas variantes lectiones cuiuscumque valoris ad calcem, ita ut lectori ipsi relinquatur onus, eligendi sibi eas quae placent. Quidquid sit de utilitate huius methodi in libris ad historiam et philologiam pertinentibus, non pauca certe adversantur usui eiusdem in edendis operibus S. Bonaventurae. Consuluimus de hac re plurimos in arte critica eruditos viros Italiae, Galliae et Germaniae, quorum consilio antiquum systema editorum Maurinorum in substantia retinuimus, notando tamen plures, quam ipsi solent, variantes lectiones, sed verbis brevissimis, et rationem etiam nostrae electionis in locis maioris momenti saltem indicando.

Nihilominus cum standum esset auctoritati codicum, luculenter apparuit, tot mutationes (licet saepe quoad sensum sint minoris momenti) in textu esse faciendas atque tot variantes ad calcem ponendas, ut notarum frequentia legentes taedio afficere atque nimio numero signorum in textu notas indicantium oculos eorundem offendere debuerimus. Ut his malis aliquo modo remedium pararemus, *primo* plures notas criticas, spectantes ad plures lineas aliquatenus inter se connexas, sub uno eodemque numero coniunximus, ita tamen, ut diversae lectiones sine difficultate inveniri possint.

Secundo, cum in codicibus plurimae lectiones variantes inveniantur in textum recipiendae, quae minoris sunt momenti et fere indifferentes, atque quo magis sunt minutae eo frequentiores occurrunt, supervacaneum et lectori molestum visum est, de eis et de mutatione in textu facta semper mentionem facere. Huiusmodi sunt frequentissimae *transpositiones* verborum, quando minime sensum attingunt; item *repetitiones* earundem particularum *et, vel, sive* etc. et verbi *est* vel *sunt* in locis, ubi facile suppleri possunt, v. g. post *notandum, intelligendum, dicendum;* item *substitutio* quarundam particularum eiusdem significationis, v. g. *vel, aut, ac, et, nec, neque* et praecipue *ergo, igitur*. Codices quidem meliores differentiam aliquam inter *ergo,* quod fere constanter post praemissas ante conclusionem ponunt, et *igitur* observant, sed editiones saepissime in hoc dissentiunt. Idem dicendum de aliquibus verbis, quae in codicibus minus accurate scriptis frequenter vel dubiae sunt lectionis, ut *contingit* et *convenit, significat* et *signat, significatum* et *signatum*, vel in scribendo falso confunduntur, ut *hic, haec, hoc*. Fere continuo in his et similibus inter se codices et editiones discrepant. Postquam in primis distinctionibus harum variantium et mutationis in textu factae aliquoties mentionem fecimus, deinceps de hoc siluimus. Attamen nihil sine auctoritate codicum commutavimus.

Etiam in modo citandi Vaticana differt saepissime a codicibus, ponendo v. g. *Per Augustinum* vel *dicitur ab Augustino* pro *dicit Augustinus*. Idem valet quoad titulos quaestionum, in quibus eadem omittendo vel addendo verba saepe differt a codicibus; quos tamen sequimur, quin in progressu operis huius mutationis mentionem faciamus.

Monemus insuper lectorem, nos constanter primitivum ordinem partium Commentarii restituisse. Ad quamlibet enim Lombardi distinctionem Commentarius tres partes distinctas habet, et quidem hoc ordine. Primo loco ponitur brevis *divisio textus*, qua et totus liber Sententiarum et unaquaeque distinctio in partes dividuntur; deinde sequuntur plures de hac materia *quaestiones* a S. Doctore propositae et solutae, quae *tractatio* plerumque subdividitur in duas vel etiam tres *quaestiones principales* (ab editoribus nominatae sunt *articuli*), quae iterum ordinarie duas vel plures quaestiones speciales continent. Tertio et ultimo loco sequuntur *dubitationes* (quemadmodum ab auctore vocantur) sive *dubia* circa verba vel sententiam Magistri, quae a S. Bonaventura solvuntur diffusius quam ab aliis commentatoribus eiusdem libri. Hanc tertiam partem codices incipiunt ordinarie his verbis: *In parte ista sunt dubitationes circa litteram et primo quidem dubitatur* (quaeritur) etc. Iam observavimus, locum et ordinem horum dubiorum in editionibus mutatum esse. In editione prima Norimbergensi 1491, cum liber Petri Lombardi (qui in codicibus Commentarii et primis editis deest) Commentario adiungeretur, ista dubia ad marginem textus Magistri ita posita sunt, ut quibusdam signis verba indicarentur, ad quae explicatio dubiorum refertur, omissis et titulis dubiorum et verbis Magistri a S. Bonav. repetitis. Sed postea ed. Romana an. 1569 et post eam editiones aliae textum Magistri ab istis additamentis ad marginem positis liberarunt; tamen illa dubia suo primo loco non restituerunt, sed immediate post divisionem textus posuerunt, nec aliquo titulo ab eadem divisione separaverunt, nec eis originarios titulos vel inscriptiones integre restituerunt, sed pro libitu aliis verbis suppleverunt. Hac immutatione plurimi errores in posteriores editiones irrepserunt, non raro sensum perturbantes, vel saltem falso citantes aliquam sententiam ut *supra* (scil. in quaestionibus) iam dictam, quae tamen iuxta ordinem harum editionum in *sequentibus* quaestionibus legitur. Omnes autem codices et etiam antiquissimae editiones habent ordinem supra dictum, quem nos cum integris titulis dubiorum restituimus. Superfluum autem esset, hunc omnium codicum consensum et hanc editionum recentiorum differentiam earumque vitia ad singula dubia notare. Sit hoc dictum semel pro semper.

Haec autem quam S. Bonav. scripsit textus Sententiarum explicatio tanti aestimata est, ut a nonnullis separatim pluries exscripta sit, cuius exemplum habemus in codice signo dd notato. D. Peltier, qui ed. Parisiensem curavit, commemorat, ut diximus, quendam codicem, qui et ipse dubia habuit separata

et in distincto volumine scripta. Mira tamen est hypothesis, quam idem editor in praefatione ad I. tomum suae editionis profert, quod scilicet Commentarius S. Bonaventurae duplicem cursum theologicum contineat, quorum primus pro incipientibus textum Magistri istis dubiis litteralibus explicaverit, alter vero postea provectis in doctrina quaestiones profundiores proposuerit. Hanc suppositionem omni carere fundamento, facile editor percepisset, si inspexisset Commentarios aliorum antiquorum v. g. S. Thomae, Petri a Tarantasia, Richardi a Mediavilla, qui post longas quaestiones brevissime aliqua dubia circa litteram Magistri explicant. Hinc patet, pauca illa verba quaestionibus succedentia non posse appellari primum cursum theologiae. Diffusiora quidem plerumque sunt ista dubia apud S. Bonaventuram, sed non possunt esse primus cursus pro incipientibus, tum quia in codicibus ordine loci sequuntur illum, quem hic editor *secundum* cursum appellat, tum quia, citando saepe praecedentes quaestiones earumque doctrinam supponendo, illas iam lectas praesupponunt. Quo fit, ut plerumque haec dubia difficiliora sint ad intelligendum quam ipsae quaestiones.

Ut autem melius in editione tres Commentarii partes, quas commemoravimus, oculis legentium appareant, adiecimus titulos superscriptos: *divisio textus, tractatio quaestionum, dubia circa litteram Magistri.*

§ 3. *De aliis subsidiis nostram editionem illustrantibus haec subiicimus.*

Editio Vaticana, quae in hoc secuta est proxime praecedentes edd., ordinarie citationes S. Scripturae et Patrum, quae in ipso textu positae erant, ad marginem reiecit. Nos autem reposuimus in textum omnes locos, quos secundum codices in ipso textu S. Bonaventurae positos invenimus. Plurimum temporis et laboris consumsimus in reperiendis et conferendis auctoritatibus, quae vel ab ipso S. Doctore passim laudantur, vel ab ipso supponuntur, vel in nostris Scholiis et notis citantur. Nullum locum citavimus, quem ipsi non inspeximus, nisi paucis in locis, ubi, deficiente opere, fidem alienam expresse allegavimus. Hoc nostrum studium doctis viris, qui nobiscum fide illarum citationum, quae a saeculis de libro in librum transmigrarunt, saepe se deceptos esse doluerunt, gratissimum esse confidimus. Veniam etiam dabunt, si nobis, adhibita etiam magna diligentia, error interdum sive in notando sive in intelligendo sive in transcribendo aliquo loco obrepserit. Hoc in primis huius libri distinctionibus facilius accidere potuit quam in posterioribus, ex quo in foliis iam typis compositis fere omnes locos in suis fontibus denuo inspeximus. Multos sane locos invenimus, qui hucusque etiam ab aliorum commentariorum in Lombardum editoribus vel omnino fuerunt neglecti, vel falso citati; pauci tantum omnem nostram diligentiam effugerunt.

Licet Doctor Seraphicus in tractandis quaestionibus philosophicis sit valde sobrius, plurima tamen philosophica in hoc Commentario *supponit,* ut iam in Praefatione generali observavimus. In omnibus argumentis ex *ratione* sumtis fundamenta eorum ex receptis illa aetate *definitionibus, axiomatibus, distinctionibus* affert, quin saepissime fontem eorum et originem indicet. Philosophiae studiosis gratum esse putamus, quod multam operam contulerimus indagando originem vel saltem primam radicem harum auctoritatum, quae plerumque in scriptis Aristotelis vel commentatorum eiusdem quaerendae erant.

Quoad *Scholia,* singulis quaestionibus a nobis addita, iis quae supra in Praefatione generali diximus, haec subnectimus. Imprimis *veritatem* et *genuinam interpretationem* Seraphici Doctoris sectandam nobis esse censuimus, quantum Deus dederit, ne ex praeconceptis scholarum opinionibus alienam vel nostram sententiam arbitrarie nostro Doctori subiiciamus. Iure autem conqueritur P. Bartholomaeus a Barberiis Ord. Capucc., in Praefatione sui cursus theologici, omnes commentatores, excepto uno Matthaeo Ferchio Ord. Min. Conventual., « vere fidelissimo Bonaventurista », Seraphicum Doctorem plerumque pertraxisse plus minusve « ad partes vel Thomistarum vel Scotistarum iuxta cuiusvis propensionem », eosque vocat non commentatores, sed adversarios doctrinae Seraphicae. — Ceterum in interpretandis locis difficilioribus et obscuris etiam invitum in talem errorem incidere posse, manifestum est. Vel ipse P. Barth. de Barberiis, licet in scriptis S. Doctoris quotidianis quinquaginta annorum studiis, ut ipse testatur, occupatus et in eis versatissimus atque veritatis, ut videtur, studiosissimus, scopulum illum, ut sui temporis opiniones S. Bonaventurae attribueret, non omnino effugisse nobis videtur. Inde ut eo cautius procederemus, non tantum ad ipsum S. Bonaventuram, sed etiam ad suum magistrum Alexandrum Halensem et ad alios synchronos scriptores nobis recurrendum esse putavimus, ut facilius veram sententiam auctoris nostri assequeremur. Inter hos eminent Petrus a Tarantasia, amicus S. Bonaventurae, qui in suo Commentario in Lombardum, manifeste plurimis in locis S. Bonav. sequitur, B. Albertus M., S. Thomas et ex nostris praeter Alexandrum praecipue Richardus a Mediavilla et Scotus. Multum nobis profuit etiam opus Fr. Bruliferi a suis discipulis reportatum; nec non in quaestionibus de Deo *uno* Summa illa P. Trigosi, et in aliis quaestionibus opus P. Foresti de Trinitate. Librum P. Barth. de Barberiis non accepimus, nisi postquam Scholia in I. librum iam scripta erant; interdum tamen eo usi sumus.

Ceterum in his nostris Scholiis minime praesumsimus, viris in doctrina theologica consummatis aliquid proponere, quod eorum attentione sit dignum. Etiam a controversiis diiudicandis, profundis mysteriis perscrutandis, longis apologiis scribendis abstinuimus, sapientioribus ea relinquendo. Nam nihil animo intendimus nisi ea proferre, quae usui esse possint studium huius Commentarii *incipientibus.*

Tentavimus autem pro viribus etiam difficillimos quosque locos explanare. Interdum autem fortasse in facilioribus locis explicandis abundavimus; peccavimus autem tunc in gratiam lectoris, quem breviter instruere iam scientem minus videtur incommodum, quam negligere nescientem.

In fine Scholiorum apposuimus praecipuorum Scholasticorum locos praecedenti quaestioni S. Bonav. respondentes. Idem iam fecit editio Vaticana, cuius tamen citationes saepissime correximus et supplevimus addendo alios auctores. Constat autem, magnos illos saeculi XIII. magistros invicem se plerumque explicare, et alium supplemento explere quod deest alii. Huic auctorum elencho adiecimus etiam aliquos Scholasticos sequioris aetatis et minoris auctoritatis, ut Durandum et Gabrielem Biel. Hi enim ipsis opinionibus suis non probabilibus et rationibus insufficientibus sapienti lectori ad veritatem distinctius intelligendam nonnunquam aliquid conferre possunt. Dionysium autem Carthusianum, saeculi XV. doctorem, ideo adscripsimus, tum quia transcribit perlongos locos fere omnium antiquorum magistrorum saeculi XIII, etiam ineditos (v. g. ex Summa Uldarici), tum quia ipse illorum antiquorum spiritum aemulatur. Notandum tamen est,

locos ab eodem transcriptos saepissime esse aliquatenus contractos vel mutatos. Ab auctoribus posteriorum saeculorum citandis vel eorum opinionibus referendis consulto nobis temperavimus, ne et nos labore et lectorem taedio opprimamus.

Ut aliquid etiam de *ratione et mente* nostra in explanando S. Bonaventura dicamus, studuimus potius diversas illorum magnorum virorum sententias conciliare et benigne interpretari, quam differentiis inter ipsos apparentibus studiose insistere, in hoc pro viribus magnum S. Doctoris nostri exemplum secuti (cfr. supra c. I. § 4.). Putamus autem, ipsum Doctorem Seraphicum in hoc motum esse a vero spiritu Ecclesiae, quae in necessariis vult unitatem, in dubiis concedit libertatem et in omnibus commendat caritatem. Bonum quidem est et utile profectui discipulorum, si uni praecipue adhaerent doctori atque uni libro; optandum etiam esset, si ad eadem principia philosophica antiqua et a S. Thoma perfectissime proposita omnes scholae catholicae reverterentur, quemadmodum a Ss. Domino nostro Leone XIII. in celeberrima sua Encyclica *Aeterni Patris Unigenitus* (4 Augusti 1879) omnibus Episcopis orbis Catholici sapienter commendatum est, ut infinitis erroribus, intellectum hominum hac nostra aetate obscurantibus, remedium paretur. Haec tamen minime obstant illi libertati, quam Ecclesia suis doctoribus et scholis in rebus dubiis concedit, immo pro bono universalis Ecclesiae tuetur. Videtur enim et providentiae divinae et utilitati Ecclesiae potius congruere, quod in decursu saeculorum S. Doctores varias rationes et modos loquendi excogitaverint, praecipue in arduis fidei mysteriis, ut infinitum atque ineffabile divinae veritatis pelagus humanis mentibus humano modo explicarent et ostenderent. Nec haec pluralitas sententiarum vel verborum, dum restringitur inter certos limites, officit fini revelationis divinae, immo etiam mysterium revelatum reddere potest hominibus suavius et credibilius.

Ad rem P. Matthias Hauzeur, de quo supra c. I. § 7. commemoravimus, egregie explanat (Collationes, tom. II. libr. III. col. 255), quomodo in una fide, quae intellectum omnium captivat in obsequium Christi, pluralitas rationum et modorum loquendi sine detrimento finis a Deo revelante intenti stare possit: « tum quia singuli, inquit, conferunt aliquid ad modum perfectiorem; tum quia non omnes homines idem eodem modo capiunt, sed ut differunt vultu, sic et saepe animi captu et affectu; hinc varii modi explicandi idem mysterium sunt accomodati ad captum plurium; tum quia singuli doctores collineant ad eandem veritatem per suum radium lucis naturalis vel alicuius illuminationis specialis, ergo non tam contradicunt sibi invicem, quam negant sibi videri... Ut enim singuli habent suam quandam sphaeram visus vel auditus, secundum quam de obiectis valde distantibus varie iudicant, sic et singuli habent quandam sphaeram intellectualem, communem quidem circa evidentia, sed velut radiis differentem circa obscura ».

Hinc iam sequitur, non esse sapientis, aliorum catholicorum doctorum praecedentium sententias vel rationes tanquam falsas contentiose impugnare atque suas proprias vel novas commendare tanquam solummodo veras, sed praestare, si fieri potest, omnes a catholicis doctoribus non omnino erronee positas sententias potius ad quandam concordiam inter se et ad eandem ineffabilem veritatem reducere, quam veritatem catholicam in infinitum varie opinando rescindere. Hoc praeclaris verbis idem auctor (tom. I. in append. col. 27) sic commendat: « *Cum nec Deus, nec ulla eius veritas sua unitate ac simplicitate sit causa vel occasio ullius dissensionis, sed pacis (I. Cor. 14, 33.), singulique doctores catholici quasi ex circumferentia veritatis sub distinctis et propriis radiis rectis ad eius centrum studiose collineent; non sunt contentiosis interpretationibus et opinionibus ab invicem alienandi, sed potius inter se et eidem veritati intentae saltem inadaequate conciliandi, ut ex Rom. 12, 3-6: unusquisque in suo sensu abundet, i. e. non sola intentione studiosa, sed etiam inadaequata participatione eiusdem veritatis* ».

Denique coacti sumus, ut maxima ex parte reformaremus illa summaria, quae sub nomine *conclusionis* et in Vaticana editione et in nostra ante responsionem ad quaestionem posita sunt. Haec ex editione Romana an. 1569 in Vaticanam transierunt. Sed plerumque doctrinam Doctoris Seraphici ista antiqua summaria minus iuste exprimere nobis visa sunt.

CAP. III.

De nostra editione librorum Sententiarum Petri Lombardi.

Vix inceptis nostris in edendo hoc Commentario laboribus, manifeste apparuit, libros Sententiarum, saltem in editione Vaticana, pluribus vitiis laborare tum quoad textum, tum quoad errores in citandis locis, ex quibus totum fere suum librum Petrus Lombardus contexit. Licet novam editionem criticam Petri Lombardi publicare non spectet ad programma a nobis publicatum, tamen P. Fidelis, dum adhuc esset in vivis, aliquid etiam pro castigandis his quatuor libris faciendum esse censuit propter intimum nexum, qui est inter libros Sententiarum et eorum Commentarium. S. Bonav. enim magnam partem earum auctoritatum, quibus utitur, sumsit ex Magistro, et praesertim in dubiis circa litteram semper ad eundem recurrit. — Ad huius consilii exsecutionem accedentes, mox invenimus, laborem hunc esse et longiorem et difficiliorem, quam cogitavimus.

Primo quidem improbus labor requirebatur, ut tot Patrum sententiae, quibus refertum est istud opus, in suis veris locis invenirentur et cum originali conferrentur. — Deinde curandum erat, ut plurima, quae auctor excerpsit ab aliis, discernerentur ab iis paucis, quae ex proprio ingenio scripsit. Familiare est enim Magistro, verba, quae aliunde accepit, tum undequaque excerpere, ita ut interdum unius eiusdemque propositionis verba contexerit ex plurium capitulorum suorum auctorum propositionibus, tum haec in usum suum mutare, eadem per varios casus inflectendo, transponendo, aliaque omittendo vel etiam interpolando. Huius rei exempla nonnulla iam in ipso Prologo Magistri lectoribus exhibuimus, ut ipsis constaret, tum quantum laboris consumendum esset in separandis per signa typographica ad hoc usitata istis testimoniis a reliquo textu Magistri, tum quod impossibile esset, ut differentia, quae intercedit inter locos a Magistro prolatos et originale, unde sumti sunt, a nobis in notis semper exhibeatur. Siquidem tam multa ex illis fontibus ad calcem producenda essent, ut ea sua mole bis vel etiam ter Magistri opus excederent.

Ut textum Magistri castigaremus adhibiti sunt quinque codd. manuscripti ex bibliotheca Nationali Florentiae, quorum infra indicem dabimus, et insuper novem editiones. Horum accurata cum editione Vaticana collatione instituta, sobrie textum corre-

ximus a plurimis mendis, quorum nonnulla satis gravia sunt. Cum autem propter paucitatem codicum, quos consuluimus, labor iste noster non sit omni ex parte completus, ordinarie nihil mutavimus in textu sola auctoritate istorum codicum, nisi eorum lectio saltem una alterave editione sive Magistri, sive illius auctoris, ex quo ipse ea verba sumsit, comprobata esse videbatur. Unde aliquas lectiones variantes, licet nobis probabiliores viderentur, ad calcem reiecimus. Notavimus autem ibi omnes variantes lectiones, quae alicuius momenti sunt, multis aliis inutilibus omissis, praesertim fere innumerabilibus iis verborum transpositionibus, quae quoad sensum vel stilum fere indifferentes videbantur. Elegimus tamen ex iis et in textu exhibuimus quae nobis magis probabantur, quamvis de istis rebus minutis saepe nullam in notis nostris mentionem fecerimus, sicut iam supra quoad textum S. Bonaventurae observavimus. Collegimus et notavimus in notis plures variantes etiam eo fine, ut si quis forte novis studiis aliam et omnino perfectam editionem Petri Lombardi editurus sit, lectionibus variantibus nostrorum codicum uti possit. Opinamur tamen, textum a nobis exhibitum satis esse correctum.

Auctoritate nostrorum codicum et illarum antiquarum editionum, quae opus Lombardi exhibent separatim, nullo adiecto commentario, quales sunt quae a nobis numeris 1, 2, 7, 9 distinguuntur, restituimus titulos singulorum capitum post Prologum positos et ab aliis editionibus ibi omissos, cum a Magistro ibi positi sint, ut in fine Prologi ipse testatur. Hos titulos etiam aliae editiones in ipso opere suis locis inseruerunt; sed valde mutatos et permixtos cum plurimis aliis rubricis, quae iam sua forma manifestant, eas non a Magistro esse factas. Nam passim de Magistro ut de tertia persona loquuntur (v. g. *ad idem redit*). Istae rubricae marginales manifeste additae sunt pro usu scholarum, et videntur in margine appositae esse sive ab innumerabilibus commentatoribus et interpretibus huius libri, sive ab alumnis scholarum, sive ab ipsis rubricistis. Paulatim cum genuinis capitulorum titulis permixtae sunt. Germani autem tituli non possunt esse alii, quam qui ab ipso Magistro in principio sui operis exhibentur. Quis enim dubitare poterit, quin Magister titulorum elenchum scripserit et Prologo subiunxerit eo fine, ut proprio loco tituli singulis capitulis in eadem forma proponerentur? Genuinos igitur hos titulos, post Prologum a codicibus et antiquis editionibus exhibitos, suo loco inserendos et ab aliis rubricistarum plurimis adiunctis penitus separandos esse, nobiscum censuit P. Fidelis, qui etiam, ut hos titulos securius suae sincerae formae restitueret, alios quindecim codices praeter istos quinque Florentinos in hac parte conferri voluit, et iuxta hos codices ipsum textum in capitula distribuit. Verum est, capitula a S. Bonaventura citata, interdum aliam distributionem textus supponere. Hoc autem nihil aliud probat, nisi quod circa medium saeculum XIII. ista rubricarum mutatio et additio iam inceperat. Videtur etiam, quod codex, quo S. Doctor utebatur, aliquas habuerit lectiones diversas ab iis, quas exhibuerunt nostri codices et editiones meliores. Nam verba Magistri, ab ipso in divisione textus et in dubiis laudata, saepius in particulis minoribus et in positione verborum aliquatenus a nostra editione discrepant. Quae differentia non penitus ex erratis involuntariis, in transcriptione facile occurrentibus, explicanda esse videtur. Cum autem nec Magistri textum iuxta lectionem *unius* codicis Bonaventuriani mutare, nec multos codices Commentarii propter lectionem textus Magistri prudenter liceat respuere, consulto utrumque dedimus iuxta codices sibi proprios.

Rubricas praestantiores, posteriore tempore additas et in editionibus aliis impressas, nos ad marginem posuimus, et quidem plerumque brevius contractas; nonnullas inutiles omisimus. — Mirum est, Magistrum nihil in suo Prologo dicere de illa distributione textus in *distinctiones,* quae in codicibus nostris et omnibus editis invenitur, licet cum aliqua differentia, ut in notis nostris monuimus. Videtur autem nobis probabilius, hanc divisionem in *distinctiones*, quae omni carent titulo, esse posterioris originis et ad usum scholae factam. Item distributio illa in *duas partes*, quae in nonnullis distinctionibus invenitur, non Magistrum habet auctorem, sed commentatorem.

Pro conclusione adiungimus tres tabulas, quae sequuntur.

INDEX AUCTORUM ET LIBRORUM

QUOS SANCTUS BONAVENTURA CITAT IN QUATUOR LIBRIS SUI COMMENTARII.

Scriptus est hic index secundum textum, qui est in editione Vaticana, non consultis codicibus, qui tamen interdum in citando auctore vel libro differunt. Si igitur aliquis defectus in hoc indice inveniatur, eum in notis corrigemus, atque in fine editionis ea opera adiiciemus, quae citantur in aliis Seraphici Doctoris libris, non vero in Commentario. Simul etiam editiones, quibus usi sumus, in hoc indice nominavimus.

1. *Alanus de Insulis.* Liber eius de Regulis fidei sine nomine auctoris saepe citatur a S. Bonav. Opera omnia habentur in Patrologia Latina edita a I. P. Migne, tom. 210. Hac editione usi sumus.

2. *B. Alcuinus, Flaccus Albinus.* Opera omnia apud eundem Migne, Patrol. Latina, tom. 100. 101.

3. *Alexander I., Papa.* Epistolae, Decreta, Privilegia, Diplomata etc. tam huius quam aliorum Summorum Pontificum, quorum nomina infra recurrunt, a S. Bonav. plerumque ex iure canonico, praesertim ex Decreto Gratiani, accepta esse videntur. Plurima horum inveniuntur etiam in amplissima Conciliorum collectione Ioannis Dominici Mansi, Episcopi Lucensis, ed. Florentiae et Venetiis 1757, 31 tom. in fol.

4. *Alexander III., Papa.*

5. *Alexander de Hales.* Summa theologica. De editionibus huius Summae cfr. supra Prolegom. c. I. § 3. Usi sumus edd. Coloniensi 1622, et Veneta 1576. Cum editiones praecedentes, sicut et codices, in partibus II. III. IV. alios numeros quaestionum habeant, horum differentiam subiungimus, conferendo nostras editiones cum editione Lugdunensi 1516, quae convenit cum Norimbergensi Antonii Koberger 1482.

In II. parte ed. Colon. habet 171 quaestiones, ed. Lugdun. 189. — Q. 72. (72. 73. 74. 75.); q. 87. (90. 91. 92.); q. 91. (96-97.); q. 94-96. (101-107.); q. 100. (111-116.); q. 143. (159-160.); q. 158. (175-176.).

In III. parte ed. Colon. habet 69 quaestiones, ed. Lugdun. 82. — Q. 15. 16. (15.); q. 18. (17-18.); q. 55. (55-59.); q. 59. (63-67.); q. 61. (69-71.).

In IV. parte ed. Colon. habet 35 quaestiones, ed. Lugdun. 114. — Q. 2. (2-5.); q. 8. (11-23.); q. 9. (24-28.); q. 10. (29-42.); q. 11. (43-53.); q. 21. (80-81.); q. 24. (84-86.); q. 26. (88-96.); q. 28. (97-104.); q. 33. (109-112.).

6. *Algazel, philosophus Arabus.* Logica et philosophia Algazelis Arabis, Venetiis 1506.

7. *S. Ambrosius, Episcopus Mediolanensis.* Opera omnia. Utimur ed. Veneta an. 1748, tom. 4 in fol.

8. *Anacletus Papa.*

9. *S. Anselmus, Episcopus Cantuariensis.* Opera omnia. Venetiis 1744, tom. 2 in fol.

10. *Apparatus.*

11. *Apuleius, L. Medaurensis philosophus.* Opera edidit Henricus de sancto Urso, Vicentiae an. 1488, tom. 1 in fol.

12. *Aristotelis Stagirita.* — Variis editionibus usi sumus ad inveniendum et seligendum eum textum, qui cum citatione verborum Aristotelis, a S. Bonaventura facta, magis concordat. Quoad *Logicam* satis conveniebat versio Boethii (ed. Migne, tom. 64., cum qua respectu divisionis capitulorum concordat ed. Veneta 1584); quoad *Physicam* vero, *Metaphys. libros de General. et corruptione, de Caelo et mundo, de Anima, Meteororum* utimur Veneta 1489 (impensa Bernardini de Tridino), in qua duas versiones continentur, scil. graeco-latina et arabico-latina (quam saepe S. Bonaventura adhibuit), una cum commentario *Averrois.* Quoad *Ethicam* consuluimus versionem antiquam in operibus S. Thomae (editio Petri Fiaccadori, Parmae 1867). In casibus alicuius momenti semper editiones nominavimus, quas secuti sumus. Quod pertinet ad citationem capitulorum, sequimur edit. Venetam 1584 supra nominatam; insuper semper allegavimus edit. Parisiis 1878 factam ab Ambrosio Firmin-Didot, eiusque citationem invenies in parenthesi positam [1].

13. *S. Athanasius, Episcopus Alexandrinus.* Opera omnia apud Migne, Patrol. Graeca [2], tom. 25-28.

14. *S. Augustinus, Episcopus Hipponensis.* Inter plurimas editiones operum huius sancti Doctoris praecipue utimur Veneta an. 1729, tom. 14 in fol. S. Augustino falso attribuuntur a Seraphico etiam libri de Spiritu et anima (de quo tamen dubitat, cfr. Prolegom. c. I. § 5.), de Fide ad Petrum, qui est Fulgentii Ruspensis, et nonnulla alia.

15. *Averroës* (Ibn Rodsch), celeberrimus inter philosophos Arabos. Praeter editionem Venetam Bernardini de Tridino 1489 consuluimus et ed. Venetam an. 1560.

16. *Avicenna* (Ibn Sina), *item Arabs.* Adhibuimus ed., Venetiis 1489 (pag. 408, n. 4. per errorem dicitur *sine anno).*

17. *S. Basilius, Episcopus Caesareae Cappadociae.* Opera omnia, Venetiis 1750, tom. 3 in fol.

18. *Ven. Beda.* Apud Migne, Patrol. Latina, tom. 90-95.

---

1 Pro inveniendis locis spectantibus ad philosophiam non raro nobis utilis fuit liber: *Auctoritates* Aristotelis, omnium recte philosophantium facile principis, insuper et Platonis, Boethii, Senecae etc. impressae (Coloniae) per Henricum Quentel 1500. Continentur in hoc libro propositiones ex praedictis auctoribus collectae et persaepe quaedam adiuncta, quae ut consectaria respiciunt illas propositiones et in scholis tanquam dicta istorum auctorum habebantur. Cfr. v. g. in nostra edit. pag. 101, n. 5.

2 Intellige: Graeca cum versione Latina.

19. *S. Benedictus, Patriarcha Monachorum occidentalium.* Regula et opuscula, Patrol. Latina, tom. 66.

20. *S. Bernardus, Abbas Claraevallis.* Opera omnia, Venetiis 1765, tom. 6 (voll. 3).

21. *Baethius, Manlius Severinus.* Opera omnia, Migne, Patrol. Latina, tom. 63. 64.

22. *Caelestinus, Papa.*

23. *Callistus, Papa.*

24. *Canones sacri.* Vide infra sub n. 53.

25. *Cassianus.* Opera, Patrol. Latina, tom. 49. 50.

26. *Cassiodorus, Magnus Aurelius.* Patrol. Latina, tom. 69. 70.

27. *De causis,* liber a S. Bonav. adhuc Aristoteli adscriptus, qui tamen continet tantum excerpta, a quodam incognito philosopho Arabo facta ex libro Neoplatonici philosophi Procli στοιχείωσις θεολογική, qui continet elementa metaphysicae. Istum libellum Gerhardus a Cremona († 1187) in Latinum convertit sub titulo *de Expositione bonitatis purae.* Cfr. de his librum doctissimum Dr. Otto Bardenhewer: Die pseudo-aristotelische Schrift Ueber das reine Gute. (Liber de causis). Freiburg, Herder 1882.

28. *Cicera, Marcus Tullius.* Opera omnia, Augustae Taurinorum 1824, tom. 16 in 8.

29. *S. Clemens I., Papa.*

30. *Concilium Caesariense.* Conciliorum collectionem iam supra n. 3 nominavimus.

31. *Concilium Carthaginense.*

32. *Concilium Chalcedonense.*

33. *Concilium Campendiense.*

34. *Cancilium Eliberitanum.*

35. *Concilium Laodicense.*

36. *Concilium Lateranense.*

37. *Cancilium Nicaenum.*

38. *Concilium Rhemense.*

39. *Concilium Toletanum.*

40. *S. Cyprianus, Episcopus Carthaginensis,* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 3. 4.

41. *Didymus, Alexandrinus* (Caecus). Patrol. Graeca, tom. 39.

42. *Dionysius, sub titulo Areopagita.* Usi sumus edit. Venet. 1756, tom. 2 in fol., interprete Balthasare Corderio S. I.; aliquando vero translatione Ioannis Scoti Erigenae, apud Migne, Patrol. Latina, tom. 122.

43. *Evaristus, Papa.*

44. *Euclides Megarensis.* Opera, impressa Venetiis 1509.

45. *S. Eusebius, Episcopus Vercellensis.* Opera, Patrol. Latina, tom. 12.

46. *S. Fabianus, Papa.*

47. *S. Franciscus Assisiensis.* Regula et opuscula, Parisiis 1641, tom. 1 in fol.

48. *S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 65. Eius librum de Fide ad Petrum S. Bonav. attribuit S. Augustino.

49. *Gelasius, Papa.*

50. *Gennadius Massiliensis.* Opera, Patrol. Latina, tom. 58. Opus eius de Ecclesiasticis Dogmatibus in Commentario a S. Bonav. Augustino attribuitur, sed in Apologia Pauperum recte Gennadio (cf. supra Prolegom. c. I. § 5.).

51. *Gilbertus Porretanus.* Commentaria edidit in aliquos libros Boethii. Ipsi tribuitur etiam liber *Sex principiorum,* inter opera Aristotelis editus. Opera omnia apud Migne, Patrol. Latina, tom. 188.

52. *Glossa* ad S. Scripturam, tum *ordinaria* Walafridi Strabi, tum *interlinearis* Anselmi Laudunensis. Utraque invenitur in Commentario Nicolai de Lyra Ordinis Minorum, cuius editione impressa Venetiis 1588, tom. 6 in fol., usi sumus.

53. *Gratianus.* Decretum seu Concordia discordantium canonum. Ex plurimis edd. nominamus Romanam an. 1582, tom. 2 in fol. et Parisiensem, Patrol. Latina, tom. 187, quibus utimur.

54. *S. Gregorius I., Papa.* Opera omnia, Venetiis 1744, tom. 4 in fol.

55. *S. Gregorius VII., Papa.*

56. *S. Gregarius, Episcopus Nazianzenus.* Opera omnia, Venetiis 1753, tom. 2 in fol.

57. *Gulielmus Antissiodarensis,* (rectius Autissiodorensis). Summa theologica.

58. *Gulielmus, Episcapus Parisiensis.* Opera, Venetiis 1591, tom. 1 in fol.

59. *Hayma.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 116-17-18.

60. *Hesychius, presbyter Hierasolymitanus.* Migne, Patrol. Graeca, tom. 93.

61. *Hermas.* Patrol. Graeca, tom. 2.

62. *S. Hieronymus.* Opera omnia, Veronae 1734, tom. 11 in fol.

63. *S. Hilarius, Episcapus Pictaviensis.* Opera omnia, Venetiis 1750, tom. 2 in fol.

64. *Haratius Flaccus.* Carmina, Augustae Taurinorum, 1830, tom. 2 in 8.

65. *Hugo de S. Victore.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 175-177.

66. *Hugutio* vel *Huguitio,* Vercellensis, edidit Glossas in decretum Gratiani; allegantur in edit. Romana indicata sub n. 53.

67. *S. Innocentius I., Papa.*

68. *Innocentius III., Papa.* Patrol. Latina, tom. 214-217.

69. *Ioachim Abbas.* Hunc S. Bonaventura I. Sent. d. 5. dub. 4. memorat, sed confutando.

70. *S. Ioannes Chrysostomus, Episcopus Constantinopolitanus.* Opera omnia, Venetiis 1734, tom. 13 in fol.

71. *S. Ioannes Damascenus.* Opera omnia, Patrol. Graeca, tom. 94. 95. 96.

72. *Iosephus.* De Bello Iudaico, Venetiis anno 1487, tom. 1 in fol.

73. *Isaac Beimiram.* Liber Definitionum, de Diaetis.

74. *Isaac, Abbas Stellensis.* Opera, Patrol. Latina, tom. 194.

75. *S. Isidorus, Episcapus Hispalensis.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 82. 83, 84.

76. *Isidorus Mercator.* Collectio decretalium, Patrol. Latina, tom. 130.

77. *Iulius, Papa.*

78. *Iulius Caesar.* Commentarii de Bello Gallico et civili, Patavii 1746, tom. 1.

79. *Legendae Sanctorum;* in specie S. Bonav. mentionem facit Legendae S. Genovefae (Acta Sanctorum, sub die 3 Ianuarii), S. Laurentii (Ibid. 10 Augusti), et S. Martini et Nicolai.

80. *S. Leo I., Papa.* Opera omnia, Lugduni 1700, tom. 2 in fol.

81. *Liber Institutionum.* Utrum sit Lactantii Firminiani (Divinarum institutionum libri VII.), in medio relinquimus.

82. *Macrobius.* Opera, Lugduni 1550, tom. 1 in 4°.

83. *S. Maximus, Episcopus Taurinensis.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 57.

84. *S. Melchiades, Papa.*

85. *Mercurius Trismegistus.* De Potestate et sapientia Dei, Venetiis 1491, tom. 1 in 4°. Dialogi, quorum titulus *Asclepias,* requirantur supra n. 11. inter opera Apuleii.

86. *Nicolaus I., Papa.*

87. *Odo,* Cancellarius Parisiensis, quem Bonav. (II. Sent. d. 24. in fine) laudat, dum sub ipso aliqui errores a Gulielmo, Parisiensi Episcopo, anno 1240 reprobati sunt, quod decretum videri potest in pluribus editionibus Magistri Sententiarum, ut in Veneta anni 1489, Basileensi 1513 et alibi.

88. *Origenes.* Opera omnia, Patrol. Graeca, tom. 11-17.

89. *Ovidius.* Opera omnia, Augustae Taurinorum 1822, tom. 8 in 8°.

90. *Pelagius, Papa.*

91. *Petrus Comestor.* Citatur sub nomine *Magister in historia.* Historia scholastica, Patrol. Latina, tom. 198.

92. *S. Petrus Chrysologus, Episcopus Ravennatis.* Opera omnia, Venetiis 1742, tom. 1 in fol.

93. *Petrus Pictaviensis.* Libri V Sententiarum, Patrol. Latina, tom. 211.

94. *Petrus Lombardus, Magister Sententiarum.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 191. 192.

95. *Petrus Praepositivus.* Videtur adhuc esse ineditus.

96. *Philippus,* Cancellarius Parisiensis.

97. *Pius I., Papa.*

98. *Plato.* Opera, ed. H. Stephani 1578, tom. 3 in fol.

99. *Porphyrius.* Isagogae et commentaria quaedam in Aristotelem.

100. *Priscianus Caesariensis, Grammaticus.* Opera, cura Aug. Krehl, Lipsiae 1819, tom. 2 in 8°. Haec ed. continet 18 libros Prisciani; aliae edd. antiquae dividunt haec opera in duas partes, quarum prima continet libros 16 de octo partibus orationis, secunda libros 2 de constructione.

101. *S. Prosper, Aquitanus.* Opera, Venetiis 1744, tom. 2 in fol.

102. *Prudentius.* Opuscula varia, Patrol. Latina, tom. 115.

103. *Ptolemaeus Alexandrinus.* Geographia, Venetiis 1562, tom. 1 in 4°.

104. *Rabanus Maurus.* Opera omnia, Patrol. Latina, tom. 107-112.

105. *S. Remigius, Episcopus Antissiodorensis.* Patrol. Latina, tom. 131.

106. *Richardus a S. Victore.* Patrol. Latina, tom. 196.

107. *Sallustius, C. Crispus.* Opera omnia, Augustae Taurinorum 1827, tom. 1 in 8°.

108. *Seneca, Lucius Annaeus.* Opera omnia, Augustae Taurinorum 1828, tom. 5 in 8°.

109. *Simon Tornacensis.* Fuit magister in Universitate Parisiensi circa an. 1216. Summa eiusdem theologica videtur adhuc esse inedita.

110. *Sotherus* (Sother), *Papa.*

111. *Strabo.* Rerum geographicarum libri XVII, Lutetiae Parisiorum 1620, tom. 1 in fol. Idem de Motu orbis, Venetiis 1510, tom. 1 in fol.

112. *Strabus Walafridus.* Vid. supra n. 52.

113. *Symbola* Apostolorum, Nicaenum et Athanasian.

114. *Theodorus, Papa.*

115. *Urbanus, Papa.*

116. *Victor, Papa.*

117. *Victorinus Afer.* Opera, Patrol. Latina, tom. 8.

118. *Zacharias, Papa.*

Huic elencho addimus editiones auctorum, quibus in notis et Scholiis saepe usi sumus, nempe B. Alberti M. in libros Sententiarum, ed. Basileae 1506; Summa, ibid. 1507. — S. Thomae Opera omnia, Parmae, Fiaccadori. — Scoti Opera omnia, Lugduni 1639. — Richardi a Mediavilla Comment. in Sententias, Venetiis 1509. — Ægidii Romani Comment. in Sententias, Venetiis 1521. — Gabrielis Biel Comment. in Sententias, Tubingen 1501. — Petri Hispani *Summulae* sive Isagogae in Aristotelicos dialecticae libros, Basileae per Michaelem Furter 1511; *Parva Logicalia* (tract. Syncategorematum), Venetiis 1572.

Praenotanda ad tabulam sequentem.

In sequenti tabula codices a nobis collati sub uno conspectu iuxta ordinem alphabeticum *signorum* ponuntur. Pauci illi codices, qui tantum in nonnullis difficilioribus locis a nobis consulti sunt, distinguuntur signo *. Ne enumerando semper singulos codices, serie codicum nimis longa lectorem taedio afficeremus, verbis generalibus saepe numerum eorum significavimus hoc modo. Ponendo verba *antiqui codd.* (antiquiores) notamus omnes vel fere omnes codices a nobis collatos, excepto codice cc. — *Fere omnes* a nobis saepe adhibetur, quamquam coniectamus, *omnes* convenire. Si enim paucissimi tantum nostrorum codicum pro aliqua lectione desunt, praesumendum potius est, hoc silentium debere explicari ex quadam involuntaria omissione conferentis, non ex differente lectione codicis. Quam facile istae omissiones in rebus parvis etiam diligenter codices conferentibus accidant, noverunt omnes huius rei periti. — Sub vocabulo *plurimi* intelliguntur saltem 20 codices, ex omni familia et natione notati. — *Multi* intelligantur 15 et amplius. — *Plures* (plerique) sunt saltem 8. — Quando numerus eorundem est minor quam 8, adhibemus terminum *nonnulli* et denique *pauci.* Vix opus est dicere, nos sub termino generali *codices* non intelligere nisi eos, qui a nobis cum editione Vaticana sunt collati.

Praeterea haec notamus. 1. Citando distinctiones ex ipso libro Petri Lombardi utimur numeris *Romanis;* citando vero Commentarios S. Bonaventurae vel aliorum, numeris *Arabicis.* Quando, citando Commentarium S. Bonav., in aliqua distinctione omittimus *articulum,* signum est in ista distinctione esse unicum tantum articulum. 2. Brevitatis gratia in Scholiis notisque usi sumus verbo *hic* (hic), ut significemus, istum locum esse in Commentario ad libros Sententiarum et quidem in *eodem libro* et in *eadem distinctione,* de qua agitur. 3. Locos ex aliis libris S. Bonaventurae afferentes, facere non potuimus, quin textu uteremur editionum et quidem Vaticanae, in quo tantum interdum aliqua errata correximus.

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

I. LIBRI COMMENTARIORUM [1].

A . . Cod. Assisiensis 42. (1.).
B . . . » Vaticanus 907. (31.).
C . . . » Parisiensis I. Nation. 17480. (25.).
D . . . » Vaticanus 908. (32.).
E . . . » Romanus Chisian. B. VIII. 128. (33.).
F . . . » Florentinus I. C. VI. Nation. 209. (6.).
G . . . » Florentinus II. Nation. D. V. 206. (7.).
H . . . » Florentinus III. Nation. D. V. 207. (8.).
I . . . » Florentinus IV. Nation. I. VII. 7. 45. (9.).
K . . . » Florentinus V. Laurent. plut. dext. XXV. 2. (11.).
L . . . » Oxoniensis I. Colleg. Lincoln. 25. (22.).
M . . . » Cassiniensis 398.00 (18.).
N . . . » Neapolitanus Nation. VII. D. 28. (20.).
O . . . » Oxoniensis II. Colleg. Balliol. 133. (21.).
P . . . » Patavinus I. Convent. S. Ant. 120. (27.).
Q . . . » Patavinus II. Convent. S. Ant. 125. (28.).
R . . . » Parisiensis II. Nation. 3085. (23.).
S . . . » Parisiensis III. Nation. 15821. (24.).
T . . . » Tudertinus 39. (34.).
U . . . » Parisiensis IV. Sorb. Th. II. 48. (26.).
V . . . » Mediolanensis Ambros. I. 95. infer. (14.).
W. . . » Monacensis I. Reg. C. L. M. 14086. (16.).
X . . . » Monacensis II. Reg. C. L. M. 18344. (17.).
Y . . . » Bambergensis Civit. B. III. 42. (2.).
Z . . . » Lipsiensis Univers. 491. (13.).
aa . . . » Cracoviensis I. Univers. 1246. DD. XIV. (4.).
bb. . . » Cracoviensis II. Univers. 1252. A. A. XI. 16. (5.).
cc . . . » In Collegio S. Bonavent. (35.).
dd. . . » Monacensis III. Reg. C. L. M. 8079. (15.).
ee . . . » Florentinus VI. Laurent.[2] LXX. Fes. (12.).
ff . . . » Florentinus VII. Nation. C. VI. 208. (10.).
gg . . . » Patavinus III. * Conv. S. Ant. 123. (29.).
hh. . . » Patavinus IV. * Conv. S. Ant. 124. (30.).
ii . . . » Mutinensis * Atestin. 974. VII. I. 14. (19.).
kk. . . » Bononiensis * Colleg. Hisp. 35. (3.).

EDITIONES.

1. Brixiae 1490.
2. Norimbergae 1492.
3. Venetiis I. 1562.
4. Venetiis II. 1673.
5. Venetiis III. 1580.
6. Lugduni 1570.

---

[1] Numeri intra parenthesim positi indicant locum in Prolegom. c. II. § 1. (pag. LXXVI seqq.), ubi hi codices describuntur.

[2] Hic codex in primis distinctionibus per errorem cum cod. ff confusus est, quod lector faveat corrigere p. 2, nota 1. et 7; pag. 3, nota 2, ponendo ff pro ee. Pag. 40, nota 3. convenit cum cod. A. Pag. 2, nota 19. circa medium, pag. 67, nota 8. et pag. 139, nota 10. cod. ee omitti debet, sicut etiam cod. ff pag. 4, nota 1. in fine.

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM LIBRI SENTENTIARUM PETRI LOMBARDI.

CODICES SUNT FLORENTINI (Nation.).

A. . . Cod. VI. 27. S. Marci.
B. . . . » VI. 28. S. Marci.
C. . . . » VI. 32. S. Marci.
D. . . . » 2599. B. 1. olim Abbatiae Florentinae.
E. . . . » 2559. A. 4. olim Abbatiae Florentinae [1].

EDITIONES LIBRI SENTENTIARUM A NOBIS CONSULTAE.

1. Edit. Veneta an. 1481.
2. Edit. Nuremberg. (Koberger cum Comment. S. Bonaventurae) 1499.
3. Edit. Veneta 1509. (cum Comment. Richardi).
4. Edit. Lugdunens. 1540.
5. Edit. Coloniens. 1535. (cum Comment. Dionysii Carth.).
6. Edit. Lugdunens. 1639. (cum Comment. Scoti).
7. Edit. Veneta 1489.
8. Edit. Parisiens. 1659. (cum Comment. D. Thomae).
9. Edit. Basileens. 1513.

Pro edendis capitulis post Prologum Magistri positis usi sumus his codicibus.
Ex biblioth. Laurentiana Florentiae:

F — plut. 21. . cod. 24.	L — plut. 30. dext. cod. 1.	S. Crucis.
G — » 21. . » 26.	M — » 25. » » 1.	
H — » 21. . » 27.	N — » 31. » » 1.	
I — plut. 28. dext. » 2.	O — Gaddian. . . » 59.	
K — » 24. dext. » 1. S. Crucis.		

Ex biblioth. Patavina Conv. S. Antonii:

P . . . N. VIII. cod. 151.	S . . . N. VIII. cod. 149.
Q . . . » » » 136.	T . . . » » » 150.
R . . . » » » 139.	

[1] Hi codices sunt saeculi XIII. ante medium, excepto Cod. E, qui est saec. XV, et licet sit splendidissime scriptus pro usu criticae minoris est pretii quam alii quatuor, inter quos praeponendus est cod. D.

PROLEGOMENA
AD SECUNDUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Divina favente providentia, Omnium Operum Seraphici Doctoris S. Bonaventurae secundus tomus in lucem a nobis editur, tardius quidem, quam ipsimet exoptavimus, sed non nimis tarde, si respicitur ad laboris operosi lateque patentis mensuram, quae requirebatur, ut oneri suscepto pro votis virorum doctorum et pro nostris viribus, sane mediocribus, sufficere possemus.

Volumen hoc complectitur integrum in secundum librum Sententiarum Petri Lombardi Commentarium, qui eminet et amplitudine molis et praestantia doctrinae. Ipse enim plus tertia parte amplior est quam eiusdem Commentarius in I. librum Sententiarum; atque semper simul cum Commentario in III. librum praecipuis laudibus a viris doctis celebratus est (cfr. Prolegom. ad I. tom. c. I.).

In edendo et illustrando hoc volumine eandem ac in primo viam et rationem secuti sumus; unde benevolum lectorem pro notitia huius rationis acquirenda remittimus ad ea quae tum in Praefatione generali (pag. XXXIII. seqq.), tum in Prolegomenis (c. II. § 2. 3, pag. LXXIX. seqq.), tomo I. praefixis, satis exposuimus. Sufficit igitur, ut hic pauca subiiciamus, quae proprie ad huius secundi tomi editionem spectant.

§ 1. *Antiquus index locorum, in quibus duo Ss. Doctores, Thomas et Bonaventura, in eorum Commentariis super II. librum Sententiarum dissentiunt.*

In Prolegomenis ad I. librum huius Commentarii (pag. LXX. col. I.) publicavimus ex duobus antiquis codd., ibi descriptis, scilicet *Burghesiano* de Urbe, qui est saec. XIII. exeuntis, et *Luneburgensi*, paulo iuniore, ineditum ad id temporis indiculum 24 locorum, in quibus quoad I. librum Sententiarum praedicti Doctores dissentiunt. Nunc continuamus eundem indicem quoad II. librum Sententiarum, exhibentes, sicut ibi, lectionem codicis Burghesiani, additis intra uncinos alterius codicis lectionibus variantibus. Praenotandum autem est, quod praedictus index manifeste non respicit nisi Commentarium S. Thomae in librum Sententiarum, non posteriores eiusdem libros, praesertim Summam theologicam. Habet etiam alios defectus, quorum aliquos notavimus; et quod mirum est, interdum citat solummodo locos S. Thomae, ipso non nominato, dum plerumque solum S. Bonaventuram allegat. Nonnullos errores in scribendis numeris correximus et intra parenthesim specialius indicavimus articulos et quaestiones Commentarii S. Bonaventurae, ubi in scholiis etiam S. Thomae loci respondentes inveniri possunt.

Hae sunt quaestiones, in quibus dissentiunt in secundo libro Bonaventura et Thomas.

[Hi sunt (loci), in quibus dissentiunt in secundo].

1. Quod creatio-passio non est passio, sed relatio, non prior re creata, sicut nec filiatio est prior Patre, distinctione prima (p. I. a. 3. q. 2.).

2. Utrum Deus potuerit communicare alicui creaturae potentiam creandi, d. 1. (p. II. a. 1. q. 1.); [omittit verba seq.] Bonaventura, quod non, cum creatura non sit capax infinitatis, et illa est opinio communis; Thomas, quod sic, non tamen asserendo.

3. Utrum mundum non esse aeternum, sit demonstrabile [addit: d. 1. (p. I. a. 1. q. 2.), omittit sequentia]; Thomas, quod non, cum sit articulus fidei; Bonaventura, quod sic, saltem per deductionem ad impossibile.

4. Utrum anima uniatur corpori mediantibus spiritibus, scilicet animali, vitali et naturali; et a parte animae mediantibus [moventibus] potentiis [scilicet] vegetativa, sensitiva et intellectiva [motiva], d. 1. q. penultima (scilicet in Comment. S. Thomae, sed in Bonav. p. II. a. 1. q. 2.).

5. Utrum aevum sit [natura] permanens [omitt. usque *ubi*] vel successivum, d. 2. q. 3. in fine (p. I. a. 1. q. 3.), ubi etiam reprobat modum de emanatione rivuli a fonte et radii a sole.

6. De modo accipiendi unitatem temporis a materia, vel a motu, d. 2. (p. I. a. 1. q. 2.).

7. Utrum sit unum aevum, vel plura, d. 2. q. 2. (eodem loco).

8. Utrum caelum empyreum influat in ista inferiora, d. 2. p. II. (a. 1.) q. 2.

9. Utrum Angelus sit compositus ex materia et forma, d. 3. (p. I. a. 1.) q. 1.

10. Item dicit, quod immutabilitas est in Angelo non secundum aliquid additum determinans, sed forma Angeli in se determinata est per privationem omnis additionis, [omitt. seqq.] sicut divinum *esse* dicitur ab aliis distinctum, d. 3. q. 1. (hoc refert *S. Thomas*, II. Sent. d. 3. q. 1. a. 2.).

11. Utrum omnes Angeli differant specie, (S. Thom., II. Sent.) d. 3. q. 4. [omittit seq.]; Thomas, quod sic; Bonaventura, quod non omnes, d. 3. q. 4. (i. e. p. I. a. 2. q. 1.).

12. Item (supple: S. Thom.) dicit, quod secundum gradus possibilitatis [in mixto] (lege: *permixtae*) est [fit] distinctio numeralis, d. 3. (q. 1.) a. 3; (in Bonav., d. 3. p. I. a. 2. q. 1-3).

13. Utrum Angeli naturali dilectione diligant Deum propter se et super omnia, d. 3. [lectione secunda], intellige *parte II.* q. 5. (a. 3. q. 1.).

14. Item [de ratione], quare Angelus in primo instanti suae creationis non potuit esse malus, d. 3. lectione 2. q. 2. (p. II. a. 1. q. 2.).

15. Item, de modo cognoscendi ipsius Angeli per species innatas respectu rerum in proprio genere, d. 3. lectione 2. q. 3. (p. II. a. 2. q. 1.).

16. Utrum Angeli fuerint creati in gratia, an non, d. 4. (a. 1.) q. 2.

17. Utrum Angeli ad perfectam conversionem indiguerint appositione gratiae gratis datae, d. 5. q. 5. (a. 3. q. 1.).

18. Utrum peccatum luciferi duratione praecesserit peccatum [peccata] aliorum [inferiorum] angelorum, d. 5. q. 4. (a. 2. q. 2.).

19. De appetitu luciferi, d. 5. (a. 1.) q. 1.

20. Utrum mali angeli [daemones] crucientur poena infernali, d. 6. q. 3. (a. 2. q. 1.).

21. Utrum boni Angeli possint immittere cogitationes; et dicit, quod sic, (non?) sicut Deus directe, d. 8. (p. II. q. 4, ubi de malis angelis agitur; de bonis vero quoad illuminationem d. 10. a. 2. q. 2; sed neutro loco docetur id quod hic dicitur).

22. Utrum daemones possint esse intra corpora hominum, d. 8. p. II. q. 1, in responsione primi argumenti [desunt haec ultima verba].

23. Utrum homines salvandi assumentur ad ordines Angelorum, d. 9. q. 5.

24. Item, quod mysterium Incarnationis Christi non innotuit Angelis per Ecclesiam, nisi sicut contingentia cognoscuntur, cum eorum causae determinantur [eorum *esse* determinatur], d. 9. [d. 3. p. II. q. 3.] (a. 2. q. 1. ad 1, cfr. III. Sent. d. 2. dub. 4, d. 25. a. 1. q. 2. ad 4.).

25. [Utrum Angelus Angelum purget, illuminet et perficiat post iudicium, d. 9. q. 6.].

26. Utrum Angeli de media hierarchia mittantur, d. 9. q. 8. (potius d. 10. a. 1. q. 2.).

27. Utrum Angeli custodes promoveant obstinatos, d. 11. q. 4. (a. 2. q. 1.).

28. Utrum materia omnium spiritualium et corporalium sit una (in S. Thom.) d. 12. q. 1. (apud Bonav. vero ibid. a. 2. q. 1.).

29. Utrum omnia sint simul producta et distincta, (S. Thom.) d. 12. q. 2. (Bonav., a. 1. q. 2, cfr. d. 2. p. II. a. 2. q. 3.).

30. Utrum materia prima sit producta sub aliqua diversitate formarum, d. 12. (a. 1.) q. 3. (Thom. ibid. q. 2.).

31. Utrum lux magis proprie inveniatur in corporalibus quam in spiritualibus, d. 13. (a. 1.) q. 1. (ad 3.).

32. Utrum lux sit forma substantialis, vel accidentalis, d. 13. q. 4. (a. 2. q. 2.).

33. Utrum in Angelis sit magis imago Dei quam in hominibus, et utrum magis in viro quam in muliere, d. 16. q. 4. et 5. (a. 2. q. 1. 2.).

34. Utrum anima rationalis sit composita ex materia et forma, d. 17. (a 1.) q. 2.

35. Item, probat, intellectum possibilem et agentem non esse duas potentias, d. 17. (potius d. 24. p. I. a. 2. q. 4. cfr. S. Thom. d. 17. q. 2. a. 1.)

36. Item, quae [quid] sit ratio seminalis, d. 18. (a. 1.) q. 2.

37. [Item], quod in naturalibus nihil sit agens nisi forma accidentalis, d. 18. (a. 1.) q. 3.

38. Quod anima sensitiva [sensibilis] nec est corpus, nec est in semine viri nisi in potentia activa, sicut forma domus est in mente artificis, sicut domus in lignis et lapidibus, d. 18. (a. 2. q. 3, scil. in Comment. S. Thomae, ubi dicta verba inveniuntur; cfr. Bonav., d. 15. a. 1. q. 1.).

39. Utrum primus homo appetierit esse sicut Deus, d. 22. (a. 1.) q. 2.

40. Utrum liberum arbitrium sit habitus, vel potentia; in Thoma d. 24. (q. 1. a. 1, in Bonaventura d. 25. p. I. q. 4.).

41. Item, quod liberum arbitrium non comprehendit rationem et voluntatem sicut habitus utriusque, d. 25. p. I. q. 3, vel [quod] improprie dictum est, ibid. q. 4. (et 5.).

42. Item, quod liberum arbitrium [non] nominat voluntatem relatam ad rationem, sive prout virtus rationis manet in ea, d. 25. (p. I. q. 5.).

43. Utrum gratia insit animae secundum substantiam, vel secundum potentias [insit animae, vel potentiis], d. 26. q. 5.

44. Item, ubi quaeritur, utrum gratia sit in anima, in Thoma (a. 3.) [quod in his qui ponunt], gratiam primo inesse potentiis, necesse est, ponere plures gratias in anima, d. 26. q. 5.

45. Item, quod [Utrum] gratia et virtus differant [distinguantur] per essentiam, d. 27. (a. 1.) q. 2.

46. Utrum homo possit sine gratia resistere omni peccato mortali, d. 28. a. 2. in Thoma, d. 30. in Bonaventura (potius d. 28. a. 2. q. 2.).

47. Utrum primo homini fuerit collatum adiutorium naturale, per quod potuisset absque gratia tentationi resistere, [d. 30. in Bonaventura (potius d. 24. p. I. a. 1. q. 2.), d. 24. in Thoma], d. 24. q. 2. (potius q. 1. a. 4. i. e. in S. Thoma).

48. Utrum liberum arbitrium possit omni tentationi absque peccato resistere, d. 28. q. 5. (a. 2. q. 2.).

49. Item, quod Christus meruit omnibus gratiam merito condigni, d. 27. (ita S. Thom., ibi a. 6; cfr. Bonav., ibi a. 2. q. 2.).

50. Item, quod nullus meretur gratiam alteri primo nisi merito congrui, plus tamen est ibi de ratione meriti, quam quando quis [aliquis] meretur sibi, d. 27. q. 5. (a. 2. q. 3.).

51. Utrum liberum arbitrium absque omni gratia gratis data possit se sufficienter disponere ad gratiam gratum facientem. d. 28. q. 4. (a. 2. q. 1.).

52. Utrum Adam in primo instanti suae creationis habuerit gratiam, (S. Thom.) d. 29. (a. 2.), quod est contra Bonaventuram ibidem (a. 2. q. 2.), quod magis patet libro tertio, d. 32. [vel ubi quaeritur, utrum fides evacuetur in patria] (haec quaest. est III. Sent. d. 31. a. 2. q. 1; ubi tamen de praedicta quaestione non agitur).

53. Item, ubi quaeritur, utrum homo tantum habuisset in primo instanti de gratia, quantum post peccatum, dicit, quod homo in primo instanti habuit fidem, d. 29. q. 5. 6. (a. 3. q. 1. 2.).

54. Utrum aliquid transeat in veritatem humanae naturae per actum generationis; sive utrum aliquid decidatur de substan-

tia gignentis [sive aliquid excidatur a gignente], d. 30. q 5. (a. 3. q. 1.).

55. Utrum peccatum prius insit in substantia animae quam potentiis; in Bonaventura. d. 31. (a. 1.) q. 2, in Thoma, d. 31. (q. 2. a. 1.).

56. Utrum gradus nobilitatis. qui est in animabus [omittit: qui est in animabus] sit a corporibus; in Bonaventura super litteram d. 32. (dub. 6.), in Thoma, d. 32. (q. 2. a. 3.).

57. Utrum conscientia erronea obliget, d. 39. (a. 1. q. 3.).

58. Utrum malum dicatur de malo culpae et poenae, d. 37. (S. Thom., d. 35. a. 1, S. Bonav. d. 36. passim; sed de boc non est dissensus).

59. Utrum actus voluntatis deliberativae sit distinctus ab actu voluntatis naturalis, d. 41. (a. 1. q. 1. et d. 24. p. 1. a. 2. q. 3.).

60. Utrum in operibus deliberatis sit aliqua actio indifferens; in Bonaventura, d. 41. (a. 1. q. 3.), in Thoma, d. 40. (a. 5.) [omittit].

61. Utrum suffragia facta pro defunctis prosint eis; Thomas in quaestione, qua quaeritur, utrum eadem actio possit esse bona et mala, d. 40. q. 4, in quodam argumento (ad 5.); Bonaventura, d. 45. (a. 2. q. 1. 2. 3.) quarti libri.

62. Utrum aliquis in primo instanti possit peccare, d. 43. (de hac quaestione S. Bonav. aliquid habet d. 3. p. II. a. 1. q. 2; sed scriptor errasse videtur et potius voluisse significare quaestionem: utrum aliquis possit peccare in *Spiritum S.* in *primo actu peccati,* de quo loquitur S. Thom., d. 43. a. 5, et S. Bonav., ibi a. 1. q. 2. Et revera de hac quaestione iidem diverso modo loquuntur).

Ex hoc indiculo, licet aliquatenus imperfecto, iam satis apparet, praedictos Ss. Doctores inter se dissidere in pluribus et maioris momenti quaestionibus II. libri Sententiarum, quam invenimus in quaestionibus I. libri. Nemini autem prudenti, aequa lance rem pensanti, videri debet mirabile et odiosum, quod duo Doctores, sanctitate, ingenio, doctrina praestantes, et eadem fide et spiritu, nec non amicitia eorundemque principiorum professione intime coniuncti, non idem de eadem re semper doceant; multo minus haec res alicui praebeat offensionem, ut vel alterum contentiose quasi in acie obiiciat alteri, vel charismata Dei alteri collata despicatui habeat, ut alterum pro gloria humana exaltet; de quo graviter conqueritur auctor aurei opusculi de *Imitatione Christi* (III. c. 58.).

Sed ut aliqua dicamus de istis differentiis, *primo* perpendendum est, maiorem harum differentiarum partem spectare vel ad tractatum de Angelis, in primis ad proprietates eorum naturales, vel ad quaestiones physicas et philosophicas de rebus naturalibus, et quidem satis obscuras et dubias, de quibus etiam inter doctos huius aetatis viros libere controvertitur. Ut exemplo utamur, doctrina illa, quae tenet, quod materia et forma sint duo principia rerum omnium corporearum constitutiva, communis est omnibus Scholasticis; sed in accuratiore explicatione et applicatione huius principii seraphicus et angelicus Doctor aliique in pluribus non conveniunt, praesertim quoad omnimodam unitatem formae substantialis in chimicis mixtionibus (cfr. scholia ad d. 3. p. 1. a. 1. q. 1, d. 13. a. 2. q. 2.). — In his et similibus autem quaestionibus, ad fidem non spectantibus, S. Bonaventura suam sententiam plerumque disertis verbis, vel saltem implicite, tantum ut probabilem, vel ut sibi probabiliorem proponit, ita ut non tam de ipsa re quam de maiore vel minore gradu probabilitatis sit dissidium opinionum. Hoc semper supponendum est, quando praedicti Doctores, loquentes de rebus physicis, astronomicis, medicis, quae via experimentali noscuntur, ex aliena scientia depromunt opiniones, quae a peritis in arte tunc receptae erant. Nam « medicis in his quae dicunt circa suam scientiam, credendum est, et naturalibus similiter in his quae dicunt circa suam scientiam, credendum est » (infra d. 30. a. 3. q. 1. fundam. 1.). Haec regula pro *usu vitae* est firmissima atque pro omni aetate pernecessaria; in ratione autem *doctrinae,* fluctuantibus continuo et alternantibus harum disciplinarum multis assertionibus, eadem regula saepissime fefellit et fallit et ultra fallet. Non est igitur aequum exprobrare Scholasticis, quod Aristoteli, Ptolomaeo, Averroi, Avicennae aliisque in his fidem praestaverint, et non pauca admiserint dicta de caelis, de motu siderum, de generatione aequivoca aliisque multis observationibus physicis, quae nostra aetate, multiplicatis mediis observationis et studiis, probata sunt vel ut falsa, vel ut incerta, vel ut insufficientia (cfr. d. 2. p. II. a. 1. q. 1. 2, d. 14. p. I. II, passim). Immo laudandum est potius studium aequum et impigrum et ab omni obtrectatione liberum, quo illi viri in doctrinis naturalibus gentilium quasi scholam discendi causa frequentabant, neque ipsorum Arabum, capitalium illa aetate christiani nominis inimicorum, scientiam in usus suos convertere aspernabantur, eo altissimo fine, ut quidquid ubicumque inveniatur vere dictum, in usum converterent et famulatum revelatae veritatis et Salvatoris Christi. Hinc S. Bonav., loquens de corpore humano (d. 17. a. 2. q. 1-3, d. 30. a. 3. q. 1. 2.), non pauca ex libris medicis Avicennae in suum usum convertit.

Secundo, repetimus et confirmamus, etiam quoad hunc II. librum Sententiarum, id quod diximus in Prolegomenis ad I. Sent. c. I. § 5. (pag. LXIII), scilicet quod nonnullae sententiae in his Commentariis inveniantur nunc *obsoletae*, sed non *proprie singulares,* cum S. Bonaventurae, ut ipse dicit, omnino propositum esset, non tradere nisi doctrinam communiter, vel saltem a gravioribus magistris approbatam. Ipse raro *contradicit* Magistro Sententiarum (vide infra Praelocutionem pag. 2, et d. 44. dub. 3.), licet pluries aliorum sententiam praeferat; rarius adhuc discedit a suo praeceptore Alexandro Hal., tamen complura eiusdem dicta accuratius interdum definit. Quidquid igitur nonnulli, etiam egregii, auctores de aliquibus huius II. libri sententiis dixerint, quod scilicet sint *singulares* S. Bonaventurae opiniones; exploratum habemus et in nostris scholiis abunde probavimus, notatas a praedictis opiniones minime a S. Bonav. fuisse inventas, sed a praecedentibus multis et celeberrimis magistris acceptas et ab aliis eiusdem aetatis approbatas. Hoc tantum concedendum est, eundem interdum pro suo ingenio et more mediam viam inter duas contrarias, a gravibus auctoribus positas sententias aperuisse, ostendens, sub quo respectu utraque verum dicat (cfr. Prolegom. cit. c. I. § 4, pag. LXII col. II.).

Tertio, in quaestionibus, quae non determinantur fide revelata sive magisterio Ecclesiae, nec prope concluduntur a primis principiis evidentibus, quis nescit, etiam illuminatissimos Ss. Patres non raro dissentire, atque in rebus profundis et obscuris diversis ingeniis diversa videri probabilia? Solus Deus est *veritas per essentiam;* soli Ecclesiae cum suo Capite per specialem Spiritus S. assistentiam competit in definiendis dogmatibus *inerrantia.* De aliis omnibus *peregrinantibus a Domino*

(II. Cor. 5, 6.) dictum est: *Ex parte cognoscimus* (I. Cor. 13, 9.). Hinc multa remanent sapientissimis ignota, multa incerta, multae quaestiones, et ad morales et ad speculativas disciplinas spectantes, non nisi cum *probabilitate* solvendae. Et quod plus est, nemo sine aliquo errore, saltem circa particularia; « quia homo frequenter decipitur, deceptione potius, quae est poena quam culpa, a qua vix aliquis tractator catholicus immunis fuit. Et ideo talis dissensio reprehensibilis non est. Quamvis enim discordent aliquo modo iudicia, concordant tamen desideria; omnes enim catholici tractatores veritatem dicere volunt » (infra d. 15. dub. 3.). Plura alia attentione digna ibidem dicuntur de dissensione catholicorum auctorum (cfr. etiam Prolegom. cit. pag. XXXII, col. I.). Hac igitur ratione ductus sinceraque humilitate plenus, Seraphicus Doctor semper cum modestia, valde observanda et imitanda, loquitur de probatorum doctorum opinionibus ipsi non probatis. Unde v. g. de quadem opinione Hugonis et Magistri dicit (infra d. 30. a. 3. q. 1. ad 1.): « Verbis eorum in hac parte magistri communiter non consentiunt, *nec ego ipsos bene intelligo; nec tamen affirmo, illos falsum dixisse,* sed magis intelligo aliam opinionem ».

Quarto denique, ubi in rebus creatis est *vita*, ibi nec *progressus* potest summoveri; et ubi est progressus, imperfecta necesse est cedant imperfectis. Lex cuiusdam progressus in ipsa divini fidei depositi intelligentia aliquatenus valet. Concilium enim Vaticanum (*de Fide* c. 4.) approbando recepit praeclarum Vincentii Lerinensis (Commonit. n. 28. alias 23.) effatum: « Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, *intelligentia, scientia, sapientia;* sed in suo dumtaxat genere, *in eodem scilicet dogmate,* eodem sensu eademque sententia ».

Magis etiam progressus valere posset in *scientia stricte theologica*, vel etiam *philosophica*, dummodo fieret secundum leges veri progressus, a Lerinensi eodem loco mirifice descriptas. Sincerum autem scientiarum studium et progressum Ecclesia semper fovebat et perfectiora imperfectis ut substituantur commendabat. Ad rem Summus Pontifex Leo XIII. in celeberrima sua Littera encyclica *Aeterni Patris Unigenitus*, postquam cum laude commemoravit « doctos homines atque sollertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventorum opes ad excolendam *philosophiam* afferunt; id enim *probe intelligimus ad incrementa doctrinae* pertinere »; inferius quoad Scholasticos subiungit: « Si quid enim est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi ». Hoc sapienter et secundum spiritum Ecclesiae pronuntiatum esse, nemo ambigit. Nihilominus eadem observantia excipiendum est aliud s. Sedis oraculum (Syllab. prop. 13.), quo *reprobatur* propositio: « Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum necessitatibus scientiaeque progressui minime congruunt ». — Ipse S. Bonav., traditae antiquae scientiae et sapientiae eximius cultor et strenuus defensor, tamen et exemplo et verbo genuinum et sobrium progressum coluit, « quia per multam discussionem dubia ducuntur ad manifestationem » (infra d. 37. a. 1. q. 1.). Sed quot *discussiones* diligentissimae inde a tempore, quo hi Commentarii sunt scripti, factae sunt, et a sapientissimis quidem viris, inter quos S. Thomas primum locum occupat! Quot *discussiones,* quot decreta et canones in subsequentibus Conciliis, praesertim Tridentino, prodierunt; quot oracula s. Sedis, quot theses damnatae; quot operosi libri praestantissimorum theologorum, quibus integrae quaedam theologicae disciplinae non tam illustratae, quam exstructae, sunt! Attamen, quod bene observandum est, aedificia theologiae vere solida non nisi super antiquis et traditis et a Scholasticis profunde iactis fundamentis erecta sunt. Quis neget, infinitis his laboribus non pauca, praesertim in quaestionibus specialioribus et subsidiariis disciplinis, melius determinata esse, « non pauca ducta esse ad manifestationem »? Sed licet sua laus insignibus subsequentium aetatum doctoribus iuste tribuatur, tamen ne quidquam detrahatur summis illis et sanctissimis Ecclesiae Doctoribus, neve eorum scripta negligantur! Satis apte et ad rem monet Ægid. R. (II. Sent. d. 37. q. 1. a. 3.), quod posteriores quidem « existentes super humeros priorum, longius vident quam priores; nam si nanus esset super humeros gigantis, longius videret quam gigas ».

Operam dedimus, ut in nostris scholiis breviter indicaretur, ubi et quomodo sententia S. Bonaventurae discedat a sententia principalium illius aetatis magistrorum. Hoc scire incipientibus studium S. Bonaventurae sane est utilissimum, ne dicamus, necessarium. Si enim sapientes, qui iisdem principiis innituntur, non conveniunt, praesertim si agitur de primariis doctoribus; tunc ordinarie praesumendum est, conclusionem non esse plene exploratam, sed remanere inter probabilitatis terminos, neque aliter sentientes esse tractandos tanquam errantes. Profecto nec decet nec expedit dubia proclamare pro certis. Ut enim ex S. Augustino (de Mendacio, c. 3. n. 3.) refert auctor noster (infra d. 35. dub. 5.), « ita falsum dicit qui certum proponit ut dubium, sicut qui dubium asserit ut certum ». — Omnino autem putavimus abstinendum nobis esse, in nostris scholiis de diversis scholarum et auctorum sententiis, sive antiquis, sive recentioribus, dummodo non communiter improbantur, sententiam ferre vel etiam solummodo indicare, quid de his privatim sentiamus; absit enim, ut nostris assertionibus, valide non probatis, aliquam ad hoc auctoritatem vindicare praesumamus. De variis posteriorum theologorum sententiis, praesertim de scholarum controversiis, rarissime et paucis tantum verbis mentionem fecimus, remittentes lectorem ad tot libros, qui sunt in omnium manibus [1].

---

[1] Occasione data, hoc loco duo subiungimus, quae in scholiis ad I. librum Sententiarum corrigenda sunt. In scholio, pag. 696, n. 1, Petro Ioan. Olivi erronee assignata est sententia contraria illi, quae communiter S. Thomae tribuitur. Attamen, ut clarissime patet ex altera pag (230) libri *Collectio iudiciorum* ibi cit., praedictus Petrus ut *haereticam* censuravit non opinionem S. Thomae, sed alteram, scil. quod ex parte *Dei non sit* illa praesentia, de quo ibi agitur; unde non nisi in excessu suae censurae erravit. Secunda correctio respicit ea quae in scholio, pag. 710. n. II, de causalitate divinae praedestinationis secundum sententiam scholae ibi allegatae dicta sunt; quae sententia infra dist. 26. q. 6. pag. 647 in scholio n. III. ex ipsis huius scholae auctoribus melius declarata est.

§ 2. *Pauca quaedam proponuntur de textu huius libri emendato et illustrato.*

Omni qua potuimus diligentia editionem Vaticanam correximus auctoritate codicum, quorum collatio adhuc maiorem farraginem variantium lectionum exhibuit in hoc II. libro quam in primo. Iam in principio II. distributionis I. voluminis (pag. 417), in apposita *nota ad lectorem*, observavimus, nos consilio et auctoritate plurium virorum eruditorum restrinxisse numerum notarum *criticarum*, praesertim in eo, quod saepissime menda et defectus editionis Vaticanae in rebus exigui vel fere nullius momenti correxerimus, quin hoc in notis indicaverimus. Istae minutiae semper auctoritate codicum vel antiquarum editionum correctae quidem, at non indicatae, in qualibet pagina plures etiam in hoc tomo occurrunt. Sola autem coniectura innixi, nihil mutavimus, nisi semel, vel bis (quod in adiectis notis dictum est), licet quaedam locutiones vel constructiones parum congruae occasionem aliqua minora mutandi quandoque praebuerint. Constitutum enim nobis erat, non fallacibus coniecturis, sed auctoritate codicum praecedentes editiones corrigere. Et notandum est, quod plerumque, quo difficiliores erant quaestiones tractatae, eo plures et graviores errores irrepserunt in easdem editiones, et eo plures et graviores lectiones variantes in codicibus inventae sunt.

Operosissimum studium impendimus, ut fontes, auctoritates et locos, ex quibus S. Doctor suam doctrinam vel sua argumenta hausit, conquaererentur et accurate indicarentur, non tantum tunc, quando ipse nominatim affert aliquem auctorem, sed etiam, quando, tacito nomine auctoris, ut saepissime evenit, variis antiquorum effatis, definitionibus et argumentis utitur. Licet *omnia* huius generis invenire et afferre sit impossibile, tamen ea quae in notis indicavimus sufficere posse putamus, ut admiratione afficiatur qui considerat, quanta diligentia et scientia Seraphicus Doctor hauserit ex omnibus antiquae, tum sacrae tum profanae, sapientiae fontibus, qui illa aetate patebant. Putamus autem, improbo in inquirendis istis nostro labore doctrinam huius Commentarii non parum illustrari, explicari et confirmari. Praeterea, inventio istorum locorum in plurimis locis valde nobis profuit, ut, inspecto originali, inter lectiones codicum dissidentes totius genuinas seligere potuerimus; quod praecipue evenit in locis allegatis ex versionibus Aristotelis, quae terminis et locutionibus obsoletis, peregrinis et exoticis abundare solent.

Denique, quod attinet nostram editionem libri Sententiarum Petri Lombardi, remittimus lectorem ad Prolegomena saepius laudata c. 3. (pag. LXXXII), et adiungimus, quod eos locos Magistri, quos S. Bonaventura in *dubiis circa litteram Magistri* explicat et saepe exquisita doctrina illustrat, pro commodo legentium indicavimus, ponendo ad marginem textus Lombardi vocem *dubium* cum suo numero. — Allegavimus in notis saepe codicem (signatum *Erf.*), qui est in bibliotheca nobilis civitatis Erfordiensis, in collectione Amploniana (n. 108.), cum ad marginem plurimas notas habeat, quibus indicat locos, unde Petrus Lombardus sua dicta depromsit. De hoc codice nos humanissime certiores fecit cl. P. Henr. Denifle O. Praed., cui hisce sincere et publice gratias agimus. Praedictae notae, diligenter ex isto codice transcriptae, magno nobis usui fuerunt, licet in ipso raro numeri capitulorum, et saepe etiam numeri librorum non conveniant cum nostris editionibus.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, codex membranaceus in folio saeculi XIV. ineuntis, sine ullo numero. Incipit: *Solummodo hoc inveni, quod Deus fecit hominem rectum, et ipse se infinitis immiscuit quaestionibus. Sollicite consideranti* etc. Desinit: *laus et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen. Explicit liber secundus fratris Bonaventure.* Deinde subiicitur index quaestionum et distinctionum. — Codex bonus, sed non pauca addit, ut notavimus, plerumque tamen ab aliis antiquis codicibus non discedit. In notis signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. membr. in fol. saec. XIII. sub fine, sign. n. 38. Incip. et desin. sicut praecedens. Ei quoque additur in fine: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure*, et tabula quaestionum. — Non est proprie a nobis collatus, sed tantum alicubi inspectus. Sign. G.

3. *Ibidem*, cod. n. 79, membr. in fol. saec. XIII. exeuntis, absque operimentis et mutilus. Desunt enim quaestiones a d. 15. usque ad d. 24. a. 2. Incip. et desin., ut in editis. Recens manus praemisit initio: *Quaestiones theologicae super II. Sententiarum S. Bonaventurae.* — Est cod. melioris notae, a diversis manibus ad marginem correctus, quae correctiones interdum conveniunt cum lectionibus editionis 1. Sign. bb.

4. *Autissiodori* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. distinctus n. 13.bis., membr. in 4, saec. XIV. exeunt. Incip.: *Solummodo hoc inveni* etc. Desin., ut ceteri. Hinc: *Laus sit tibi Xte, quoniam liber explicit iste.* Sequitur index quaestionum. Vacat nomen auctoris. — Convenit cum antiquis codd. Collatus est a D. Messager, cuius in Syllabo codicum I. tom. n. 26. grato animo mentionem fecimus. Sign. U.

5. *Claris Aquis*, in Collegio sancti Bonaventurae, cod. chart. saec. XV, qui complectitur Commentarios sancti Doctoris in libros. I. et II. Sententiarum. — De eodem iam locuti sumus tom. I. pag. LXXVIII, n. 35. In hoc II. libro idem ita perfecto et prorsus singulari modo cum ed. 1 convenit, etiam in minutissimis rebus, ut in toto libro vix aliqua syllaba ab illa differat. Etiam in incredibilibus erroribus concordant v. g. non raro ambo scribunt *Dyabolus dicit* pro *Dionysius dicit.* Codex autem iste abundat siglis compendiosis, non vero editio. Sign. cc.

6. *Ibidem*, cod. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis et ineuntis XIV, a duabus manibus et parvis litteris exaratus et mutilus; desunt enim omnes distinctiones a d. 35. — Scatet plurimis et gravissimis vitiis, praesertim omissionibus. Est singularis inter antiquos codd. multitudine variantium lectionum, quarum multae in nullo alio cod. inveniuntur nisi interdum in cod. Y. Saepe hae lectiones sunt prorsus improbabiles, in nonnullis tamen locis videbantur nobis genuinae et in textum sunt receptae. Sign. aa.

7. *Cracoviae*, in bibliotheca Universitatis, Ms. 1253. AA. V. 32, membr. in fol. saec. XIII. in fine. Fol. 1. manus saec. XIV. praemisit Commentario haec verba: *Scriptum venerabilis sacre pagine professoris Bonaventure ordinis fratrum minorum.* Inde col. 1. *Solummodo hoc inveni* etc. Desin., ut edit. — Hic et seq. cod. inter se plerumque conveniunt, nec non in rebus principalibus cum antiquis codd. In levioribus autem rebus uter-

que cum codd. V Z ab aliis discedit, ita ut praedicti codd. quasi propriam familiam repraesentent. Sign. H.

8. *Ibidem,* ms. 1254. AA. V. 31, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit: *Solummodo hoc inveni* etc. In fine additur: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure.* In oris foliorum habentur additiones, correctiones et explicationes multae. — Vide n. 7. Sign. I.

9. *Cusae* apud Castellum tabernarum in Germania (Berncastel), bibliotheca olim Cardinalis Nicolai Cusani O. S. August., quae adhuc servatur in hospitali ab ipso fundato, cum sign. D. 31, cod. membr. in fol. saec. XIII, inscriptus: *Liber secundus fratris Bonaventure.* Incip. et desin., ut in editis; ad calcem eadem prima manus addidit: *Laus Deo cunctis referatur pro benefactis.* — Cod. insignis, qui in rebus gravioris momenti convenit cum aliis antiquis, inclinat autem ad cod. H (n. 7.), et praeterea simul cum codd. W X interdum confirmat lectiones, quae distinguunt editionem 2. Sign. Z.

10. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. n. 502, membr. in fol. saec. XIV. exeunt. In marg. superiore 2 fol. inscribitur: *Liber secundus super sententias fratris Bonaventure ordinis minorum.* Col. 1: *Solummodo hoc inveni* etc. Desin., ut edit., sequitur in fine tabula quaestionum. — Cod. recentior quidem, sed sincerus et antiquioribus similis. In variantibus lectionibus interdum solus convenit cum cod. aa. Sign. Y.

11. *Florentiae,* bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXV. Dext. cod. 7, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 2 r. col. 1: *Solummodo hoc inveni* etc. Desin.: *Finito libro referamus gratias Xto. amen.* Sequitur tabula quaestionum et distinctionum, exarata a manu saec. XIV., quae ad calcem addidit: *Iste secundus liber sententiarum fratris Bonaventure habet* XLIV *distinctiones et habet* CCC *et* VI *problemata. Deo gratias.* — Cod. optimus, correctus a secunda manu, convenit cum Parisiensibus codd., sicut et seq. cod., qui tamen in minoribus rebus saepius ab aliis discedit, mutando vel addendo aliquod vocabulum. Sign. K.

12. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. D. V. 210, membr. in fol. saec. XIII, a pluribus scriptoribus exaratus. In primis distinctionibus multae occurrunt lacunae, quae postea suppletae fuerunt saec. XIII. XIV. ac XV. Incip. et desin., sicut editi. In fine legitur: *Explicit secundus liber fratris Bonaventure super sententias.* Sequitur inde tabula quaestionum. — Vid. n. 11. Specialiter autem notandum, quod ipse cum cod. M et ex parte cum cod. K in d. 3. p. I. a. 1. q. 3. addit longiorem excursum, pag. 102 relatum. Sign. F.

13. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, C. L. M. 8079. De hoc codice iam aliqua diximus tom. I. pag. LXXVII n. 15. Continet tantum dubitationes circa litteram. Incip. secundus liber fol. 279 r. col. 1: *Creationem rerum* etc. *In parte ista sunt dubitationes circa litteram.* Desin. fol. 312 r. col. 1. *Explicit scriptum domini Bonaventure circa secundum Magistri sententiarum de dubitationibus litteralibus.* — Sign. dd.

14. *Neapoli*, in bibliotheca Nationali, cod. VII. C. 12, membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Commentario praemittitur index quaestionum. Incip. fol. 7; in ore super. marg. legitur: *Adsit principio sancta Maria meo.* Col. 1: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 287 v. *Explicit liber secundus Bonaventure.* — Cod. antiquus et bonae notae, interdum proprias lectiones non spernendas exhibet. Sign. N.

15. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Collegii Balliolensis, cod. 133, de quo videri potest quod iam diximus tom. I. pag. LXXVIII n. 21. Incip. lib. secundus fol. 130 r.; desin. 245 r. Hinc legitur: *Explicit secundus Bonaventure.* — De hoc et seq. cod. iis quae citato loco dicta sunt, tantum addendum est, quod in hoc II. libro multo rarius exhibent additiones ibi commemoratas quam in I. libro. Sign. O.

16. *Ibidem,* bibliotheca Collegii Lincolnensis, cod. 25, iam descriptus tom. I. pag. LXXVII n. 22. Liber secundus incip. fol. 124: *Solummodo hoc inveni* etc., desin. ut in editis. — Vide n. 15. Sign. L.

17. *Parisiis,* in bibliotheca Nationali, cod. 15354, membr. in fol. saec. XIII. Manus posterioris aevi adnotavit haec verba: *Liber iste est de magna libraria Sorbone pro pauperibus Magistris collegii, precii* VIII *lib.* Incip. fol. 1 r. et desin. fol. 279 v. A prima manu additur: *Explicit liber secundus Bone aventure.* — De hoc et duobus seqq. codd. Parisiensibus iudicandum, quod sunt optimi; tamen primus in rebus quidem minutis saepius ab aliis Parisiensibus et ceteris antiquis discedit. Sign. R.

18. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 17480. Hunc codicem iam recensuimus tom. I. pag. LXXVII n. 25. Liber secundus incipit fol. 153 r., desin., ut in editis., fol. 385 v. A prima manu fini subiicitur: *Explicit tractatus fratris Bone adventure de Ordine fratrum minorum super secundo libro sententiarum.* — Vide n. 17. Sign. C.

19. *Ibidem*, cod. 15822, membr. in fol. saec. XIII. In parte superiore 1 fol. v. prima manus notavit: *Super secundum et tertium sententiarum fratris Bonaventure: precium* VIII *lib.* Incip. fol. 2 r.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 215 r., ut editi. — Vide n. 17. Sign. S.

20. *Patavii,* bibliotheca Conventus sancti Antonii, cod. 121, membr. saec. XIII. ante finem; in recensione, quam nobis reliquit P. Fidelis a Fanna b. m. dicitur: « sancto Bonaventurae coaevus ». Incip. fol. 1 r. col. 1: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 236 r.: *gratias agat Deo largitori bonorum.* Sed ultima haec verba fuerunt recenter addita. Codex a pluribus manibus est conscriptus. — Cod. hic et seq. sunt optimae notae et correcti. Sign. P.

21. *Ibidem,* cod. 127, membr. in fol. saec. XIII. Praemittitur Commentario index quaestionum, post quem incip. fol. 4 r. col. 1. et desinit dist. 44, quaest. ultima, per verba... *et ideo fines ponuntur promissioni obedientiae, non autem ponuntur promissioni...* cetera desiderantur. — Valde correctus, multis notis explicantibus ad marginem instructus. In quodam loco solus supplevit manifestam lacunam in textu. Sign. Q.

22. *Romae,* in bibliotheca Principis Chisii, cod. membr. in fol. saec. XIII, sign. B. VIII. 130. Incip. et desin., ut in edit. In fine additur a prima manu: *Explicit secundus Bonaventure sancte memorie.* — Hic et alii tres codd. Vaticani, antiquitate et praestantia insignes, confirmant lectiones aliorum antiquorum, interdum etiam lectiones ipsis proprias notavimus. Sign. E.

23. *Ibidem,* in bibliotheca Vaticana, cod. 909, membr. in fol. saec. XIII. ante finem, « exaratus, ut dicit P. Fidelis a Fanna, vivente sancto Bonaventura ». In fine additur manu saec. XIV: *Iste liber est deputatus ad usum fratris Nicholini de Utino. Deo gratias. Amen.* Alia manus eiusdem aevi: *Iste liber secundus Bonaventure est conventus Utini...* In principio praemittitur index quaestionum et distinctionum. — Vide n. 22. Sign. B.

24. *Ibidem*, cod. 910, membr. in fol. saec. XIII. Ad calcem 1 fol. eadem manus, quae codicem exaravit, subiecit: *Secundus fratris Bonaventure super sententias.* Incip.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin., ut in edit. Deinde idem scriptor repetit: *Secundus fratris Bonaventure.* — Vide n. 22. Sign. D.

25. *Ibidem*, cod. 9242, membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Incipit: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin., ut editi, et additur: *Explicit scriptum fratris Bonaventure de Ordine minorum super secundum librum sententiarum.* Hinc: *Istum secundum Bonaventure ego frater Iacobus de Marchia Ordinis minorum feci emere pro loco sancte Marie de Gratia iuxta oppidum Montis Prandoni pro pretio octo ducatorum aureorum in Venetiis.* Finis excipit tabulam quaestionum et distinctionum. — Vide n. 22. Sign. M.

26. *Sublaquei Aequorum* in Latio, bibliotheca Monasterii sanctae Scholasticae O. S. B., cod. membr. in fol. saec. XIV. sub init., sig. n. LIV. Praemittitur a manu recentioris aevi: *Iste liber est Congregationis Cassinensis, alias sanctae Iustinae, deputatus ad usum monachorum sublacensium. Sign. n. 215.* Incip. absque ullo titulo: *Solummodo hoc inveni* etc. Desin., ut in edit. Additur a prima manu: *Explicit liber secundus compositus a fratre Bonaventura ministro Generali fratrum minorum. Sit gloria et gratia Christo.* — Cod. bonus et plerumque cum codd. saec. XIII. conveniens. Tamen iam saepius discedit et lectiones exhibet, quae cum edd. 1 et 2 magis conveniunt, praesertim in locis obscurioribus et locutionibus parum congruis. Hinc nobis utilis fuit, quia saepissime validum testimonium exhibuit pro antiqua lectione. Sign. ee.

27. *Tuderti*, in bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. n. 30, membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Incipit et desinit, sicut editi. Alia manus saec. XIV. addidit in fine: *Explicit secundus liber Bonaventure super sententias.* — Cod. optimae notae, quem non raro in textu reformando secuti sumus. Sign. T.

28. *Vindobonae* in Austria, bibliotheca Palat. ms. 1426, membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incip. fol. 1 r., desin. fol. 199 v. Alia manus addidit tabulam quaestionum et dubitationum litteralium, quam absolvit per verba: *Laus Xto. Amen.* — Cod. hic cum duobus seqq. codd. multum inclinat ad lectiones codd. Cracoviens. (n. 7. 8.). Sign. V.

29. *Ibidem*, ms. 1464, membr. in fol. saec. XIII. Scriptor saec. XIV. exeunt. praemisit Commentario indicem sub hac rubrica: *Tituli questionum secundi libri sententiarum Bonaventure.* Incip. fol. 25 r.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 212 r.; a prima manu additur: *Explicit liber secundus Bone aventure.* — Vide n. 28. De hoc et seq. cod. etiam notandum est, quod simul cum cod Z (n. 9.) interdum prae aliis conveniant cum ed. 2. Sign. W.

30. *Ibidem*, ms. 1502, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 1 r., desin. fol. 166 v., ut in editis. Fol. annexo asseri anteriori, manus saec. XV. notavit: *Bonaventure scripta.* — Vide n. 28. 29. Sign. X.

II.

Codices a nobis non collati.

31. *Alenconii* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. sine numero saec. XIII. Fol. 7 r. in superiore margine legitur a prima manu exaratum: *Incipit secundus fratris Bonaventure.* Inde col. 1.: *Solummodo hoc inveni* etc. Complectitur primas quatuor distinctiones tantum; desin. fol. 43.

32. *Ambianorum* item in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. n. 232, membr. in fol. saec. XIII. sub fine. In principio adest tabula quaestionum et dubitationum circa litteram, quae recurrit usque ad fol. 6 v., desin. per verba: *Expliciunt quaestiones in generali supra secundum librum sententiarum. Summa CCCLXX.* Fol. seq. r. incip. Commentarius, desin. fol. 399 r. his verbis ultimae quaestionis: *In hoc igitur perfectionis culmine congruum est praedictae quaestionis terminare sermonem. Explicit secundus liber sententiarum.* Hic codex e regione textus sancti Bonaventurae exhibet etiam textum Petri Lombardi, Magistri sententiarum, grandioribus characteribus exaratum.

33. *Bambergae*, bibliotheca publica, cod. B. VI. 1, chart. in fol. saec. XV. In superiore parte 1. folii legitur: *Prologus Bonaventure super secundo sententiarum.* Col. 1: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin., ut in editis.

34. *Barcinone* in Hispania, bibliotheca Capituli, cod. 53, membr. in fol. saec. XIII. Incip. fol. 2 r. et desin., ut in edit. Sequitur tabula quaestionum, post quam additur: « Ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei sueque Genitricis Virginis Marie ac totius Curie superne, hunc librum de Bonaventura super secundum Sententiarum, cmi ego Petrus Blanch, Presbyter beneficiatus in sede Barchinonensi, a discreto Iohanne Cardona Presbytero, Gerardo Cascoma curritore, medio, quarta Aprilis anni MCCCC vigesimi sexti, pretio quatuordecim florenorum et semissis ».

35. *Ibidem*, in archivo coronae regum Aragonensium, cod. 33. in fol. (olim Ripoll) complectitur Commentarium sancti Bonaventurae super librum secundum et tertium Sententiarum estque membr. saec. XIII. Ad calcem tertii leguntur seq. verba: *Iste tercius Bonaventure est... de Tholomeis... emit eum... MCCLXXXVIII, mense Iulii pro pretio... Turon.*

36. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 173, de quo vide quae diximus tom. I. pag. LXXVIII n. 38.

37. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 5561, membr. in fol., saec. XV, nitide exaratus. Fol. 1 praemittuntur Commentario haec verba: *Viri excellentissimi artium et sacre theologie divi monarce summique professoris super secundum Sententiarum domini Bonaventure Minorum ex ordine opus preclarissimum feliciter incipit. Solummodo hoc inveni* etc. Excurrit Commentarius usque ad dist. 22. dub. 5; deinde sequitur tabula quaestionum, quae desin. dist. 20. q. 6. cum verbis: *utrum esset equalis generatio virorum et mulierum.*

38. *Burgi* de Uxada (Burgos) in Hispania, bibliotheca Capituli, cod. th. 13, membr. in 4, saec. XIII. Incip.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. ut edit.

39. *Caesenae* in Italia, bibliotheca Malatestiana, Plut. XV, cod. II, membr. in fol. pluribus manibus conscriptus, saec. scilicet XIII. XIV. ac XV, vel potius ex pluribus codicibus compactus. In fine legitur exaratum a manu saec. XIV: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure.*

40. *Cantabrigae* in Anglia, bibliotheca Aulae Pembrochianae, cod. B. 385, membr. saec. XIII. exeunt. vel XIV. ineuntis, continet Commentarium sancti Bonaventurae in quartum et in secundum Sententiarum.

41. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. G. g. III. 25,

membr. in fol. saec. XV. Incip.: *Prologus Bonaventure Ordinis fratrum minorum super secundo Sententiarum incipit feliciter. Solummodo hoc inveni* etc.; desin., ut in edit. Subinde: *Explicit liber secundus Bonaventure Ordinis fratrum minorum super secundo Sententiarum. Deo gratias.* Eadem infra repetuntur, tum in initio tum in fine tabulae quaestionum, quae subiicitur Commentario.

42. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 1249. D. D. XIV. 15, chart. in fol., saec. XV. Incip. fol. 1 r., desin. fol. 380, ut in edit. Dein: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure super secundum Sententiarum, finitus per Magistrum Davidem Iacobi de Mazincez anno Domini MCCCCLXXIII. feria VI ante Mathie Apostoli in Collegio Canonistarum in domo venerabilis et egregi domini Arnolphi de Mazincez, theologie professoris.* Sequitur index quaestionum.

43. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. Fesul. LXXI, membr. in mag. fol., splendide exaratus. Incip. fol. 1 r. et desin., ut in edit. Sequitur Commentarium tabula distinctionum et quaestionum, in fine additur: *Iste secundus liber Sententiarum fratris Bonaventure habet quadraginta quatuor distinctiones, et habet CCC. et VI. prob'emata. Deo gratias. Scriptum finitum MCCCCLXIV.*

44. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. D. V. 211, membr. in fol. saec. XIV. ineuntis, a duabus manibus exaratus; prima praemisit: *Liber secundus Bonaventure*; secunda addidit in fine: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure.*

45. *Ibidem*, cod. D. V. 212, membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 2 r.: *Solummodo hoc inveni* etc.; alia manus Commentario addidit tabulam quaestionum, sed incompletam reliquit. In fine subiicitur: *Quicumque furabitur* secundum *istum, non videat Christum; hoc fuit scriptum sub anno Domini MCCCCLXIII.*

46. *Ibidem*, I. VI. 14, membr. in fol. saec. XIII. Incip. fol. 1 r. col. 1.: *Solummodo hoc inveni* etc., desin., ut in edit. In decursu libri scriptor nonnulla reliquit spatia. Post secundum sequitur Commentarius etiam in tertium Sententiarum pariter sancti Bonaventurae.

47. *Heidelbergae*, schran. IX. cod. 43, membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Praemittitur index distinctionum et quaestionum hoc titulo: *Incipiunt capitula Bonaventure super secundum sententiarum.* Fol. 5 r. col. 1. incip. et desin. fol. ultim. codicis v., ut in edit.; hinc legitur: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure.*

48. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, E. Y. Tab. 123. n. 6, cod. membr. in fol. saec. XIV. Incip. fol. 1 r.: *Solummodo hoc inveni* etc. Excurrit usque ad distinctionem 44. a. 1. q. 1; cetera desiderantur.

49. *Lipsiae*, bibliotheca Universitatis, cod. 493, chart. in fol. saec. XV. Nomen auctoris praebet chartula asseri annexa, per haec verba: *Bonaventura super secundum librum Magistri Sententiarum.* Incip. et desin., ut in editis.

50. *Ibidem*, cod. 1523, chart. in fol. saec. XV. Incip. fol. 2 r. col. 1: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. ultim. codicis, ut in editis.

51. *Moguntiae*, bibliotheca publica, cod. 6, chart. in fol. saec. XV. Expleto Commentario, exhibentur simul collectae omnes dubitationes circa litteram secundi libri Sententiarum.

52. *Monachii Bavariae*, bibliotheca Regia, C. L. M. 6950, chart. in fol. saec. XV. Incip. fol. 2 r., desin. fol. 567, ut in editis. In fine additur: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure.* Sequitur inde copiosa tabula quaestionum, cui subiicitur: *Expliciunt tituli secundi libri fratris Bonaventure...finitus est liber iste in LXXVIII. anno.* (1478).

53. *Ibidem*, C. L. M. 8016, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1 r.: *Solummodo hoc inveni* etc. Aliquibus in locis interpolatus est. Desin. fol. 225 v. per verba: *sicut, dante Deo, in tertio libro manifestabitur.*

54. *Ibidem*, C. L. M. 11413 b, chart. in fol. saec. XV. Praemittitur Commentario index quaestionum. Incipit fol. 11 r., desin. fol. 450 v., ut in editis; postea legitur: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure.*

55. *Ibidem*, C. L. M. 18345-46, chart. saec. XV. comprehenditur duobus voluminibus in fol. Primum vol. continet Commentarium sancti Bonaventurae in secundum Sententiarum usque ad distinctionem 23, reliqua excipit secundum. Incip. et desin., ut in edit. In fine additur index distinctionum et quaestionum totius libri secundi Sententiarum.

56. *Mutinae* in Italia, bibliotheca Palatina, cod. 974. VII. I. 15, membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Fol. 1 r. praefert sequens titul.: *Incipit liber secundus fratris Bonaventure.* Col. 1. *Solummodo hoc inveni* etc. Desin. fol. 130 v.: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure.* Sequitur tabula quaestionum tum secundi, tum tertii libri Sententiarum, usque ad ultimum folium codicis.

57. *Ibidem*, cod. 975. VII. I. 18, membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Incipit fol. 1 r., in cuius superiore parte prima manus notavit haec verba: *Postille fratris Bonaventure super secundum sententiarum.* In fine item addidit: *Explicit secundus fratris Bonaventure.*

58. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Collegii Mertonensis, cod. O. 1. 9, membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Fol. 1 v. manus posterior praemisit: *Liber secundus sententiarum Bonaventure*, et ad calcem: *Explicit liber secundus sententiarum*; postea, sed antiquitus, fuit additum: *Bonaventure completus.*

59. *Parisiis*, bibliotheca Universitatis Sorbonae, cod. th. II. 29, membr. in fol. saec. XV. In superiore marg. 1 fol. r. scriptor recens notavit: *D. Thomas.* Incip.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 305 v. col. 2... *cuius est officium obedire et iussa implere, dicente Moyse; audi...* quae sunt verba ultimae quaestionis secundi libri Sententiarum, utrum religiosi teneantur praelatis obedire; cetera desiderantur.

60. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 14429, membr. in fol. saec. XIII. Praeter alia opera sancti Bonaventurae, continet partem prologi in secundum librum Sententiarum, ab initio scilicet usque ad verba: *nihil autem conformatur rectitudini nisi rectum: dum ergo...* fol. 95.

61. *Pragae*, bibliotheca Capituli, cod. C. II, membr. in fol. saec. XIII. Incip. fol. 3 r.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin., ut in editis. Hinc: *Explicit scriptum super secundum sententiarum.* Infra subiicitur tabula quaestionum.

62. *Romae*, bibliotheca Principis Chisii, cod. B. VIII. 129, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Manus, quae codicem exaravit, praemisit in parte superiore primi folii: *Secundus Bonaventure.* Col. 1.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 224, ut in edit. Commentario subditur index distinctionum et quaestionum.

63. *Ibidem*, bibliotheca Societatis Iesu, cod. membr. saec.

XIV. sine nom. Omisso prologo incipit: *Creationem rerum* etc. *Postquam Magister...* desin., ut edit. In fine post tabulam quaestionum habet haec verba: *Iste liber secundus Bonaventure est loci sancte Marie de Gratia Ordinis minorum iuxta oppidum Montis Prandoni, pro pretio duorum ducatorum auri ego frater Iacobus de Marchia manu propria.* Codex multis in locis est contractus.

64. *Ibidem*, bibliotheca Vaticana cod. Palat. 365, chart. in fol. saec. XV. sine nom. Incipit et desinit, ut in editis.

65. *Ibidem*, cod. Urbin. 142, membr. in fol. saec. XV., litteris splendide depictis ac in modum circuli dispositis, legitur: *In hoc codice continetur secundus sententiarum Alexandri de Ales Ordinis minorum.* Coaeva manus infra sic corrigit: *Licet in circulo hoc scriptus sit Alexander de Ales, tamen opus hoc est Bonaventure super secundum sententiarum, ut patet in rubrica principii.* Rubrica principii ita se habet: *Bonaventura de Balneoregio Ordinis minorum super secundo sententiarum incipit feliciter. Solummodo hoc inveni* etc. Desin., ut in editis; in fine additur tabula quaestionum et distinctionum.

66. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. membr. in fol. saec. XIV, sign. I. III. 25. Incip. fol. 1 r.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 264 r. col. 2; additur: *Finito libro referamus gratias Xto. Qui scripsit scribat, semper cum Domino vivat.*

67. *Ibidem*, cod. I. III. 31, membr. in fol. saec. XIII. In initio praemittitur a posteriore manu index quaestionum hoc titulo: *Super secundum sententiarum secundum fratrem Bonaventuram de Ordine minorum.* Item in fine tabulae: *Expliciunt capitula secundi libri secundum fratrem* (alia manus complevit) *Bonaventuram de Ordine fratrum minorum, qui postmodum fuit cardinalis.* Deinde incip. a prima manu: *Solummodo hoc inveni* etc. Desin. fol. 156 r., ut in editis.

68 *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 647, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip fol. 1 v.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 318 r. col. 1, ubi additur: *Explicit secundus Bonaventure.* Idem scriptor inde adiunxit tabulam distinctionum et quaestionum, quam absolvit his verbis: *Expliciunt tituli secundi libri.*

69. *Ibidem*, cod. 820, membr. in 4. saec. XIII. exeunt. Fol. 2 r. legitur: *Incipiunt problemata secundi libri.* Fol. seq. incipit Commentarius et desin. fol. 289 r., ut in edit. Sequitur Commentarius pariter sancti Bonaventurae in tertium librum Sententiarum, cuius finis excipit haec verba: *Explicit tertius liber. Deo gratias.* Alia manus posterioris aevi addidit infra: *Liber tertius super sententias sententiarum Bone aventure.*

70. *Turonis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 372. Hunc codicem iam descripsimus tom. I. pag. LXXIX. n. 58.

71. *Ibidem*, cod. 373, membr. in fol. saec. XIII. In principio habet indicem quaestionum. Incip. fol. 5 r. et desin. fol. ultim. v., cui idem scriptor addidit: *Explicit liber secundus fratris Bonaventure;* manus alia posterior scripsit ad calcem: *Ex libris legatis huic ecclesie Turonensi per bone memorie magistrum Guidonem de Versailles, praedicte ecclesie cantorem.*

72. *Venetiis*, in bibliotheca sancti Marci, Class. III. cod. 91, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. et ineunt. XIV. Incipit fol. r.: *Solummodo hoc inveni* etc.; desin. fol. 221 v. Hinc: *Explicit liber secundus Bone aventure.* Scriptor aliquis XV. saeculi addidit seriem quaestionum.

73. *Ibidem*, Class. III. cod. 94, membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 3 r. et desin. 263 v. Inde additur: *Explicit hic liber secundus.* Sequitur tabula distinctionum et quaestionum.

74. *Vindobonae* in Austria, bibliotheca Palatina, cod. 4630, chart. in fol. saec. XV. Commentarius incipit, expleta tabula quaestionum fol. 4, ut in editis; desinit vel potius deficit quaestione ultima postremae distinctionis. Codex omnino detritus est ac nullius usus esse potest.

75. *Zwettel* in Austria, bibliotheca monasterii Cisterciensium, cod. 163, membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Commentarius sancti Bonaventurae incipit post medietatem voluminis, cui alia manus saec. XIV. praemisit: *Bonaventura super secundum sententiarum.* Dein col. 1: *Solummodo hoc inveni... Sollicite consideranti* etc.; desin.: *laus et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.* Sequitur inde tabula distinctionum et quaestionum.

Hi sunt codices II. libri Sententiarum, quos P. Fidelis a Fanna in plurimis bibliothecis invenit et in suis commentariis, in nostro Collegio asservatis, descripsit.

De quatuor editionibus antiquis huius secundi libri, a nobis collatis, iam locuti sumus in I. tomo, Prolegom. LXXIII.

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

II. LIBRI COMMENTARIORUM[1].

A. .	Cod.	Assisiensis sine numero. (1).
B. . . .	»	Vaticanus I. N. 909. (23).
C. . . .	»	Parisiensis I. N. 17480. (18).
D. . . .	»	Vaticanus II. N. 910. (24).
E. . . .	»	Chisianus B. VIII. 130. (22).
F. . . .	»	Florentinus (bibl. National.) N. 210. D. 5. (12).
G. . . .	»	Assisiensis N. 38. (2).
H. . . .	»	Cracoviensis N. 1253. (7).
I	»	Cracoviensis N 1254. (8).
K. . . .	»	Florentinus (bibl. Laurent.) Plut. XXV. Dext. 6. (11).
L. . . .	»	Oxoniensis (bibl. Colleg. Lincoln.) N. 25. (16).
M. . . .	»	Vaticanus III. N. 9242. (25).
N. . . .	»	Neapolitanus N. VII. C. 12. (14).
O. . . .	»	Oxoniensis (bibl. Colleg. Balliol.) N. 133. (15).
P. . . .	»	Patavinus (bibl. Anton.) N. 121. (20).
Q. . . .	»	Patavinus (bibl. Anton.) N. 127. (21).
R. . . .	»	Parisiensis II. N. 15354. (17).
S. . . .	»	Parisiensis III. N. 15822. (19).
T. . . .	»	Tudertinus N. 30. (27).
U. . . .	»	Antissiodorensis N. 13. bis. (4).
V. . . .	»	Vindobonensis N. 1426. (28).
W . . .	»	Vindobonensis N. 1464. (29).
X. . . .	»	Vindobonensis N. 1502. (30).
Y. . . .	»	Erlangensis N. 502. (10).
Z. . . .	»	Cusanus N. D. 31. (82) apud Berncastel (*Castellum tabernarum*). (9).
aa . . .	»	In Collegio S. Bonav. (6).
bb . . .	»	Assisiensis N. 70. (3).
cc . . .	»	In Collegio S. Bonav. (5).
dd . . .	»	Monacensis N. 8079. (13).
ee . . .	»	Sublacensis N. 213. (26).

EDITIONES.

1. — 1477. per Mag. *Hermanum Lichtenstein Tarvisii* feliciter impressum.
2. — 1477. per *Theodoricum Reynsburch et Reynaldum de Novimagio* socios *Venetiis* feliciter impressum.
3. — Koberger Norimbergae, sine anno, probabiliter 1491, vel 1492.
4. — Koberger altera, Lugduni 1510.

In edendo libro Sententiarum Petri Lombardi eisdem collatis codicibus et editionibus, ac in I. libro, usi sumus, quos vide in I. tomo pag. LXXXVIII. Attamen pro cod. E substituimus alium antiquitate et correctione meliorem, qui est in bibl. Laurent. Plut. XXI. cod. 26, et eadem littera E signatum. Item, in locum editionis Parisiensis (1659) substituimus cum eodem numero 8 editionem, quae est in VI. tomo editionis Parmensis operum S. Thomae (1856). Haec plerumque cum Parisiensi convenit, exceptis locis Patrum, quos editor Parisiensis, P. Nicolai, O. P. non raro secundum editiones mutavit vel complevit.

---

[1] Numeri intra parenthesim positi indicant locum in Prolegomenis pag. VII. seq., ubi hi codices describuntur.

PROLEGOMENA
AD TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Summi Pontificis Leonis XIII. feliciter regnantis gratia fauste nobis evenit, ut in fronte huius tertii nostrae editionis voluminis promulgare potuerimus documentum, quod tum sententiarum gravitate eminet, tum inceptos a nobis labores benigno et paterno favore prosequitur. In Litteris enim Apostolicis, a Sanctitate Sua R.^{mo} nostro Ministro Generali Bernardino a Portu Romatino inscriptis et superius impressis, non tantum merita sanctorum duorum Doctorum, Angelici et Seraphici, amplissimis verbis celebrantur, eorumque opera studiose legenda commendantur, sed etiam labores in adornanda hac nova omnium operum S. Bonaventurae editione a nobis suscepti publico testimonio comprobantur. Huius tam insignis beneficii gratissimo animo memores, susceptum opus arduum confirmatis prosequimur animis, cum tale tanti Pontificis et Vicarii Christi testimonium quasi quoddam pignus teneamus, nos neque in vacuum currere aut cucurrisse neque in vacuum laborasse (Phil. 2, 16.).

§ 1. *Commentarius hic in tertium Sententiarum librum magni semper aestimatus est.*

Hoc idem iam observavimus in Prolegomenis ad I. tomum (c. I. § 4.). In eo enim S. Bonav. de rebus summi momenti agit pro dignitate vere Seraphici Doctoris. Obiectum in prima huius Commentarii parte est ineffabile incarnationis mysterium, quo nihil est nobilius, et in quo fundatae sunt excellentissimae illae tres virtutes theologicae, scilicet fides, spes et caritas, de quibus aliisque magni momenti quaestionibus in altera parte a distinctione 23. usque ad finem copiose et sapientissime disputatur. In eligendis scholarum theologicarum opinionibus seraphicus Doctor pro more suo etiam hic praefert sententias tunc communiores, vel quae magis fovent pietatem. Iterum de hac sua agendi ratione in fine huius libri gravissimis et modestissimis verbis loquitur. Communi opinioni, inquit, « pro viribus meis in omnibus praecedentibus libris adhaesi tanquam viae securiori; et sicut scio et possum, mihi et aliis consimilibus parum intelligentibus persuadeo adhaerendum ». Porro addit, se diligentius in hoc libro observasse, « ut in his quaestionibus dubiis et difficilibus, in quibus non potui deprehendere, quae esset via *communis*, quia sapientes opinantur contrarie sapientibus, sic unam partem tanquam magis probabilem sustinerem, ut tamen *aliam minime improbarem* ». Haec annotatio respicienda est, ut de differentiis inter doctrinam Angelici et Seraphici Doctoris in seq. § relatis iuste iudicetur.

Ex praedictis apparet, commentarium hunc optime testari, qualis fuerit communior scholarum opinio in rebus theologicis et philosophicis, quando de his paulo posterius scribere incepit S. Thomas. — Insuper, si quis est in quadam doctrina nostri auctoris defectus; cum hic communis sit praecipuis illius aetatis magistris, certe non imputandus est singulari cuicumque doctori, sed temporis conditioni. Hoc praecipue attendendum est in quaestionibus ad dogma de Immaculata B. V. Mariae conceptione spectantibus, de quibus cfr. scholia ad quaestiones d. 3. p. 1. a. 1. 2.

Licet autem S. Bonav. in opinionibus eligendis sequatur communiorem viam et abhorreat a novarum rerum studiis; hoc tamen minime derogat huius libri praestantiae, neque ob hanc rationem doctrina in eo contenta minoris pretii aestimanda est. Communem enim veritatem ipse non communi modo docet. Nam argumentorum copia, sententiarum gravitate, iudicii sublimitate, praestanti in iudicandis et inter se componendis opinionibus ingenii vi, singulari devotionis unctione atque nervoso simul et perspicuo dicendi genere gradum obtinet inter Scholasticos non communem, sed eminentem. — Accedit, quod hi commentarii compositi sunt ea aetate, qua ecclesiastica de incarnationis mysterio doctrina, postquam scholarum occidentalium subtilibus inquisitionibus et acerrimis disputationibus multum ac diu discussa fuit, iam stabilem quandam, ut ita dicam, formam *scientificam* induerat, resectis non paucis erroribus et enucleatis plurimis gravissimisque difficultatibus, quas humana ratio, tanto mysterio impar, accumulare per saecula consueverat. Notissimum est, usum dialecticae Aristotelicae non paucas scholas theologicas luxuriando invasisse, quarum captionibus et argutiis non raro in discrimen vocata est sinceritas fidei; quam ex opposito alii doctores fortiter defendebant, fidei dogmatibus traditam formam ac mysterii notam vindicantes. Sufficiat hic nominasse celeberrimos duos adversarios, S. Bernardum et Petrum Abaelardum, ut agnoscatur ratio indolesque utriusque partis, quae per duo ferme saecula in scholis sub diversis formis et de variis obiectis, sed praecipue de incarnatione Domini luctata est. Nec ea aetate, qua Petrus Lombardus suas Sententias scripsit, hae controversiae omnes bene compositae erant; quod iam patet ex loquendi modo fluctuanti et parum tuto, quo idem (d. VI. et VII.) refert atque tractat famosas tres opiniones de Christo-homine. Disputationes autem S. Bonaventurae aliorumque Scholasticorum passim supponunt

praedictas controversias interdum spinosas, quarum notitia requiritur, ut recte de doctrina S. Doctoris iudicetur; unde in scholiis et notis passim praecedentes de Christologia opiniones tetigimus. Qui plura desiderat adeat recentiores de rebus ecclesiasticis medii aevi auctores, inter quos prae ceteris copiose de eisdem tanquam argumento proposito tractat opus eruditione plenum cl. Profess. in Universitate Monacensi Dr. I. Bach: Die Dogmengeschichte des Mittelalters vom Christologischen Standpuncte, Wien 1873-75, Braumüller, tom. 1. 2.

Inter Ss. Doctores Thomam et Bonaventuram vix est dissidium alicuius momenti respectu praedictarum controversiarum, ut iam patet ex elencho antiquo, qui immediate sequitur, praesertim cum plura in eo notata vel reduci possint ad merum modum loquendi, magis disparatum quam contrarium, vel respiciant tantum *gradum* maioris vel minoris probabilitatis, ut in scholiis eisdem quaestionibus adiectis tactum est.

§ 2. *Antiquus index locorum, in quibus dissentiunt Ss. Thomas et Bonaventura in suis Commentariis super librum tertium Sententiarum.*

Hic index depromptus est ex codicibus bibliothecae Burghesianae de Urbe et civitatis Luneburgi in Germania, quos iam descripsimus tom. I. pag. LXX. sub n. 35. Sicut in praecedentibus tomis, ita etiam hic exhibemus lectionem codicis bibliothecae Burghesianae et intra uncinos ponimus lectiones variantes alterius codicis, quae alicuius sunt momenti, numeris citationum interdum falsis a nobis correctis et completis.

Hi sunt articuli, in quibus dissentiunt in tertio Bonaventura et Thomas [De tertio libro].

1. Utrum tres personae possint unam et eandem naturam humanam in numero assumere; distinctione 1. (a. 1. q. 3.).

2. Utrum beata Virgo aliquid fuerit cooperata in conceptione Filii Dei; d. 4. (a. 3. q. 1.).

3. Utrum illa conceptio [cooperatio] fuerit miraculosa, vel naturalis; d. 3. (a. 3. q. 2.).

4. Utrum Christus secundum quod homo possit dici filius Spiritus sancti; d. 4. (a. 1. q. 2.).

5. Utrum, cum dicitur: Deus est homo, sit praedicatio essentialis; d. 7. (a. 1. q. 1.).

6. Utrum haec demonstratio (sic!) sit vera [Utrum Christo demonstrato, haec sit vera]: iste homo incipit esse; d. 11. (a. 2. q. 2.).

7. Utrum Beati videant Verbum mediante aliqua similitudine; d. 14. (a. 1. q. 3.).

8. Utrum ad visionem Verbi oporteat uniri intellectui ut forma; d. 14. (a. 2. q. 1. in solut. oppos.) [alter cod. omittit].

9. Utrum Christus actu cognoscat, quidquid cognoscit [addit: habitu]; d. 14. (a. 2. q. 2.).

10. Utrum Christus ab instanti suae conceptionis [instanti creationis] meruerit per actum vel per usum virtutum; d. 18. (a. 1. q. 1.).

11. Utrum fides sit in ratione, vel in voluntate; d. 23. (a. 1. q. 2.).

12. Utrum fides informis sit virtus; d. 23. (a. 2. q. 1.).

13. Utrum fides sit de visis visu corporeo; d. 24. (a. 2. q. 1.).

14. Utrum fides sit de visis vel de scitis: d. 24. (a. 2. q. 3.).

15. Utrum spes sit in parte intellectiva [omittit sequentia], quod nominat compositionem; d. 26. (a. 2. q. 5.).

16. Utrum appetitus dividatur in irascibilem et concupiscibilem; d. 26. (a. 2. q. 5.).

17. Quod [utrum] bonum sub ratione boni est [sit] obiectum spei; d. 26. (a. 2. q. 4.).

18. Utrum irrationabilia sint diligenda ex caritate imperante, vel eliciente; d. 28. (a. 1. q. 1.).

19. Utrum pater summe diligendus sit ex caritate; d. 29. (a. 1. q. 4.) (rectius pro *summe* diceretur: *magis quam filius).*

20. Utrum ordo caritatis, qui nunc est [in terra], maneat in patria; d. 31. (a. 3. q. 3.).

21. Utrum (lege: *Quomodo)* dona et beatitudines differant; d. 34. (p. I. a. 1. q. 1.).

22. Utrum virtutes cardinales sint in parte intellectiva [omittit sequentia], vel in sensitiva; d. 33. (a. 1. q. 3.).

23. [Utrum sapientia sit in intellectu; d. 35.] (a. 1. q. 1.).

24. Utrum omne mendacium (supple: *perfectis)* sit peccatum mortale; d. 38. (a. 1. q. 4.).

§ 3. *Quoad tractatum de virtutibus theologicis quaedam notanda sunt de relatione huius Commentarii ad Supplementum quoddam Summae Alexandri Halensis.*

De memorato libro, sub titulo *Summa de virtutibus Alexandri Halensis* famoso, diffuse iam egimus in Prolegomenis ad I. tomum pag. LVIII seqq., ad quem locum benevolum lectorem remittimus, pauca tantum hic opportune adiicientes. Instituto enim diligentiore eiusdem libri examine, novis argumentis confirmare nunc possumus quae ibi asseruimus, praesertim primo, quod fragmentum istud eo fine scriptum sit, ut expleretur manifesta et maxima lacuna, quae in parte III. praedictae Summae post q. 63. hiascit; item secundo, quod Alexander non sit huius Supplementi auctor (licet probabiliter saltem *dispositio* materiarum ad ipsum spectare videatur), sed potius Gulielmus de Melitona, vel saltem ignotus frater ex sociis ad perficiendam illam Summam ipsi assignatis; denique tertio, quod auctor Supplementi in transcribendo usus sit Commentario S. Bonaventurae (d. 23-33.), non autem S. Bonaventura illo Supplemento.

Quod autem Alexander IV. (an. 1256) manifestas praedictae Summae lacunas Gulielmo de Melitona explendas commiserit, non tantum Litteris illis Apostolicis, quas Echardus Ord. Praed. primus vulgavit nosque iterum (ibid.) transcripsimus, compertum est, sed etiam in Chronicis nostris, quae XXIV Generalium vocantur et adhuc sunt ineditae, disertis verbis comprobatur. Ibi etiam additur, quod Alexander IV. « scripsit Ministro Franciae, ut de tota Provincia aliquos studentes ad hoc idoneos eligeret, qui eidem magistro assisterent, ut eum ad dictum opus consummandum fideliter adiuvarent ». Idem repetit Fr. Ludovicus de Heilsberg sive Prutenus in suo egregio libro *Trilogium animae* p. III. c. 4. sub lit. N, qui Norimbergae per Antonium Koburger 1498 typis impressus est.

Tertia vero nostra propositio novo argumento evidenter confirmatur, quod ex singulari quadam plurium illius Supplementi quaestionum proprietate desumitur. — Nam in fine tertiae partis praedictae Summae impressae inveniuntur quaedam quaestiones ad tractatum de virtutibus spectantes, quae etiam tum a S. Bonaventura in hoc Commentario tum in illo Supplemento tractantur. Hae sunt quaestiones de fide informi (in Sum. p. III. q. 64.), de spe informi (q. 65.), de timore servili (q. 66.), de

fide formata (q. 68.), de articulis fidei et Symbolis (q. 69.). Nunc autem vidimus, quod auctor Supplementi has quaestiones ex *utroque* auctore congessit, plerumque ad verbum transcribendo ea quae sibi opportuna videbantur, modo ex scripto *Alexandri*, modo ex alio *S. Bonaventurae,* immo interdum de eadem re *simul ex utroque,* quod sane mirum est. Postquam enim integram fere quaestionem, quae in Summa illa legitur, exscripsit, immediate subiungit: « Ad maiorem autem declarationem (evidentiam) obiicitur adhuc » etc., et iterum duplicem seriem argumentorum, responsionem et solutiones oppositorum fere integras refert ex Commentario S. Bonaventurae. Hoc invenitur in quaestione, in qua vi animae sit fides tanquam in subiecto (coll. 34. a. 2.) et in quaestione de certitudine fidei (coll. 33. a. 1.), quod in nostris scholiis (d. 23. a. 1. q. 2. et 4.) accuratius indicavimus. Alibi partem *responsionis* accipit ex Alexandro, aliam partem subiicit ex Bonaventura, vel e converso. Saepissime autem in solutionibus oppositorum accidit, ut duplicem solutionem ex utroque sumtam transscribat. Quid luculentius esse potest ad probandum, auctorem Supplementi in quaestionibus sic consutis ad manus habuisse scripta utriusque doctoris? — In ceteris autem de illis virtutibus quaestionibus, de quibus nihil invenitur in Summa Alexandri, solum Commentarium S. Bonaventurae fere integrum transcribsit, excepta una alterave quaestione, quam unde sumserit, ignoramus. — Ea autem, quae S. Bonav. in dubiis circa litteram Magistri breviter tractat, in illo Supplemento pluries diffusius et in forma consueta quaestionum exhibentur; quam ob rem in nostris notis ad ista *dubia* saepius locum respondentem in Supplemento indicavimus; in *quaestionibus* vero ex Alexandro et Bonaventura congestis superfluum iudicavimus locos Supplementi istius citare; quod in editione Vaticana passim fit.

Alia tamen ratione, nempe pro emendando textu illarum quaestionum, quas sumsit ex Bonaventura, utilis interdum nobis fuit editio Parisiensis illius Supplementi, quia magnopere confirmat correctiones, quae interdum auctoritate tantum paucorum codd. melioris notae nobis opportune faciendae videbantur. Editio enim illa, licet scateat gravibus erroribus, exhibet tamen exemplar antiquissimi codicis, qui ipsum originale S. Bonaventurae propinqua cognatione contingere videtur. Hoc iam inde argui posset, quod editores Supplementi codicem in ipso Conventu Parisiensi, ubi S. Bonav. suos Commentarios composuit, invenerunt. Porro illud Supplementum (vel potius *fragmentum* supplementi) probabilissime scriptum est vivente adhuc S. Bonav., cum an. 1256 Alexander IV. praedicto Gulielmo Summam Alexandri continuandi officium commiserit. Quia autem illud imperfectum remansit, nunquam insertum est Summae Alexandri nec unquam illa aetate librariis ad describendum traditum sive eorundem corruptioni expositum est. Denique quis dubitare potest, quin compilatori praesto fuerit ad transcribendum exemplar fidele operis tunc recentissimi et Parisiis a suo Ministro Generali conscripti? Haec praesumtio satis confirmatur proprietatibus, quas textus illarum quaestionum in dicto libro exhibet, non obstantibus plurimis locis male lectis et negligentissime impressis. — Nihilominus sola auctoritate Supplementi nihil in nostrum textum recepimus, cum compilator *proprio marte* aliquid corrigere vel mutare potuerit, sicut etiam, licet raro, pauca omisit vel addidit.

§ 4. *In scripto huius tertii libri emendando et illustrando non recessimus a methodo in praecedentibus libris observata.*

In scholiis et notis nostris constanter tenuimus scribendi rationem referendi tantum antiquorum auctorum sententias communiter non reprobatas, non autem aliena iudicandi vel censurandi nec propriam nostram opinionem venditandi. — Observamus autem, quod Aegidius R., usque ad dist. 11. a. 2. q. 2. constanter in scholiis a nobis citatus non nisi usque ad illum locum tertium Petri Lombardi librum commentatus est; a supplemento quodam, quod editor ex aliis locis eiusdem auctoris collegit et adiecit, citando supersedimus, cum sit minoris momenti et paucas tantum quaestiones tractet. — Petrus a Tar. in tractatu de Incarnatione fere constanter in ponendis solvendisque quaestionibus Commentarium S. Thomae quasi excerpendo sequitur, dum saepissime in I. et II. libro et interdum etiam in secunda parte III. libri sequitur potius S. Bonaventuram.

In textu ad primitivam puritatem, quantum licuit, revocando et fontibus doctrinae Bonaventurianae accurate indicandis iterum multam operam consumsimus. Quoad eligendas tot lectiones variantes non raro difficile negotium obiiciunt locutiones quaedam phrasesque exoticae et prima specie reprobandae, quae quidem in antiquioribus codd. occurrunt, a posterioribus vero Scholasticis et in editionibus eliminatae nec in aliquo Lexico sive a Ducange sive ab aliis notatae sunt. Tamen, si hoc accidit, toties iam experti sumus, antiquiores codd. praebere genuinam lectionem et recipiendam, cum post longiorem inquisitionem deprehenderimus, easdem locutiones vel in versionibus Graecorum auctorum antiquis, vel a coaevis auctoribus adhibitas esse. — Exempli loco sit phrasis: *in paucioribus via magis* (pag. 821 col. 1. arg. 1.), quam habent codd., dum in Vat. legitur: *in paucioribus satis contineantur.* Suspicati illico sumus, sicut ibi (nota 2.) notavimus, codices locutionem exhibere tunc usitatam; tamen haesitavimus, tam obscuram phrasim in textum recipere, cum ab aliis auctoribus eam adhibitam esse, invenire nullibi potuerimus. Sed vix isto folio typis expresso, incidimus in locum Aristotelis et B. Alberti, quo probatur, phrasim illam in textum fuisse recipiendam. En verba utriusque! Aristot., II. Topic. c. 2: « Ὁδῷ γὰρ μᾶλλον καὶ ἐν ἐλάττοσιν ἡ σκέψις i. e. (secundum versionem Boethii) nam transitu magis et in paucioribus consideratio ». Ex quo haec formula: In paucioribus, i. e. universalibus, est via magis facilis. Cfr. B. Albert., in hunc loc. (tr. 1. c. 3), ubi dicit: « A genere non statim descendendum est ad *singularia,* quia infinita sunt; quia hoc difficile esset vel impossibile considerare singillatim in universis singularibus. Unde statim ad *species* considerandum est, an inveniatur instantia, vel non. In his enim est via magis et facilior; et iden est *via magis in talibus*, quia in *paucioribus* consideratio est facilior ad propositum concludendum ».

Sequitur Syllabus codicum tertii huius libri, quos P. Fidelis a Fanna in bibliothecis invenit et in suis commentariis descripsit.

SYLLABUS MANUSCRIPTORUM

QUAE CONTINENT

COMMENTARIUM SANCTI BONAVENTURAE

SUPER LIBRUM III. SENTENTIARUM.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, codex membranaceus in folio, saeculi XIII. exeuntis, signatus modo n. 57. Incipit fol. 2 r. sine ullo titulo: *Deus autem, qui dives est* etc. Desinit: *sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* Sequitur index quaestionum, sed incompletus. — Hic cod. satis bonus plerumque convenit cum codd. A K U Z bb, qui specialem familiam constituunt, immo aliquoties fere solus exhibuit lectionem in textum recipiendam. — In nostra editione signatur littera N.

2. *Ibidem*, cod. olim bibliothecae Portiunculae, membr. in fol. saec. XIV. ineunt., sign. B. IX. 5. Incip. *Deus autem, qui dives est* etc. Desin.: *sit honor et gloria perfecta in secula seculorum. Amen.* Additur inde tabula distinctionum et quaestionum. — Optimus et ad praedictam specialem familiam pertinens; tamen non rare proprias et bonas lectiones nobis exhibuit. — Sign. U.

3. *Bruxellis* in Belgio, biblioth. regia, cod. 3951. membr. in 4. saec. XIII. Incip. fol. 3 r. In superiore margine scriptor notavit: *Tertius liber.* Hinc col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. ut in editis, inde repetuntur verba: *Explicit liber tertius.* Commentario praemittitur tabula quaestionum sub titulo: *Problemata tertii libri Bonaventure,* cui a manu posteriore additum fuit: *Orate pro ea quae me fecit ligari.* — Convenit plerumque cum antiquioribus codd. — Sign. E.

4. *Claris Aquis*, nunc in Collegio nostro sancti Bonaventurae, cod. memb. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. sine ullo titulo: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin.: *sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* In folio asseri anteriori adhaerente scriba posterioris aevi annotavit: *Tertius fratris Bonaventure.* — Antiquitate et praestantia lectionum prae ceteris egregius, licet non sit sine vitiis, praesertim omissionibus, quae vocantur homoteleuta. Saepe, deficientibus aliis codd., nobis sinceras lectiones praestavit. — Sign. A.

5. *Cusae* apud Castellum tabernarum (Berncastel) in Borussiae provincia Rhenana, biblioth. Hospitalis fundati a Cardinali Nicolao de Cusa ordinis sancti Augustini, cod. D. 20. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incip. et desin. ut in editis. Ad calcem additur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententias.* — Optimae est notae; in pluribus convenit cum cod. W (n. 21.). — Sign. X.

6. *Florentiae*, in biblioth. Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVI. Dext. cod. 1. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incip. fol. 2 r. col. 1. et desinit fol. 187 ut in editis. Sequitur inde tabula quaestionum. — Recensendus est inter codd. melioris notae et pertinet ad specialem familiam sub n. 1. memoratam. — Sign. bb.

7. *Ibidem*, in bibliotheca Nationali, cod. B. I. 213. membr in fol. saec. XIII. Incip. fol. 2. r. et desin. fol. ultim. codicis ut in editis. Scriptor saec. XV. addidit: *Isti sunt articuli prohibiti, reprobati, excommunicati et anathematizati Parisius tempore episcopi Guilielmi, Oddonis cancellarii et magistri Alexandri de Ales.* — Communiter convenit cum antiquioribus codd., sed magis inclinat ad alteram a praenotata distinctam familiam, praesertim ad cod. Z (n. 11.). — Sign. H.

8. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. B. IV. 249. membr. in fol. saec. XIII, mutilus in principio et fine; incipit enim a distinctione V. a. 1. q. 5. *Verbum dicit ipsam hypostasim, cui innititur ipsa humana natura* etc. Desin. distinct. XXXVIII. q. 6. his verbis: *unde ad hoc, quod aliquod genus excedat alterum, non est necesse, quod singula illius generis excedant.* — Hic et seqq. codd. L aa et etiam G (n. 9. 12. 13.) multum inter se conveniunt. — Sign. I.

9. *Ibidem*, cod. C. VI. 215. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Incip. fol. 2 r. et desin. fol. ultimo ut in editis. Deinde a prima manu additur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* — Satis bonus; vide quod de eo in n. praecedenti notavimus. — Sign. L.

10. *Ibidem*, cod. D. IV. 215. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Manus posterior commentario praemisit haec verba: *Adsit principio sancta Maria meo. Incipiunt notule fratris Bonaventure super tertium librum sententiarum. Prologus hic incipit.* Col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. penult. ut in editis. Hinc additur a prima manu: *Explicit summa fratris Bonaventure super tertium librum sententiarum sententiarum* (sic). — Est optimus; praesertim in secunda parte huius libri multas lectiones habet speciales, tamen saepe non approbandas, quia videntur potius esse correctiones a quodam docto excogitatae quam in manuscriptis traditae. Ipse pertinet ad familiam sub n. 1. memoratam, ita tamen, ut inclinet ad codd. M O (n. 17. et 16.). — Sign. K.

11. *Ibidem*, cod. D. V. 216. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incip. fol. 3 r. et desin. fol. penult. v. ut in editis. Scriptor saec. XVI. notavit in principio voluminis: *Tertius Bonaventure super sententiis.* — Cod. bonus et ad praedictam familiam pertinens; hoc tamen habet speciale, quod non raro additamenta minora seu glossas interserit. — Sign. Z.

12. *Ibidem*, cod. D. V. 217. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 2 r. col. 1. ut in editis. Desin. fol. penult. r. col. 1, quae tota exarata fuit a manu saec. XIV. exeunt., quae addidit: *Explicit liber tertius;* alia adhuc manus eiusdem aevi prosequitur in eodem fol. r.: *Principium questionum super tertium Bonaventure.* Ad calcem huius indicis: *Explicit tabula questionum tertii libri Bonaventure super sententias.* — Secunda manus multa in hoc codice correxit et saepe ad normam codd. A Z bb. — Sign. aa.

13. *Ibidem*, cod. I. VI. 14. membr. in fol. saec. XIII. ante finem. De hoc cod. iam locuti sumus tom. II. pag. X. col. 1.

n. 46. Liber tertius incipit fol. 167 r. col. 1. et desin. fol. 308 v. col. 1. ut in editis. Idem scriptor addidit: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* De hoc cod. P. Fidelis a Fanna b. m. sic censuit: « Uterque commentarius, nempe in secundum et tertium, Bonaventura vivente, exaratus fuit ». Praemittitur in principio tabula quaestionum utriusque libri, confecta a manu saec. XIV exeuntis. — In multis convenit cum codd. I L V aa; tamen proprias exhibet lectiones, sed ob rationes intrinsecas saepe non recipiendas. — Sign. G.

14. *Monachii* in Bavaria, biblioth. regia, C. M. L. 15723. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 96 v. Manus posterioris aevi praemisit: *Liber tertius Bonaventure super sententias; pertinet ad provinciam Austrie, deputatus ad usum fratris Ottonis lectoris: qui subtraxerit eum, anathema sit.* Fol. seq. r. col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. ultim. ut in edit. Inde: *Explicit tertius liber Bone venture.* — Cod. bonae notae, qui quandoque sinceram lectionem a nobis receptam exhibet. — Sign. F.

15. *Montis Cassini,* in bibiotheca Monasterii, cod. 43. 0. 0. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. In initio praemittitur index distinctionum et quaestionum. Fol. 4, in superiore parte habet: *Incipit liber tertius sententiarum.* Col. 1.: *Deus autem, qui dives est* etc. Unaquaeque quaestio praefert titulum rubris characteribus exaratum. Desin. ut in edit.; inde subiicitur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententias.* — In exhibendis titulis quaestionum recedit ab aliis codd., in ceteris vero rebus fere semper cum antiquioribus codd. convenit. — Sign. Y.

16. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Collegii Balliolensis, cod. 134. O. membr. in fol. saec. XIII. Fol. 2 v. legitur: *Bonaventura super tertium et quartum sententiarum.* Fol. 3: *Deus autem, qui dives est* etc. Ad calcem additur: *Explicit tertius fratris Bonaventure, quem scripsit Ivo de Bamberga.* Cod. bonae notae; in specialibus suis lectionibus saepe convenit cum codd. K et M (n. 10. et 17.). — Sign. O.

17. *Ibidem,* bibliotheca Collegii Mertonensis, cod. O. 1. 10. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. fol. 3 a prima manu praemittitur: *Bonaventura super tertium et quartum sententiarum.* Deinde col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. distinct. 40. dub. 3: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis.* — De hoc cod. idem est iudicium ac de praecedenti. — Sign. M.

18. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, cod. 15824. membr. in fol. saec. XIII. Fol. 1 r. antiqua manus notavit haec verba: Iste liber est pauperum magistrorum in theologia Parisius studentium, ex legato magistri Gerardi de Remis: precium LX sol. Incip. fol. 2 r. col. 1. et desin. fol. 160 v. col. 2. ut in editis; cui prima manus addidit: *Explicit tertius liber.* — Hic et duo seqq. codd. inter insigniores recensendi sunt et plerumque lectiones a nobis electas confirmant. — Sign. B.

19. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 15822. membr., quem iam recensuimus tom. II. pag. VIII. col. 2. n. 19. Liber tertius incipit fol. 216 r. col. 1; excurrit usque ad distinct. 39. a. 3, q. 3: *Augustinus dicit, quod meretrix iurans, se servaturam...;* cetera fuerunt avulsa. — Vide praedicta. In rebus minoris momenti non raro divergit a praecedenti et sequenti codice eiusdem Parisiensis bibliothecae. — Sign. C.

20. *Ibidem,* cod. 14553. membr. in fol., a diversis manibus exaratus, saec. XIV exeunt. et ineunt. XV. Incip. fol. 1 r. in superiore parte legitur: *Super tertium librum sententiarum de Bonaventura.* Incipit col. 1. et desin. fol. 241 v. ut in editis. Hinc adiungitur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* Sequitur tabula quaestionum, quae desin. fol. 146 v. col. 2; cui additur: *Explicit liber tertius. Deo gratias.* — Vide dicta n. 19. et 20. — Sign. D.

21. *Ibidem,* cod. 15823. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 1 r. col. 1, desin. 189 r. col. 2. ut in editis; additur a prima manu: *Explicit tertius liber fratris Bone aventure super sententias.* Alia manus posterioris temporis subiecit ibidem: *Pauperum Magistrorum de Sorbona. VIII. lib.* — Cod. bonus, qui, ut iam notavimus, valde convenit cum cod. X (n. 5.). Collatus est a Domino Messager, quod gratissimo animo hic commemoramus, sicut prius tom. I. Prolegom. LXXVII col. 2. n. 26. — Sign. W.

22. *Patavii,* bibliotheca Conventus sancti Antonii, cod. 119. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Fol. 1 r. manus saec. XIV. commentario praemisit: *Tertius Bonaventure.* Ibidem col. 1. incip. ut in editis. Desin. fol. ultim. in distinct. 39. a. 2. q. 3: *qui petit ab alio iuramentum, quem scit iuraturum falsum, animam illius occidit, secundum quod habetur in fine istius distinctionis; cum ergo homo sciat...* Cetera desiderantur. — Cod. bonus et cum antiquioribus in rebus maioris momenti conveniens, qui tamen a seq. cod. praestantia lectionum superatur. — Sign. P.

23. *Ibidem,* cod. 129. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 1 r. col. 1, et desin. fol. 192 r. ut in editis. Additur: *Explicit liber tercius fratris Bonaventure de ordine minorum.* Hinc subiicitur tabula quaestionum, sed incompleta remansit. — Cod. bonus et correctus. Recole dicta de praecedenti. — Sign. Q.

24. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 911. membr. in fol. saec. XIII. Sub fine fol. 1 r. in superiore margine legitur exaratum a manu posteriori: *Liber tertius Bonaventure.* Sequitur tabula quadraginta distinctionum et quaestionum, post quam incipit commentarius et desin. fol. 185 v. ut in editis. Inde a prima manu additur: *Explicit tertius liber Bonaventure.* — Hic et duo seqq. codd. aetate et praestantia melioribus codd. assignandi sunt. — Sign. R.

25. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 912. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Praemittitur a secunda manu: *Tertius Bonaventure.* Incip. et desin. ut in editis. In fine: *Explicit liber tertius.* — Notandum, quod antiquus hic cod. in d. 34. p. II. a. 1. q. 1. genuino textui adiungit seriem argumentorum et solutionum; haec additamenta pag. 754 et 756 ad calcem in notis transcripsimus. — Sign. S.

26. *Ibidem,* cod. 913. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Incip. fol. 1 r. et desin. fol. 163 ut in editis. Additur a prima manu: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* Sequitur index rerum alphabetica methodo dispositus, et in fine subiicitur: *Explicit tabula libri tertii. Deo gratias.* — Vide n. 24. et quod de eodem cod. notavimus in fine huius §. — Sign. cc.

27. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati ordin. minorum. cod. 151. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Commentario praemittuntur tabulae quaestionum et distinctionum primi, secundi et tertii libri sententiarum sub titulo: *Incipiunt problemata primi libri;* deinde: *secundi ac tertii.* Porro: *Incipit tertius secundum fratrem Bonaventuram* fol. 7

r., deinde col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Distinctioni vigesimae tertiae praemittitur: *Incipit secunda pars tertii libri. Cum vero supra habitum est* etc. Desin. fol. 198 ut in editis; ad calcem subiungitur: *Explicit tertius liber.* — Cod. optimae notae et a nobis in eligendis lectionibus variantibus continuo consultus. — Sign. T.

28. *Venetiis,* in bibliotheca Seminarii, cod. M. III. 29. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1 r. col. 1. ut in editis. Desinit: *sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* Deinde scriptor XIV. saec. subiecit tabulam quaestionum, quam explevit per verba: *Expliciunt tituli quaestionum tertii libri sententiarum secundum fratrem Bonaventuram de Balneo regis ordinis fratrum minorum, et sunt in...* — Cod. antiquus et bonus, tamen multis in locis non caret vitiis, praesertim saltibus ob homoteleuta. In secunda huius libri parte valde convenit cum codd. I L aa (n. 8. 9. 12.). — Sign. V.

II.

Codices a nobis non collati.

29. *Ambianorum* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 223. membr. in fol. saec. XIII. In principio praemittuntur index quaestionum et alia nonnulla ad hunc tertium librum spectantia. Commentarius incipit fol. 5 v. sic: *Incipiunt questiones fratris Bonaventure super librum tertium sententiarum. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 272 v. col. 2: *sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

30. *Barcinonae* in Hispania, in Archivo coronae regum Aragonensium, cod. 33, quem iam recensuimus tom. II. pag. IX. n. 34.

31. *Bruxellis,* in biblioteca regia, cod. 3431. membr. in fol. In initio est tabula quaestionum; commentarius incipit fol. 3 r., cui scriptor posterioris temporis praemisit: *D. Bonaventura in III. sententiarum. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. ut in edit. Deinde prima manus subiungit: *Explicit tertius sententiarum fratris Bonaventure Doctoris seraphici sacre Theologie, scriptus et finitus anno Domini 1486, novembris die tertia.*

32. *Burdigalae* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 136. membr. in fol. saec. XIV. Incip. fol. 5 r. post tabulam quaestionum et desin. fol. 207 r. ut in editis; inde subiicitur index rerum alphabetico modo dispositus, sed mutilus.

33. *Cracoviae,* in bibliotheca Universitatis, M. S. 1247. A. A. VI. 3. chartac. in fol. saec. XV. post medietatem. Pag. 1 praemittitur titulus his verbis: *Scriptum venerabilis magistri sacre pagine fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. pag. 725: *secula seculorum. Amen. Sit laus Deo. Explicit tertius liber fratris Bonaventure super sententias.* Sequitur index quaestionum.

34. *Ibidem,* M. S. 1251. A. A. V. 33. chartac. in fol. Incipit pag. 1 sub titulo: *Bonaventure super tertio,* et desin. pag. 939 ut in editis. Additur: *Explicit tertius fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum super sententias.* 1442.

35. *Dunelmii* in Anglia, cod. B. I. 24. membr. in fol. saec. XIV. Incipit et desin. ut in editis. Inscriptus est: *Tertia pars Bonaventure.*

36. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca regia, collectio Amploniana, cod. 122, quem iam descripsimus tom. I. pag. LXXVIII, n. 40. Commentarius in tertium librum incipit circa medietatem voluminis, praemissis his verbis a manu saec. XIV. exaratis: *Hunc primum et tertium Bonaventure emit frater Wilhelmus in Oxonia pro conventu Duysburgensi ordinis...* (cetera verba sunt abrasa). Inde col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. ut in editis. Fini additur: *Bonaventura super primum et tertium sententiarum fratris Wilhelmi Krone de Duysburgh ordinis fratrum minorum.* Post haec sequitur tabula quaestionum, ad cuius calcem subiungitur: *Bonaventura super primum et tertium sententiarum, et pertinet fratri Wilhelmo Krone de Duysburgh Provinciae Coloniae.*

37. *Erlangen* in Bavaria, cod. 348. membr. in fol. saec. XIV. ineunt., mutilus in principio et in fine, incipit enim distinct. 1. a. 1. q. 3. ad argum.; desin. distinct. 40. dub. 2. his verbis: *quia manifestior erat et sensibilior, et etiam iudaei...*

38. *Florentiae,* bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. Fesul. LXXII. membr. in fol. saec. XV, splendide conscriptus. Praemittitur: *Incipit tertius liber Bonaventure super sententiis, ordinis fratrum minorum. Feliciter incipit. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 241 r. col. 2. Hinc subiicitur: *Explicit liber Bonaventure* (alia manus addidit) *super tertium sententiarum.*

39. *Ibidem,* bibliotheca Nationalis, cod. B. IX. 1780. membr. in 4. parv. saec. XIV. ineunt. Fol. 179 r. col. 1. sub titulo: *Incipiunt articuli fidei distincti secundum humanitatem.* Continet fragmenta extracta a Commentario sancti Bonaventurae super librum tertium sententiarum.

40. *Graecii* in Stiria, bibliotheca Universitatis, cod. 277. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit et desinit ut in editis. Fini additur: *Explicit liber tertius.* Prosequitur tabula quaestionum, quae sic desinit: *Expliciunt terminationes tertii libri questionum magistri Bonaventure.*

41. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, Est. y. 129. n. 50, cod. membr. in 4. saec. XIV. ineunt., sine nomine auctoris. Incipit fol. 1 r. et desin. in fine ut in editis.

42. *Lipsiae,* bibliotheca Universitatis, cod. 494. chartac. in fol. Incip. fol. 2 r., desin. ut in editis. Legitur in fine: *Explicit tertius fratris Bonaventure super sententiis; anno Domini LXX* (1470). Sequitur duplex tabula, scil. quaestionum et rerum; haec alphabetica methodo est disposita.

43. *Londini,* in bibliotheca Musaei Britannici, collect. regia cod. X. C. 12, membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit commentarius fol. 22 r. absque ullo titulo: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 200 v. col. 2, cui prima manus subiecit haec verba: *Explicit liber tertius fratris Bone aventure super sententiis.*

44. *Massiliae* in Gallia, bibliotheca Civitatis, Reg. E. a. 23. cod. membr. in fol. saec. XV. Commentario praemittitur tabula quaestionum, quae excurrit usque ad distinctionem 36. q. 3; cetera sunt avulsa una cum prologo et initio divisionis textus primae distinctionis. Incipit enim a verbis: *vivificavit Christo, et Christus nos vivificavit assumendo vitam...* Tabulae praeponuntur haec verba: *Tabula Bonaventure sive tituli quaestionum super tertium sententiarum incipit feliciter sive incipiunt.* Ad calcem commentarii subiiciuntur haec verba: *Liber tertius fratris Bonaventure super sententiis exit feliciter. Finis.*

45. *Moguntiae,* bibliotheca Civitatis, cod. n. 11. chartac. in fol. saec. XV. Fol. 2 r. est tabula quaestionum mutila; commentarius incipit fol. 6 r., in quo etiam nonnulla desunt. Desinit enim, seu potius deficit distinct. 40. dub. 3. his verbis:

Et pro tanto dicuntur nove legis habere virtutem et differre, et hoc a sacramentis veteris legis precipue quantum ad ipsam efficacem ordinationem, quia non interveniebat...

46. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca regia, C. L. M. 5174. chartac. in fol. saec. XV. Usque ad fol. 12. complectitur tabulam quaestionum et dubitationum circa litteram. Commentarius incipit fol. 13 r. et desin. fol. 320 v. ut in editis.

47. *Ibidem*, C. L. M. 5951. chartac. in fol. Incip. fol. 2 r. cum titulo: *Bonaventura super tertium sententiarum;* col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 457 v. col. 2. Deinde: *Explicit scriptum Domini Bonaventure super tertium librum sententiarum. Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo, sub reverendo in Christo patre et domino Iudoco abbate.* Sequitur index quaestionum.

48. *Ibidem*, C. L. M. 8079, quem iam descripsimus tom. I. pag. LXXV. col. 1. n. 15; et tom. II. pag. VIII. col. 1. n. 13. Complectitur dubia circa litteram.

49. *Mutinae* in Italia, bibliotheca Atestina, cod. 974. VII. I. 16. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1 r. verbis: *Prologus tertii libri;* deinde *Deus autem, qui dives est* etc. In initio I. distinct. iterum habetur: *Incipit tertius liber fratris Bonaventure.* Divisio textus exorditur: *Quoniam igitur in hoc tertio libro*, superioribus omissis. Desin. fol. 253 r. col. 1. Dein a prima manu additum est: *Explicit tertius fratris Bonaventure super sententias.* Postea: *Incipiunt capitula tertii libri fratris Bonaventure:* et in fine: *Expliciunt capitula tertii libri fratris Bonaventure.*

50. *Ibidem*, cod. 976. VI. C. 2. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Ante commentarium exhibetur index tum quaestionum tum dubitationum litteralium. Fol. 4 r. in parte superiore a prima manu praemittitur: *Tertius liber Bonaventure* col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desinit. fol. ultimo ut in editis; inde additur: *Explicit liber fratris Bonaventure super sententiis.*

51. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Collegii Mertonensis, cod. O. I. 8. Praeter commentarium sancti Bonaventurae in librum primum sententiarum, de quo egimus tom. I. pag. LXXIX. col. 1. n. 50, continet etiam fol. 108 et seq. copiosum indicem super hunc tertium incipiens: *Prologus Bonaventure super tertium librum sententiarum.* In fine: *Expliciunt problemata super tertium librum sententiarum.*

52. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 930. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1 r. col. 1, desin. fol. 236 r. ut in editis. Hinc prima manus addidit: *Codice prescripto, sit laus et gloria Christo. — Qui transcripsit eum possit habere Deum. — Explicit liber tertius fratris Bonaventure.* Alia manus eiusdem saeculi subiecit tabulam quaestionum, cui praemisit: *Incipiunt tituli questionum huius tertii libri sententiarum Domini Bonaventure ordinis fratrum minorum.*

53. *Ibidem*, collectio Sorbonica, cod. th. II. 42. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Incipit cum titulo: *Tertia pars sententiarum de Incarnatione verbi. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 244, distinct. 40. dub. 3. his verbis: *et causa existat, habeat aliquam virtutem, per quam...* Cetera desiderantur. Scriptor recens in principio codicis notavit haec verba: *Bonaventura super sententias.*

54. *Pistorii* in Italia, bibliotheca Fortiguerri, cod. D. 309. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1 r. et desin. fol. 147 v. col. 2. ut in editis. Additur: *Explicit liber tertius.*

55. *Pragae*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. C. 25. chartac. saec. XIV. exeunt. Incipit et desin. ut in edit. In fine subiicitur tabula quaestionum.

56. *Regimontii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1191. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. Fol. 2 r. stilo lapideo, sed antiquitus scriptum est: *In hoc libro continentur Bonaventure distinctiones super tertium sententiarum.* Commentarius aliquando est contractus, aliquando interpolatus et in fine mutilus.

57. *Romae*, in bibliotheca Vaticana, cod. Urbin. 143. membr. in fol. saec. XV. Incipit fol. 3 r. cum hoc titulo: *Incipit tertius Bonaventure ordinis fratrum minorum. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. ut in editis. Deinde additur: *Liber tertius Bonaventure ordinis fratrum minorum super tertio sententiarum explicit feliciter.* Sequitur index quaestionum.

58. *Rothomagi* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. A. 186. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 1 r. col. 1. et in fine desin. ut in editis. A prima manu subiicitur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententias.*

59. *Taurini*, bibliotheca regia, cod. F. IV. 31. membr. in fol. saec. XIII. Incip. fol. 1 r. et desin. fol. 165 r. ut in editis. Ad calcem commentarii subiicitur tabula distinctionum et quaestionum.

60. *Ibidem*, cod. K. III. 12. membr. in fol. saec. XIV. Incipit fol. 1 r. et desin. fol. 228 v. ut ceteri. Hic cod. et etiam praecedens olim pertinebant ad conventum de Cherio, ordinis Minorum provinciae Taurinensis, ut in eisdem notatur.

61. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 820. membr. in 4. saec. XIII. exeunt., ut iam diximus tom. II. pag. XI. col. 1. n. 68.

62. *Turonis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 374. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Praemittitur index quaestionum, qui protrahitur usque ad fol. 3. col. 1. Incipit fol. 4 r. *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. penultim. Inde eadem prima manus addidit: *Explicit tertius fratris Bonaventure super sententias. Deo gratias.*

63. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, class. III, cod. 92. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1 r. et desin. fol. 214 v. Ad calcem additur: *Explicit liber tertius Bonaventure super sentenciis.* Sequitur index quaestionum.

64. *Ibidem*, Class. III. cod., cod. 95. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 2 r. col. 1. *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 157 v. col. 2. Scriptor saec. XV addidit: *Explicit tertius Bonaventure.* Inde exhibetur tabula distinctionum et quaestionum.

65. *Vindobonae* in Austria, bibliotheca Palatina, M. S. 1510. membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 1 r., desin. fol. 117 r. In fine legitur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis. Omnis laus in fine canitur.*

66. *Ibidem*, M. S. 1531. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1 r., desin. fol. ultim. v. et additur: *Explicit liber tertius.* Scriba saec. XIV. sub fine in folio particulari commentario praemisso notavit haec verba: *Tertius Bonaventure. Hae sunt quaestiones super tertium librum sententiarum Bonaventure, empte a domino Venerabili de Hesptali ad libreriam Collegii ducalis Wyenne pro duodecim solidis et viginti denariis solutis de pecunia Erhardi bidelli, cuius anima requiescat in pace Xpi.*

67. *Ibidem*, M. S. 4846. chartac. in fol. saec. XV. Incipit fol. 1 r. col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc.; desin. fol. 386 v. col. 2: *sit omnis honor et gloria per infinita secula se-*

culorum. Amen. Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis. Omnis laus in fine probatur. Infra sequuntur tituli quaestionum.

Praeter codd. (n. 1-28) duas tantum edd. antiquas continuo inspeximus, scilicet unam sine loco et anno, quae est 1. editio huius Commentarii, a *Koburger* Norimbergae 1491, ut videtur, impressa, quam describit Hain (Repertor. bibliogr. I. n. 3540.). De hac et de altera iam locuti sumus tom. I. Prolegom. LXXIII. col. 2. n. 10. et LXXIV. col. 2. n. 14. Altera editio, numero 2 distincta et iterum sine indicatione anni, describitur ab Hain loc. cit. n. 3541. Haec est impressa a Kiliano Piscatore Friburgi an. 1493, ut videtur, quae vix nisi in paucis minutissimis rebus a Koburgeriana differt; sed exemplar, quo usi sumus, ad marginem habebat plurimas correctiones ex aliquo codice bono sumtas et diligenter notatas.

Licet autem codd. saeculi XIII. emendationes nostras plerumque communi suffragio confirment, tamen quoad non paucos locos ab antiquo corruptos et quoad plurimas res minutas etiam in his veteribus codicibus satis apparuit, duas praecipue familias esse distinguendas, illamque, quae exprimitur in codd. A K N U Z bb, sinceram lectionem pluries praebere quam alteram. Quod iudicium nostrum deinde confirmabatur, quando in Supplemento Summae Alexandri textum impressum multarum quaestionum cum nostris codicibus conferentes experti sumus, editionem hanc communius convenire cum praedicta familia; de quo argumento supra (§ 3. in fine) tractavimus.

Superest, ut lectorem moneamus de quodam errato in citando cod. cc commisso, sed tantum in primis distinctionibus. Cum primitus eum distinxerimus signo dd, ipse pag. 73 nota 8. ita citatus est, et similiter pag. 49 nota 1. alius cod. Insuper cum farrago lectionum variantium sub uno aspectu opere laborioso poneretur, ab initio cod. cc aliis non est annumeratus, unde usque ad pag. 308 pluries (13 vicibus) erronee allegatur tanquam concordans cum edd., praesertim Vaticana, dum e contra passim cum aliis codicibus ab eisdem recedat lectionesque a nobis electas magis confirmet. Hinc patet, involuntarium hunc errorem quoad emendationem ipsius textus nullius esse momenti.

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

III. LIBRI COMMENTARIORUM [1].

A . . Cod. In Collegio S. Bonaventurae. (n. 4.).
B . . . » Parisiensis I, biblioth. Nationalis 15824. (n. 18.).
C . . . » Parisiensis II, biblioth. National. 15822. (n. 19.).
D . . . » Parisiensis III, biblioth. National. 14553. (n. 20.).
E . . . » Bruxellensis, biblioth. National. 3951. (n. 3.).
F . . . » Monacensis, biblioth. Reg. C. L. M. 15723. (n. 14.).
G . . . » Florentinus I, biblioth. National. I. VI. 14. (n. 13.).
H . . . » Florentinus II, biblioth. National. B. I. 213. (n. 7.).
I . . . » Florentinus III, biblioth. National. B. IV. 219. (n. 8.).
K . . . » Florentinus IV, biblioth. National. D. IV. 214. (n. 10).
L . . . » Florentinus V, biblioth. National. C. VI. 215. (n. 9.).
M . . . » Oxoniensis, biblioth. Colleg. Merton. O. 1. 10. (n. 17.).
N . . . » Assisiensis I, biblioth. sacri Conventus, 57. (n. 1.).
O . . . » Oxoniensis, biblioth. Colleg. Balliol. 134. O. (n. 16.).
P . . . » Patavinus I, biblioth. sancti Anton. 119. (n. 22.).
Q . . . » Patavinus II, biblioth. sancti Anton. 129. (n. 23.).
R . . . » Vaticanus I. 911. (n. 24.).
S . . . » Vaticanus II. 912. (n. 25.).
T . . . » Tudertinus, 151. (n. 27.).
U . . . » Assisiensis II. (olim S. Mariae Angelor.), 5. B. IX. (n. 2.).
V . . . » Venetus, biblioth. Seminarii Patriarch. 29. M. III. (n. 28.).
W. . . » Parisiensis IV, biblioth. National. 15823. (n. 21.).
X . . . » Cusanus, D. 20. (n. 5.).
Y . . . » Montiscassinensis, 4300 (alias 103). (n. 15.).
Z . . . » Florentinus VI, biblioth. National. D. V. 216. (n. 11.).
aa. . . » Florentinus VII, biblioth. National. D. V. 217. (n. 12.).
bb. . . » Florentinus VIII, biblioth. Mediceo-Laurent. Plut. XXVI. Dext. 1. (n. 6.).
cc. . . » Vaticanus III. 913. (n. 26.).

EDITIONES.

1. Norimbergae, sine anno (Koburger 1491).
2. Friburgi, s. a. 1493 (Kilian. Piscator).

In reformando textu Petri Lombardi eisdem codicibus et editionibus usi sumus, qui in tomo secundo (Prolegomena XII) annotati sunt.

---

[1] Numeri intra parenthesim positi indicant locum (supra pag. VI-VIII), ubi hi codices descripti sunt.

PROLEGOMENA

AD QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Quarto hoc editionis nostrae volumine ope divina ad finem feliciter perducto, insignis Seraphici Doctoris Commentarius, simul cum ipsis libris Sententiarum Petri Lombardi, a deformitatibus innumerabilibus purgatus multisque subsidiis illustratus tandem integer in lucem prodit. Quod igitur anno 1882 in praefatione generali (tom. I. pag. XXXVII) enuntiavimus, consilium nostrum esse, hunc Commentarium, qui miram et salutarem S. Doctoris doctrinam prae ceteris eius operibus uberius, distinctius et in forma scholastica exponit, speciali studio operaque explicare et illustrare; hoc, unitis viribus, et opitulante virtute ex alto, pro modulo nostro ad effectum perduximus. Nec pepercimus labori, ut utilitati consulatur eorum qui doctrinae tanti Doctoris studere incipiunt. Hoc igitur posito fundamento, simul apertus est aditus ad alia eiusdem Sancti opera facile intelligenda vel explicanda, cum occurrentibus difficultatibus plerumque sufficiat lectorem relegare ad locos huius Commentarii, qui de eadem re tractant.

Cum autem quatuor libri huius Commentarii quoddam doctrinae corpus integrum forment, consentaneum est, ut haec volumina separatim ab iis possint acquiri, qui integram omnium operum collectionem nolunt sibi comparare. Unde speciales indices plures et copiosos paramus, totum Commentarium comprehendentes, quos separato tomo minoris molis reservavimus, tum ut expeditior fiat eorum usus, tum ne Commentarii volumina nimis excrescant. Ipsa huius ingentis operis indoles ea est, ut sine locuplete indice plurima egregiae doctrinae documenta, per omnes eius partes abundanter sparsa et quasi abscondita, vix magno laboris et temporis dispendio inveniri possint. Haec observatio imprimis spectat ad doctrinas philosophicas, obiter quidem, sed magna ubertate passim admixtas, ita ut fere integer cursus philosophicus satis amplus ex solo hoc opere colligi possit. Hoc iam praestiterunt prae aliis duo Patres Ord. Min. Cap., uterque tribus tomis in 4°. Primo quidem P. Marc. Antonius Gallitius Romae an. 1635 edidit librum inscriptum: *Summa totius philosophiae Aristotelicae ad mentem S. Bonaventurae.* Post eum P. Barth. de Barberiis Lugduni 1677 publicavit: *Flores et fructus philosophici ex Seraphico paradiso excerpti, seu Cursus philosophici ad mentem S. Bonaventurae;* hoc opus aliis non parum antecellit. — Opportunum igitur visum est, ut specialis de definitionibus, distinctionibus et effatis philosophicis index, ordine alphabetico dispositus, aliis consuetis adiungatur; qui quidem maxima ex parte iam absolutus est.

Maiorem partem huius quarti libri implet tractatus integer de Sacramentis (scilicet a d. I. usque ad d. 42.), quem excipit doctrina de Novissimis. Quoad res sacramentales, exceptis tribus ultimis Sacramentis, S. Doctor ante oculos habuit Summam sui magistri Alexandri Halensis, qui in huius parte IV. de illa materia pergrandem tomum in folio compilavit, sed morte praeventus, non nisi quatuor prima Sacramenta absolvere potuit. In isto tractatu tot quaestiones de hac re positae et solutae sunt, tantaque copia argumentorum congesta, ut sub hoc respectu scripta de Sacramentis a S. Bonaventura aliisque subsequentibus Scholasticis, ad istam Summam comparata, quasi formam cuiusdam compendii prae se ferant. Non raro enim Alexander integras quaestiones cum copiosis argumentis exhibet, quae ab aliis vix paucis verbis in solutionibus oppositorum tanguntur. Hoc tamen non ita intelligi volumus, quasi subsequentibus magistris meritum proprium detrahere et verum quendam progressum denegare vellemus, cum ab eis, et etiam a S. Bonaventura, pauca quidem Alexandri asserta sint correcta, plura vero accuratius determinata et solidius probata. Si igitur hic Commentarius nostri Doctoris conferatur cum praedicta Summa, manifeste apparet, praecipue quoad hunc IV. librum verum esse, quod ipse dicit in Praelocutione ad II. librum Sententiarum: « Quemadmodum in primo libro sententiis adhaesi et communibus opinionibus magistrorum, et potissime magistri et patris nostri bonae memoriae fratris Alexandri; sic in consequentibus libris ab eorum vestigiis non recedam ». Re vera multoties doctrinam eiusdem brevius contrahit, immo interdum plures propositiones eisdem verbis repetit. Unde nos non raro in locis obscurioribus vel depravatis ista Summa uti potuimus ad textum huius quarti libri vel securius emendandum, vel clarius explicandum.

Cum autem etiam in hoc volumine adornando eandem quam in praecedentibus viam rationemque secuti simus, nihil fere adiiciendum est observationibus, quae in aliis nostris Prolegomenis positae sunt. Maiorem tamen operam laboremque ad hoc volumen emendandum impendere oportuit quam quoad tria prima. Nam hucusque in omnibus editionibus hic liber passim ita corrupte impressus exhibebatur, ut sensus auctoris saepe non tantum obscuritate involveretur, sed etiam foedis erroribus macularetur. Accedit, quod ipsi codices 28 et editio princeps, a nobis collati, singulari modo abundant varietate lectionum nec non numero vitiorum. Lectiones variantes inde colle-

etas notavimus ultra *quadraginta millia*, quae non raro mira sua varietate et discrepantia mentem confundebant. Maiorem partem earum in notis commemorare supersedendum esse duximus, quia vel res prorsus *minutas* (ut verborum positionem, et particulas eiusdem sensus) respiciebant, vel penitus improbabiles erant. Praeter has res minimas occurrebant pedetentim dissidia codicum maioris momenti, immo interdum unius vocabuli ultra quinque immutationes, quibus modus antiquus cum notis compendiariis scribendi vulgo occasionem dedit. Nam cum in ista scriptura multae litterae omittantur, ignorantia et incuria librariorum facile transit a termino non ita vulgari ad alium terminum valde diversum, qui iterum similibus vicissitudinibus, vel ineptae correctioni exponitur. Habita huius transformationis ratione, interdum primitivum vocabulum ex ipsa varietate verborum probabiliter colligi potest.

Quae autem proprie fuerint causae tantae huius libri corruptionis, non certo determinare possumus. Dici tamen vere potest, auctorem hic magis quam alibi restrinxisse dictionem brevitatique valde studuisse, fortasse ne magna copia dicendorum nimium augeret molem voluminis. Brevitas autem dicendi auget obscuritatem; cui ut provideretur, passim in multis codicibus a posteriore manu vel aliquod verbum, vel integra glossa adiecta est, quod fere in omni pagina pluries observare potuimus. Haec, si erant alicuius momenti, fere semper in notas ad calcem, sed non in textum recepimus, quamvis claritas orationis hoc additamento augeretur. Nostrum enim est lectionem genuinam restituere, non ad modum nostrum transformare. Quaedam etiam locutiones duriusculae, auctori nostro familiares a nonnullis codicibus passim eliminatae sunt. Ita in argumentis, cum *maior* incipit a coniunctione *si*, saepe *minor* continuat per *sed* (quod correctores mutant in *si*); in locutione *non tantum... sed etiam* auctor saepe omittit *etiam*; denique utitur *si* cum coniunctivo pro *etsi*. — Innumerabiles autem locos prorsus corruptos corrigere potuimus auctoritate antiquiorum codicum in lectione convenientium. Codices enim saeculi 13. Parisienses, Florentini aliique plerumque conveniunt, etiam in multis mendis et vitiis, licet quoad *minutiora* plures familiae distingui possint, ut infra in recensione singulorum notavimus. — Attamen remanebant plurimi loci manifeste indigentes correctione, ubi codd. etiam meliores vel mire discrepabant, vel luculento vitio fere omnes laborabant. Tunc ponderatis rationibus ipsi argumento inhaerentibus et modo loquendi auctoris, non raro unici codicis lectionem, interdum a secunda duntaxat manu scriptam, nobis eligendam esse duximus, ut in subiectis notis observari potest.

In notis doctrinam S. Bonaventurae illustrantibus, data occasione, pluries descripsimus locos ex Summa *Praepositivi* hucusque inedita. Licuit nobis ad hoc uti codice membranaceo saec. XIII. sign. 71, oriundo ex antiqua bibliotheca Conventus S. Fortunati Tuderti, quae nunc est Municipii Tudertini.

Antiquus index locorum, in quibus dissentiunt duo Doctores, Angelicus et Seraphicus, quem in Prolegomenis ad priores libros publicavimus, desideratur respectu quarti libri. Sequitur igitur catalogus codicum manuscriptorum, hunc librum exhibentium, quos P. Fidelis b. m. notavit; et primo loco ponimus codices a nobis cum textu editionis Vaticanae collatos.

SYLLABUS MANUSCRIPTORUM

QUAE CONTINENT

COMMENTARIUM SANCTI BONAVENTURAE

SUPER LIBRUM IV. SENTENTIARUM.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, codex membranaceus in folio, saeculi XIII. sub fine, signatus numero 34, tabulis corio albo obductis coopertus, in quarum anteriore vitta membranacea legitur: *Quartus fratris Bonaventure.* Incipit fol. 2. r.: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis* etc. Explicit ut in editis: *cui est benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo per infinita secula seculorum. Amen.* — Numerandus est inter meliores codd., sed non est correctus, nisi interdum a manu paulo posteriore. Tamen non raro ipsum secuti sumus in reformando textu. — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Cusae* apud Castellum tabernarum (Berncastel) in Borussia, provincia Rhenana, bibliotheca Hospitalis cl. Nicolai Cusani, ordinis S. Augustini, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, cod. D. 21. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Commentario praemittitur tabula quaestionum, etiam earum quae *circa litteram* audiunt, sub titulo: *Incipiunt problemata quarti libri.* Deinde sequitur prologus quidam anonymi auctoris, et fol. 6. r. col. 1. incipit Commentarius nostri sancti Doctoris: *Unguentarius faciet pigmenta* etc., qui desinit fol. ultimo r. col. 1. ut in editis. Nomen *Bonaventure* inseruit alia manus. Exhibet notas plures marginales, quae a scriba saec. XIV. exeuntis videntur insertae. — Codex bonus et optime correctus a secunda manu; non raro incedit via singulari, tamen in genere convenit cum codd. Parisiensibus. — Sign. X.

3. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, cod. D. V. 220, olim Conventus sanctae Crucis ordinis Fratrum Minorum 295, ut fol. 1. praenotatur, deinde bibliothecae Mediceo-Laurentianae, Plut. XXVII. Dext. cod. 2, membr. in fol. saec. XIII. post med. Incipit fol. 2. r. col. 1: *Unguentarius* etc. Desin. ut in editis. Ultimo folio r. sunt duae lineae rasae, in quibus exarata erant nomina illorum quibus deputatus fuerat codex; de qua rasura merito scriptor perantiquus conqueritur hoc modo:

« Quam male faciunt fratres, destruentes titulos vel memorias scriptas in libris! Possunt enim addere suum ius sine destructione prioris. Et sic conservantur (sic!) longa memoria superiorum sive antecedentium, sine damno succedentium. Et homo gaudet scire praeterita. Ecce, modo superiorem titulum nequeo legere, et de hoc doleo. Nunc autem ego frater Bernardus de Ricchomanis de Florentia rogo cunctos mihi succedentes habituros usum huius libri, scilicet quarti Bonaventure, ne hunc titulum deleant. Addant suum titulum, si voluerint, sine deletione presentis. Et sciant succedentes, quoniam hic liber fuit fratris Boni di Lignaria, qui diu demoratus fuit Bearbarini, et tenuit hunc librum multo tempore et emit satis kare, sicut aliqualiter potest legi superius in titulo raso. Postmodum predictus frater Bonus de Lignaria defunctus est Barbarini anno Domini MCCCXXXII in octava sancti Laurentii. Et postmodum custos, qui tunc erat Custos florentinus, scilicet frater Michael Corda de Aretio, concessit mihi fratri Bernardo de Ricchomanis hunc librum, assignans sibi pro eodem, pro debitis Custodie, unum aureum.

Iste liber est ad usum fratris Boni de Lignaria Florentie.

Hanc memoriam precedentem prolixam scripsi ego frater Bernardus predictus, anno Domini millesimo CCCXXXVI, quarto idus decembris, in loco de Barbarino, tempore ministerii fratris Petri de Aquila, dum esset Custos florentinus frater Bartolus de Ruota, et cum esset guardianus Barbarini frater Nicholaus de sancto Donato, et cum esset guardianus florentinus frater Paulus de Massa, summus Pontifex Benedictus [XI. dictus XII.].

Hunc librum intendo assignare loco Barbarini, ut ubi diu stetit, inde nunquam dimoveatur: nam cum ego demorarer in predicto Loco anno Domini MCCCV, existente ibidem predicto fratre Bono, tunc habebat iam hunc librum. Et sic sunt hodie ad minus triginta et unus annus, quod hic liber fuit in dicto loco, licet aliquibus annis prius ibidem eum tenuit. Anno predicto, scilicet MCCCV, erat minister Tuscie frater Antonius de Aretio, custos florentinus frater Illuminatus de Caponsaccis, guardianus Barbarini frater Antonius Surdus de Florentia, de populo sancti Iacobi inter foveas.

Hinc prosequitur alius scriptor posterior.

Ego frater anthonius de Papia, studens Florentie in theologia, habui usum huius quarti Bonaventure 1394, existente ministro Tuscie magistro Henrico de Massa, et Generale Ordinis fratre Henrico alphei de Aste, provincie Ianue, et summo Pontifice Bonifacio nono; et erat tunc magnum scisma, ita quod Avenioni erat unus antipapa, quem precesserat alius antipapa ad minus annis sexdecim, cum diu duraverat scisma.

Iste quartus Bonaventure est deputatus ad usum fratris Bernardi de Richomanis de Florentia, de ordine fratrum minorum. Depinxi hunc titulum decima die mensis iuni. Frat. Bernard. anno Domini MCCCXXXIX.

Iste quartus Bonaventure est deputatus ad usum fratris Blasi de sancto Georgio de Florentia, qui fuit sibi assignatus ad vitam a consilio florentino tempore guardianie fratris Francisci Terre sancte, custode fratre Ioanne Chelvagi, lectore vero Castri florentini ipso fratre Blasio. Anno Domini MCCCL tempore iubilei. Hec autem scripsit frater Blasius predictus anno Domini MCCCLII in Castro florentino, presente fratre Iacobo Nuti, lectore topicorum ibidem die VI. novembris; et sequenti die ivit Volterras predictus frater Blasius, ubi erat positus lector per fratrem Guillelmum Farinerii de conventu Gordonii, provincie Aquitanie, Generalem Ministrum. — Cod. antiquus et melioris notae, non raro speciales lectiones praebet. — Sign. E.

4. *Ibidem*, codex D. V. 221, olim Conv. sanctae Crucis 293, membr. in folio saec. XIV. exeunt. Incipit fol. 2. r. col. 1: *Unguentarius* etc., et desinit fol. 323. r. col. 2, cui alia manus addidit: *Explicit quartus fratris Bonaventure.* Inde sequitur tabula quaestionum valde diffusa, sed incompleta. — A communiori aliorum lectione non raro discedit, non raro convenit cum cod. F (seq.), saepius vero cum codd. L (n. 9.) et Y (n. 13.). — Sign. G.

5. *Ibidem*, codex G. V. 223, olim Conventus omnium Sanctorum Fratrum Minorum, membr. in fol. saec. XIV. exeunt. A fol. 1. ad 7. r. col. 2. recurrit tabula rerum alphabetico ordine disposita, sed a diversis manibus confecta; cui subiicitur: *Explicit tabula super quartum sententiarum secundum Bonaventuram.* Commentarius incipit fol. 8. r. col. 1. et desinit ut in editis; tria ultima folia excipiunt indicem omnium quaestionum, quem claudunt verba: *Expliciunt questiones fratris Bonaventure super sententias.* — Codex bonus, quem aliquando solum secuti sumus. — Sign. F.

6. *Ibidem*, codex I. VI. 15, olim Conventus sancti Marci de Florentia ord. Praedic., membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit: *Unguentarius* etc., et desin. fol. ultimo: *per infinita secula seculorum. Amen.* — In prima parte usque ad finem Sacramenti poenitentiae prae ceteris excellens, et in hac parte cod. bb (n. 11.) correctus est secundum ipsum; sed deinde saepe vitiosus est. — Sign. H.

7. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVI. Dext. cod. 8, olim sanctae Crucis, membr. in fol. parv. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 2. r., cui praemittitur litteris grandioribus rubris et ceruleis *L. IIII.* (liber quartus): *Unguentarius faciet* etc. Desinit fol. 352. r. col. 2. more solito. Sequitur tabula rerum a manu posterioris aevi confecta et per alphabetum disposita, quae desinit vel potius deficit fol. 354. verbis: *Iudicia Dei dicuntur precepta moralia.* — Fere ubique correctus est a secunda manu ad normam seq. codicis K. — Sign. I.

8. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, Plut. XXVII. Dext. cod. 1. olim sanctae Crucis 294, membr. in fol. saec. XIV. circa med. Incipit fol. 2. r. col. 1. et desinit fol. 324. v. col. 2. ut in editionibus. Inde subiicitur tabula quaestionum exarata a manibus diversis, sed priori coaevis. — Ipse quasi familiam propriam in multis locis praebet; sed plerumque correctiones eius videntur a quodam perito factae, ut loci obscuriores vel breviores emendarentur. — Sign. K.

9. *Ibidem*, codex Fesulanus LXXIII. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Praemittitur tabula distinctionum et quaestionum, inde fol. 4. r. col. 1. incipit Commentarius: *Unguentarius faciet* etc., et desinit fol. 227: *per infinita secula seculorum. Amen. Deo gratias.* — Plerumque convenit cum codd. Y (n. 13.) et G (n. 4.). — Sign. L.

10. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca regia, C. L. M. 8017, olim Kaish. 117, membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit post indicem quaestionum fol. 3. r. et desinit fol. 206. v. ut in editis. Plerumque cum codd. Florentinis convenit, tamen non raro habet lectiones prorsus singulares. — Sign. Z.

11. *Ibidem*, cod. 9530, olim Ob. Alt. 30, membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Initio praemittitur index sub hac rubrica:

Tituli problematum, deinde fol. 8. r. col. 1. incipit Commentarius; finem excipit fol. 264. r. col. 2. ut in editis. — Convenit plerumque cum codd. Parisiensibus, sed in prima parte correctus est ad normam cod. H (n. 6.). — Sign. bb.

12. *Ibidem*, cod. 26302. membr. in fol. saec. XIV. exeunt. Incipit fol. 2. r. col. 1: *Unguentarius faciet* etc., et desinit fol. 194. r. col. 2. per haec verba: *Explicit quartus fratris Bonaventure de ordine minorum.* — Saepe ab aliis recedit et manifestas glossas exhibet; nihilominus in locis corruptis interdum solus sanum sensum expressit. Plerumque magis convenit cum cod. N (n. 14.). — Sign. aa.

13 *Montiscassini*, bibliotheca Monasterii, cod. 367. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Praefert titulum: *Questiones in Magistrum Sententiarum*, sine auctoris nomine. Incipit et desinit ut editi. — Cod. optimae notae; vide quod diximus de cod. L (n. 9.). — Sign. Y.

14. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. XIV. E. 28. membr. in fol. parv. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r. et desinit fol. 202. more solito. Deinde nigris litteris additur: *Explicit quartus liber Bonaventure.* Sequitur tabula quaestionum, cui subiiciuntur haec verba: *Explicit* (sic) *problemata Bone aventure super quartum librum sententiarum.* Alia manus notavit: *Iste quartus Bonaventure est conventus sancti Laurentii de Neapoli Ordinis minorum, concessus per fratres magistro Gelasio de Neapoli ad usum eius vita durante 1459 die quarta aprilis, quem dedit ipse magister Conventui supradicto.* — Exceptis glossis valde convenit cum cod. aa (n. 12.). — Sign. N.

15. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Collegii Balliolensis, cod. 134. O, qui etiam III. librum continet. Commentarius in quartum librum Sententiarum incipit fol. 109. r. et desinit fol. 256. Inde sequuntur definitiones nonnullae Sacramentorum quoad signum et rem cuiusque; incipit: *In sacramento baptismi signum tantum est exterior ablucio* etc. — Cod. optimae notae; in pluribus convenit cum codd. Parisiensibus; cfr. III. Sent. pag. VII n. 16, et de sequenti cod. M ibid. (n. 17.). — Sign. O.

16. *Ibidem*, bibliotheca Collegii Mertonensis, cod. O. 1. 10; in catalogo cl. Henrici O. Coxe recensetur sub num. 116. Ad calcem additur: *Expliciunt questiones secundum...* — Sign. M.

17. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15825, olim Sorbon. 608. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Folio 2. r. scriba saec. XV. notavit: *De Sorbona est liber iste, de magna libraria.* Deinde col. 1. incipit Commentarius ut in editis et prosequitur usque ad fol. 206. v. col. 2... *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit.* — Cod. bonae notae; interdum ipsum secuti sumus. — Sign. R.

18. *Ibidem*, cod. 15826, olim Sorbon. 609, membr. in fol. saec. XIII. in fin. Incipit fol. 2. r. col. 1. et desinit fol. 217. v, cui eadem antiqua manus adiecit: *Explicit scriptum fratris Bonaventure super quartum sententiarum.* Hinc alia manus saec. XV. prosequitur: *Iste liber est pauperum magistrorum de Collegio Sorbone, Parisius in theologia studentium, ex cuius legato, nescio, quia finita sunt folia, folia ceciderunt.* — Satis convenit cum cod. praecedente. Pluries aliqua nova addit a nobis in notis relata. — Sign. S.

19. *Ibidem*, cod. 15827, olim Sorbon. 610, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. In fol. 1. grandiore charactere saec. XV. legitur: *Iste liber est pauperum magistrorum de Sorbona Parisius studentium, legato magistri Stephani de Gebennis; in quo continetur quartus Thome* (hic alia manus occurrit et correxit: *Bonaventure*) *precii VIII. libel.* Commentarius incipit fol. 2. r. col. 1. et desinit fol. 211. v. col. 2: *per infinita secula seculorum. Amen.* — Cum melioribus antiquioribus codd. concordat, saepe etiam in vitiis. — Sign. T.

20. *Ibidem*, cod. 15821, olim Sorbon. 602, membr. in fol. saec. XIII. sub fine, ut iam notavimus tom. I. pag. LXXVII n. 24. Commentarius quarti libri incipit fol. 115. r. col. 1. et desinit fol. 288. v. ut editi. — Sign. W.

21. *Ibidem*, cod. 3427. membr. in fol. parv. saec. XIII. Fol. 1. usque ad 99. v. complectitur Summam magistri Willelmi Antisiodorensis abbreviatam a magistro Hoberto. Sequitur Summa de anima Ioannis de Rupella usque ad fol. 123. Hoc ipso folio parte versa in initio incipit absque ulla nota auctoris vel operis: *Utrum sacramenta debuerint institui.* Est index quaestionum Commentarii S. Bonaventurae super librum quartum Sententiarum, desinit fol. 125. v. per verba: *Expliciunt problemata libri quarti;* deinde Commentarius, qui excurrit usque ad folium 296. — In multis quaestionibus, praesertim in ultima parte, textus est abbreviatus habetque singulares lectiones. — Sign. U.

22. *Patavii*, bibliotheca sancti Antonii, cod. 130. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Praemittitur index quaestionum, sed incompletus, quia duo folia fuerunt avulsa. Incipit Commentarius fol. 3. col. 1. et desinit per verba: *Explicit quartus fratris Bonaventure de ordine minorum.* — Optimus cod., saepe habet correctiones et additamenta a secunda manu. — Sign. P.

23. *Ibidem*, cod. 131. membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Unguentarius faciet pigmenta* etc. Ultima quinque folia excipiunt tabulam quaestionum etiam litteralium, quarum postrema sic exprimitur: *Quomodo intelligitur verbum* de pedibus sedentis, *et quid sit* sedens, *et quid* via, *et quid* solium. — Convenit plerumque cum praecedente. — Sign. Q.

24. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 916. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. vel XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r. et desinit fol. 245. ut in editis. Hinc subiicitur: *Explicit quartus fratris Bonaventure.* — Praeter communia ab aliis codd. exhibita praebet passim manifesta additamenta, facta ab aliena manu. Vide pag. 365, scholion; 369, nota 1; 586, nota 3; 900, nota 4; 903, nota 5; 983, nota 1, et in fine libri. — Sign. B.

25. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 917. membr. in fol. saec. XIII. Commentario praemittitur tabula quaestionum usque ad fol. 4, deinde prosequitur usque ad folium 228; cui manus posterioris temporis addidit: *Liber Colucii Pyeri de Agnano.* — Convenit plerumque cum antiquioribus. — Sign. C.

26. *Ibidem*, bibliotheca Principum Burghesiorum, cod. 97. membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 1. et desinit ultimo v. col. 1. ut editi. — Ex hoc codice collectae fuerunt lectiones variantes in primam tantum et secundam distinctionem. — Sign. cc.

27. *Ibidem*, bibliotheca Principum Chisi, cod. B. VIII. 131. membr. in fol. saec. XIII. Incipit: *Unguentarius* etc. Desinit fol. 151, cui additur: *Expliciunt;* alia manus posterioris aevi prosequitur: *questiones quarti fratris Bonaventure.* — Cod. bonae notae. — Sign. D.

28. *Venetiis*, bibliotheca Seminarii Patriarchatus, cod. M. III. 29. membr. in fol. saec. XIII, de quo recoli possunt ea quae scripsimus tom. III. pag. VIII n. 28. Initio Commentarii

praemittitur: *Incipit liber quartus super sententias.* Deinde col. 1: *Unguentarius faciet pigmenta* etc., et desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Tria ultima folia complectuntur tabulam quaestionum, cuius initium exaravit prima manus his verbis: *Incipiunt questiones quarti libri sententiarum fratris Bonaventure.* Hinc alia manus prosequitur: *de Balneo regis, ordinis fratrum minorum.* Et finem facit sic: *Expliciunt tituli questionum quarti libri sententiarum, que sunt numero 473. Nota diligenter, quod questiones disputate tam in tertio quam in quarto libro sunt numero 744, in alio vero volumine, scilicet in primo et secundo sententiarum sunt 568: ergo summa omnium est 1312.* — In IV. libro hic cod. meliorem textum exhibuit quam in praecedente. — Sign. V.

II.

Codices a nobis non collati:

29. *Admontis* (Admont) in Austria, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, codex 263. membr. in fol. saec. XIII. et XIV. a diversis manibus conscriptus. Commentarius sequitur tabulam quaestionum et incipit fol. 9. in ordine, sed 1. numerato; incipit: *Unguentarius faciet pigmenta* etc. Desinit fol. 230. r. col. 2: *Tunc videbimus, amabimus.... per infinita secula seculorum. Amen.*

30. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 268. membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 1. r. et desinit fol. ultimo ut in editis. Numeratio folior. vacat.

31. *Andegavi* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 194. membr. in fol. min. saec. XIII. exeunt., olim Monasterii sancti Albini. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 164. v. Sequitur inde tabula quaestionum usque ad fol. 166, cui scriba saec. XV. addidit: *Finale pretium huius scripti XXXVI. solid. propter fratris necessitatem, quia frater indiget pecunia; et infra octo dies remittatur liber, vel pecunia.*

32. *Bambergae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. III. 37. membr. in fol. saec. XV. fol. 1. r. In superiore parte legitur: *Prologus Bonaventure super quarto sententiarum.* Postea, col. 1. incipit: *Unguentarius* etc., et desinit more solito; additur: *Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo.* Sequitur index sub hoc titulo: *Registrum questionum super scripto quarti sententiarum domini Bonaventure.* Explicit fol. 443. v. col. 2.

33. *Bruxellis*, in bibliotheca regia, cod. 469, olim Collegii Lovaniensis S. I. membr. in fol. saec. XV, ab alia manu recentiore intitulatur: *D. Bonaventura in IV. Sententiarum;* deinde ibidem col. 1. incipit Commentarius et desinit fol. 342. r. Postremo subditur index sub hac rubrica: *Tabula huius quarti libri.*

34. *Cesenae* in Insubria, bibliotheca Malatestiana, Plut. XV. cod. 111. membr. in fol., pluribus manibus exaratus saec. XIII. et XIV. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 205. v. col. 1. post medium. Inde subiicitur: *Laus tibi sit xte, quoniam liber explicit iste. Deo gratias.* Postremo alia manus repetit haec ipsa verba et addit: *Iste liber editus est a fratre Bonaventura cardinali, quondam generali ministro de ordine fratrum minorum.*

35. *Cantabrigae* in Anglia, bibliotheca aulae Pembrochianae, cod. n. 12. (littera vacat) membr. in fol. parv. saec. XIV. exeunt. Incipit fol. 1. r.: *Unguentarius* etc. et desinit fol. 393. In interiore parte asseris, quo codex operitur, recens manus notavit haec verba: *Forte hic liber est Bonaventure super quartum sententiarum.*

36. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. B. 385. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. vel ineunt. XIV. Antiqua manus praemisit initio: *Bonaventura super quartum.* Desinit dist. XLIV. dub. 3. his verbis: *dicendum, quod tunc quantitas actionis* (rationis). Reliqua desiderantur. Hunc cod. iam notavimus tom. II. pag. IX n. 40.

37. *Cortonae* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. 31, olim Conventus S. Margaritae ordinis Fratrum minorum, membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Notatur: *Incipit liber quartus super sententias fratris Bonaventure ordinis minorum.* Initium habet et finem ut editi.

38. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca regia, collectio Amploniana, cod. 107. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Post tabulam quaestionum, duobus primis comprehensam, fol. 3. r. in superiore margine legitur: *Liber quartus fratris Bonaventure distinctio I,* et infra col. 1: *Unguentarius* etc. Desinit fol. ultimo ut in editis. Postremo additur: *Expliciunt scripta super quartum sententiarum.*

39. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 108. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius est mutilus, incipit enim fol. 16. r. a distinctione XIV, cui manus recentioris temporis praemisit: *Lectura super quartum sententiarum. Frater Bonaventura fecit has questiones.* Inde: *Post hec de penitentia agendum est. Terminatis tribus partibus principalibus* etc. Desinit fol. 69. r. per haec verba: *et tanto magis aggravans, quanto homo plura bona percepit;* quae sunt extrema verba distinctionis XXII. dub. 3.

40. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 206. membr. in fol. saec. XV. Incipit fol. 2. r., in cuius parte superiore legitur: *Liber quartus*, et infra col. 1. D. XXIII. Distinctiones antecedentes desiderantur. Desinit fol. ultimo ut ceteri; postremo subiicitur: *Finito quarto, sit laus, sit gloria Xto. Salvet scribentis animam Deus atque legentis.* In asser posteriore notatur: *Liber sancte Marie in Fonte salutis* [1].

41. *Gedanii* (Danzig) in Borussia, bibliotheca S. Mariae, cod. 79. im Schrank 397. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Fol. 1. v. manus posterior notavit: *Iste liber est fratrum minorum in Gdanczk, quem edidit magister et frater Bonaventura ordinis fratrum minorum, videlicet questiones supra quartum sententiarum.* Hinc alia manus adhuc posterior addidit: *Et frater Iohannes Zewelt comparavit eum.* Incipit fol. 3. r. et desinit fol. penultimo ut in editis.

42. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. E. Y. tab. 132 n. 7. membr. in fol. saec. XIV. Incipit fol. 1. r.: *Unguentarius faciet pigmenta* etc., et desinit fol. 222. v.: *Explicit quartus sententiarum.* Sequuntur quatuor lineae colore rubro exaratae, sed propter rasuram nunc sunt illegibiles. Manus recens in primo folio scripsit nomen auctoris.

43. *Lambacii* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. LVI.

1. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. D. I. 275, olim 400. Conventus S. Crucis, membr. in fol. saec. XIV. circa medietatem. Fol. 2. r. legitur: *Incipit quartus sententiarum compilatus. Unguentarius* etc. In fine: *Explicit quartus fratris Cari Aretini.* Est compilatio seu compendium quarti libri Sententiarum sancti Bonaventurae.

membr. in fol. saec. XIV. Fol. 1. in superiore parte legitur: *Incipit Bonaventura super quartum;* sequitur Commentarius usque ad fol. 205. r., cui additur tabula distinctionum et quaestionum.

44. *Lauduni* in Gallia, cod. 322. (olim Notre Dame 196.) membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 3. r.; manus recens praemisit: *S. Bonaventura in librum quartum sententiarum.* Foliorum enumeratio desideratur, desinit ut editi. Scriba saeculi XIV. addidit: *Explicit liber quartus fratris Bonaventure: qui scripsit sit benedictus. Amen. Amen.*

45. *Londini* in Anglia, bibliotheca Musei Britannici, collect. regia, cod. X. C. 12. Commentarius in librum quartum Sententiarum incipit fol. 201. r. col. 1. et desinit fol. 344. r. Hunc codicem iam descripsimus tom. III. pag. VIII n. 43.

46. *Matriti,* bibliotheca Escorialensis, cod. 110. R. III. 2. membr. in fol. saec. XIII. Fol. 1. manus posterioris aevi notavit: *Iste liber deputatus est usui fratris...* Cetera sunt deleta. Sequitur tabula quaestionum, et fol. 4. r. Commentarius, cuius initio scriba saec. XV. praemisit: *Quartus Bonaventure.* Desinit fol. 217. v., ut ferunt editi.

47. *Mediolani* in Insubria, bibliotheca Ambrosiana, cod. C. 182. infer. in fol. saec. XIII. ante finem. Fol. 2. r. notantur haec verba: *Hunc codicem, qui fuit S. Mariae Coronatae Mediol., Illustrissimo Cardinali Borromeo, Bibliothecae Ambrosianae fundatori, religiosi Patres eiusdem Coronatae, simili munere donati, tradiderunt, anno 1601.* Eodem fol. parte versa, manus saec. XV. scripsit: *Iste liber est Conventus fratrum sancte Marie Coronate Mediolani observantium Eremitarum sancti Augustini Congregationis Lombardie.* Incip. fol. 3. r. desinit fol. 268. v. Demum sequitur tabula quaestionum ab eadem manu saec. XIII. exarata, cui alia posterior subiecit: *Explicit scriptum Bone Venture super quarto sententiarum feliciter.*

48. *Moguntiae,* bibliotheca Civitatis, cod. 7. (olim fratrum Carthusiensium Montis S. Michaelis prope Moguntiam) chartac. in fol. saec. XV. Fol. 3. r. in superiore margine legitur: *Bonaventura super quarto sententiarum.* Hinc: *Unguentarius* etc. Desinit fol. ultimo codicis, cui eadem manus subiicit: *Explicit Bonaventura super quarto sententiarum.*

49. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca regia, cod. 5175. Vide quae de hoc codice scripsimus tom. I. pag. LXXVIII n. 44.

50. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 6952. (olim Fürst. 52.) chart. in fol. Extra in assere anteriore titulatur: *Quartum scriptum Bonaventure.* Incipit fol. 2. r. et desinit cum tabula quaestionum fol. 527. v. per verba: *Explicit. Laus Deo et beate Marie Virgini. Anno Domini MCCCCLXXVII. sub domino Iudoco abbate nec non Leonardo, sacre theologie professore, priore.*

51. *Ibidem,* cod. 8079. chart. in fol. saec. XV. Complectitur dubia circa litteram in quatuor libros Sententiarum. Dubia super quartum incipiunt fol. 343. r. col. 1: *Sacramentum est rei sacre signum* etc. *In parte ista sunt dubitationes* etc. Desinit fol. 387. v.: *per infinita secula seculorum. Amen. Et sic est finis.* Hunc codicem descripsimus tom. I. pag. LXXV n. 15; eundem indicavimus tom. II. pag. VIII n. 13. et tom. III. pag. IX n. 48.

52. *Ibidem,* cod. 18349. chart. in fol. saec. XV. Praemittitur Commentario: *Bonaventura super quarto libro sententiarum.* Incipit fol. 1. r. et desin. fol. 500. r. Deinde sequitur index distinctionum et quaestionum, qui clauditur verbis: *Explicit. Laus Deo et beate Marie Virgini, anno MCCCCLIII.*

53. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Bodleiana, cod. canonicianus 60. membr. in 4. saec. XV. ineunt. olim... *patrum commorantium in... Burgo Post... civitatis... quem dominus Adeodatus Vinc. ex patris sui pecuniis emptum donavit. Quorum pro utriusque anima qui sint lecturi preces fundant ad Dominum.* Incipit et desinit ut in editis.

54. *Parisiis,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 937. membr. in fol. saec. XIII. A coaeva manu praemittitur: *Lectura Bonaventure super quartum sententiarum;* et infra: *Sancti Spiritus assit nobis gratia. Unguentarius faciet* etc. Desinit fol. 225. v. col. 1. ante medium.

55. *Ibidem,* bibliotheca Nationalis, cod. 14552. membr. in fol. saec. XV. Manus coaeva fol. 1. v. notavit: *Que secuntur hic habentur, scilicet scriptum Domini Bonaventure super quartum sententiarum. Tituli singulorum articulorum, omnium questionum super eiusdem quartum.* Commentarius incipit post indicem fol. 5. r. et desinit fol. 309. per haec verba addita a prima manu: *Explicit liber quartus Bonaventure super sententias.*

56. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 15828. membr. in fol. saec. XIII. Mutilatus est in principio; incipit enim a d. I. p. II. a. 2. q. 1. ad 3. his verbis: *et si circumcisio significet circumcisionem presentem et futuram* etc. Desinit fol. 191. v., addito a prima manu: *Explicit Bonaventura super quartum sententiarum.*

57. *Patavii,* bibliotheca sancti Antonii, cod. 122. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r. Finem excipit index distinctionum et quaestionum, qui desinit fol. ultimo recto per verba: *Deo gratias. Amen.* Codex a diversis manibus fuit conscriptus.

58. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 213. membr. in fol. parvo saec. XIII. Fol. 3. r. incipit tabula distinctionum et quaestionum sub hac rubrica: *Introitus in quartum librum sententiarum.* Initium Commentarii est fol. 5. r., qui continuatur usque ad finem ut in editis; additur: *Laus tibi sit xpe quoniam liber explicit iste. Deo gratias.*

59. *Pistorii* in Tuscia, bibliotheca Fortiguerri, cod. D. 310. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. In assere anteriore manus posterior, sed eiusdem saec., notavit: *Conventus Iacherini.* Deinde: *Quartus sententiarum domini beati Bonaventure ordinis minorum.* In assere posteriore alia manus exaravit: *Iste liber est loci Giacherini, ubi morantur fratres de Observantia ordinis minorum extra et prope Pistorium. 1443.* Commentarius incipit fol. 1. r. et desinit fol. 191. r. Scriba codicis addidit: *Qui scripsit scribat semper cum sancto Matheo vivat.*

60. *Regimontii,* bibliotheca regia, cod. 1111. membr. in fol. saec. XIII. Fol. 2. r. alia manus scripsit in superiore parte: *Iste liber est ecclesie sancti Emilii concessus.* Hinc col. prima: *Unguentarius faciet* etc. Desinit fol. penultimo verso: *per infinita secula seculorum. Amen.*

61. *Romae,* in bibliotheca Societatis Iesu, cod. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Incipit: *Unguentarius faciet* etc. Ad calcem eadem manus addit: *Explicit quartus liber;* alia manus recentior prosequitur: *fratris Bonaventure.* Inde sequitur index distinctionum et quaestionum, in cuius fine legitur: Ego frater Iacobus de Marchia ordinis Minorum emi istum quartum Bonaventure pro pretio ducatorum sex aureorum pro loco sancte Marie de gratia Montis Prandonii, mense aprili 1457.

62. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. membr. in fol. saec. XIV. Complectitur I. II. et III. abbrev. et Commentarium

in IV. Inscribitur: *S. Bonaventure Postille super libros sententiarum.* Inferius: *Ex libris Cardinalis Firmani.* — I. incipit fol. 4: *In medio et in circuitu sedis. Tactum est, quod sine cognitione* etc. II. incipit: *Oritur sol et occidit. Primo in hoc libro describitur materia* etc. III. incipit: *Cum igitur venerit plenitudo* etc. *Liber iste tertius dividitur in duas partes* a fol. 141. ad fol. 204 [1]. Hinc incipit IV: *Unguentarius faciet* etc., et prosequitur ut in editis, cui additur tabula quaestionum, quae desinit verbis: *Expliciunt questiones fratris Bonaventure super sententias.*

63. *Ibidem*, bibliotheca Vaticana, cod. Urbinat. 144. membr. in fol. saec. XV. In principio eadem adnotantur, quae recurrunt in cod. 142. huius bibliothecae, de quo iam locuti sumus tom. II. pag. XI n. 65. Incipit fol. 3. r., desinit fol. 333. ut in editis. Additur: *Liber Bonaventure Ordinis minorum super quartum sententiarum, explicit feliciter.* Inde sequitur tabula distinctionum et quaestionum.

64. *Salisburgi* in Austria, Archiv. Monasterii sancti Petri, cod. A. V. 23. membr. in fol. parv. saec. XIII. exeunt. Praemittitur fol. 1. r. ab antiqua manu: *Incipit proehemium magistri Bonaventure super quartum sententiarum.* Desinit vel potius deficit fol. ultimo verso distinct. XIII. dub. 4. his verbis: *Sicut in fide intellectus captivatur, ita in errore inflatur et elevatur.* Scriba quidam addidit: *Qui te furetur in culum percutietur.*

65. *Taurini*, bibliotheca regia, cod. D. III. 3. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis, nitide exaratus. Incip. fol. 1. r. et desinit fol. 189. v. his verbis a prima manu subiectis: *Explicit quartus fratris Bonaventure de ordine Minorum, cuius doctrina sit benedicta in secula seculorum.* Amen.

66. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, cod. Class. III. 84. membr. in fol. parv. saec. XIV. ante medietatem. Incipit folio 1. r.: *Unguentarius faciet* etc., et desinit fol. 281. v. col. 2: *per infinita secula seculorum. Amen.*

67. *Ibidem*, Cod. Class. III. 96. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Manus coaeva fol. 2. r. praemittit Commentario hunc titulum: *Quartus liber sententiarum fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum, cardinalis albanensis.* Desinit fol. 194. v., cui additur tabula distinctionum et quaestionum, sed incompleta. In fine legitur: *Iste liber est fratris... de Montenigro Ordinis fratrum minorum.*

68. *Vici* (Vich) in Hispania, bibliotheca Capituli, cod. LXVII. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 2. r. et desin. ut in editis. Posterior manus addidit: *Explicit quartus sententiarum magistri Bonaventure.* Inde habetur tabula distinctionum et quaestionum, quae incipit fol. seq. sub hac rubrica: *In nomine Domini nostri Iesu Xpi. Amen. Distinctio prima quarti sententiarum domini Boneventure.*

69. *Vindobonae* in Austria, bibliotheca Palatina, cod. 1510, quem descripsimus tom. III. pag. IX. n. 65. Commentarius in librum quartum incipit fol. 118. r. et continet tantum 22 distinctiones; desinit enim in principio d. 23. his verbis: *Preter premissa est etiam aliud sacramentum, scilicet unctio infirmorum.*

70. *Ibidem*, cod. 4834. chartac. in fol. parv. saec. XV. Praemittitur titulus: *Bonaventura super quarto sententiarum.* Folio seq. incipit: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis* etc. Desinit fol. 419. ut in editis; inde subiicitur ab eodem scriba: *Explicit quartus Bone venture. Deo gratias. Amen. Anno Domini... 42.*

1. De huiusmodi Commentariis cfr. tom. I. pag. LXIV n. 1. In eadem autem bibliotheca asservatur cod. membr. saec. XIII. sub fine, qui complectitur Commentarium in librum tertium sententiarum. In fine subiicitur: *Iste liber est ad usum fratris Iacobi Montis Prandoni Ordinis minorum et pertinet ad locum sancte Marie eiusdem oppidi.* Inferius antiqua manus, quae codicem scripsit, notaverat: *Explicit tercius egregius liber universalis doctoris et excellentissimi Bonaventure sanctissimi minorum Ordinis, anima cuius requiescat in pace.*

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

IV. LIBRI COMMENTARIORUM [1].

A. .	Cod.	Assisiensis (bibliotheca sacri Conventus) 34. (n. I.).
B. . . .	»	Vaticanus I. 916. (n. 24.).
C. . . .	»	Vaticanus II. 917. (n. 25.).
D. . . .	»	Chisianus (Romae) B. VIII. 131. (n. 26.).
E. . . .	»	Florentinus I. (bibl. Nationalis) D. V. 220. (n. 3.).
F. . . .	»	Florentinus II. (bibl. National.) G. V. 223. (n. 5.).
G. . . .	»	Florentinus III. (bibl. National.) D. V. 221. (n. 4.).
H. . . .	»	Florentinus IV. (bibl. National.) I. VI. 15. (n. 6.).
I. . . .	»	Florentinus V. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVI. Dext. 8. (n. 7.).
K. . . .	»	Florentinus VI. (bibl. Mediceo-Laurent.) Plut. XXVII. Dext. 1. (n. 8.).
L. . . .	»	Florentinus VII. (bibl. Mediceo-Laurent.) Fesulan. LXXIII. (n. 9.).
M. . . .	»	Oxoniensis I. (Collegii Mertonensis) O. I. 10. (n. 16.).
N. . . .	»	Neapolitanus (bibl. National.) XIV. E. 28. (n. 14.).
O. . . .	»	Oxoniensis II. (Collegii Balliolensis) 134. O. (n. 15.).
P. . . .	»	Patavinus I. (bibl. S. Antonii) 130. (n. 22.).
Q. . . .	»	Patavinus II. (bibl. S. Anton.) 131. (n. 23.).
R. . . .	»	Parisiensis I. (bibl. National.) 15825. (n. 17.).
S. . . .	»	Parisiensis II. (bibl. National.) 15826. (n. 18.).
T. . . .	»	Parisiensis III. (bibl. National.) 15827. (n. 19.).
U. . . .	»	Parisiensis IV. (bibl. National.) 3427. (n. 21.).
V. . . .	»	Venetus (bibl. Seminar. Patriarchatus) M. III. 29. (n. 28.).
W. . . .	»	Parisiensis V. (bibl. National.) 15821. (n. 20.).
X. . . .	»	Cusanus (bibl. Hospitalis) D. 21. (n. 2.).
Y. . . .	»	Cassinensis (bibl. Monasterii) 367. (n. 13.)
Z. . . .	»	Monacensis I. (bibl. Regia) 8017. (n. 10.).
aa . . .	»	Monacensis II. (bibl. Regia) 26302. (n. 12.).
bb . . .	»	Monacensis III. (bibl. Regia) 9530. (n. 11.).
cc . . .	»	Burghesianus (Romae) 97. (n. 26.).

EDITIO PRINCEPS.

1 Ant. Koberger, sine anni indicatione, sed probabiliter 1491.

In reformando textu IV. libri Sententiarum Petri Lombardi eisdem codicibus et editionibus usi sumus, qui in Prolegomenis ad II. tomum (pag. XII) indicati sunt.

---

[1] Numeri parenthesi interclusi indicant locum (supra pag. II-V), ubi codices sunt descripti.

OPUSCULA HUIUS TOMI.

1. Quaestiones disputatae de scientia Christi, de mysterio Ss. Trinitatis, de perfectione evangelica. . *pag.* 1
2. Breviloquium . . . . » 199
3. Itinerarium mentis in Deum . . . . » 293
4. Opusculum de reductione artium ad theologiam . » 317
5. Collationes in Hexaëmeron . . . . » 327
6. Collationes de septem donis Spiritus sancti . . » 455
7. Collationes de decem praeceptis . . . . » 505
8. Sermones selecti de rebus theologicis . . . . . » 532

PRAEFATIO.

Postquam magnum seraphici Doctoris Commentarium in quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi absolvimus, in hoc quinto tomo ea omnia diversi generis opuscula collegimus, quae ad Bonaventurianam theologiam speculativam et scholasticam illustrandam plus minusve servire videbantur. Cum igitur omnia editionis nostrae opera in quinque partes seu classes dispertita nos edituros esse statuerimus (tom. I. praefatio generalis, pag. XXXVII), classis prima, quae opera ad theologiam speculativam seu scholasticam spectantia comprehendit, quaeque ambitu et rerum gravitate prae ceteris latius patet, Deo favente, feliciter adducta est ad finem.

Peritum rerum theologicarum existimatorem libenter putamus concessurum, pleraque quinti voluminis opuscula tum eminere mira doctrinae ingeniique excellentia, tum singulari modo exprimere indolem et spiritum seraphico Doctori proprium. Notissima ac summis laudibus elata opuscula *Breviloquii, Itinerarii mentis in Deum,* de *Reductione artium ad theologiam* hic apparent ad normam antiquissimorum codicum castigata et varie illustrata. Cetera huius tomi opuscula vel penitus hucusque ignota erant, vel edita in solo Supplemento P. Benedicti Bonelli parum divulgato, eademque ob defectum idonei codicis nec integre nec correcte, vel denique in praecedentibus editionibus legebantur ita vitiis, interpolationibus lacunisque deformata et obscurata, ut absterrerent a lectione et ob caliginem operi offusam seraphici auctoris vix certum vestigium agnosci posset.

Penitus oblivioni datae erant *Quaestiones disputatae,* a P. Fidele a Fanna b. m. detectae et integrae hic a nobis primo editae. His hucusque ineditis annumerandae sunt praeter duos sermones novem *Collationes de septem donis Spiritus sancti,* quarum Bonelli (Supplement. III. col. 419 seqq.) tantum *epitomen* quandam publicavit, in qua insuper una collatio desideratur.

Collationes in *Hexaëmeron* et de *decem praeceptis* iam a saeculo XV. saepius typis vulgatae sunt, sed intolerandis vitiis deformatae. Hoc dicendum est imprimis de Collationibus in *Hexaëmeron,* quae quasi nova forma induendae erant et magna ex parte rescribendae, ut ad normam antiquorum codicum corrigerentur. Et quia eaedem a S. Doctore non sunt scriptae, sed ab auditoribus ex ore dicentis imperfecte exceptae, insuper postea interpolatae et depravatae; magnam in reformando textu difficultatem experti sumus. Non tamen taedet nos laboris

in hoc opusculo emendando consumti, cum ipsum, a mille vitiis expurgatum et summariis, divisionibus et notis marginalibus auctum, legentibus nunc sit accessu non difficile. Refertum autem est copia gravissimarum sententiarum. Continet enim scientiarum, praesertim theologicarum, quandam encyclopaediam et methodologiam, ut recentiores loquuntur, quae tum ratione aetatis, qua scripta est, tum ratione altissimi et vere seraphici spiritus, qui eam dictavit, speciali attentione digna nobis videtur.

De rationibus, quare non receperimus alia quaedam opuscula in editione Vaticana S. Bonaventurae tributa, quae in hoc tomo tanquam suo loco ponenda videbantur, inter quae praevalet opus inscriptum *Centiloquium,* in Prolegomenis, c. 10. per singula agitur.

Dum grato animo agnoscimus indulgentiam et benignitatem, qua quatuor priora volumina nostrae editionis a viris doctis ubique recepta sunt; confidimus fore, ut hoc quintum ratione rerum quas continet gravissimarum nec sine improbo labore editarum speciali favore comprobetur, ad laudem et gloriam summi Regis, cui soli honor sit et gloria!

In Collegio S. Bonaventurae
ad Claras Aquas 29. Novembris 1890.

P. P. EDITORES.

PROLEGOMENA

IN QUINTUM TOMUM.

De singulis huius voluminis opusculis tractamus distinctis capitulis, ut benevolus lector sub uno conspectu habeat et facile ponderare possit omnia documenta, quae ad singulorum fidem et incorruptam auctoritatem atque ad nostrum in ipsis expurgandis et illustrandis laborem spectare videntur.

CAP. I.

Prolegomena in Quaestiones disputatas in universo, et speciatim in quaestiones de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis.

§ 1. **Tangitur inventio et praestantia praedictarum Quaestionum.** — P. Fidelis a Fanna b. m. in perscrutandis Europae bibliothecis detexit omnes codices earum quas publicamus quaestionum, quarum ipsa memoria ita data erat oblivioni, ut a tribus saeculis nemo doctissimorum virorum, qui de re litteraria et de ipsius Bonaventurae operibus tractaverunt, earum mentionem fecerit. Ne ipse quidem diligentissimus P. Benedictus Bonelli excipiendus est, licet ante oculos habuerit et imprimendum curaverit illum antiquum catalogum bibliothecae Tudertinae, § 2. relatum, qui has Quaestiones disertis verbis commemorat. Excipienda est solummodo quaestio de paupertate, quae separata ab aliis et non omnino integra a saeculo XV. saepius typis vulgata est.

Non vacat longius scrutari, quare acciderit, ut haec scripta penitus neglecta et quasi sepulta remanserint; manifestum tamen est, causam nullatenus repetendam esse ex eo, quod ipsa vel sint i se exigui pretii, vel temporum subsequentium usui et necessitati minus accommodata. Nemo enim, opinamur, qui, rerum theologicarum peritus arbiter, eadem attente legerit, infitiabitur, has Quaestiones omnes tanto Doctore dignissimas esse, immo plerasque, praesertim eas quae de mysterio Ss. Trinitatis modo prorsus singulari agunt, inter praestantissima eiusdem opera censendas esse. Et quis negabit, ut de aliis taceamus, magnum articulum illum sive tractatum de obedientia Summo Pontifici debita, sive de Romani Pontificis praerogativis (qui ultimum locum harum Quaestionum occupat), in acerrimis de iuribus Summi Pontificis controversiis per quatuor saecula agitatis potuisse opportunissime ad veram doctrinam catholicam defendendam impendi?

§ 2. **S. Bonaventura reapse scripsit complures Quaestiones disputatas.** — Aetate media magistri theologiae, ut apud omnes constat, de quibusdam doctrinae capitibus publice solebant disputare diffusius, quam fieri poterat in ordinario cursu, qui in exponendis Petri Lombardi sententiis ad incipientium discipulorum instructionem occupabatur. Multis argumentis pro utraque parte in medium prolatis, sententia disputantis magistri in conclusione proponebatur et confirmabatur, solutis deinde argumentis ad oppositum adductis. Inde nomen *quaestionis disputatae* hoc scholasticum exercitium accepit; et quando plures quaestiones ad libitum tractabantur, vocabantur *quodlibetum* vel *quodlibeta*, qui terminus, saltem posteriore aetate, communius de omnibus talibus quaestionibus usurpabatur. Praesumendum est, S. Bonaventuram, universitatis Parisiensis magistrum, non recessisse ab hac consuetudine, praesertim cum ipse auctor fuerit, ut in comitiis generalibus Ordinis Parisiis 1266 habitis et deinceps huiusmodi disputationes publice instituerentur (cfr. P. Benedictus Bonelli, Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae, Bassani 1767 col. 39 n. 6; Sbaralea, Supplementum ad scriptores Ord. Min. pag. 170, col. 2.).

Haec praesumtio fit res certa et explorata antiquissimo quodam catalogo bibliothecae, quae fuit Conventus S. Fortunati in civitate Tuderti, nunc autem spectat ad eiusdem municipium. Ut testatur liber *Inventario dei codici della comunale di Todi, compilato da Lorenzo Leonii,* pag. 62-64, et ante eum Bonelli (libr. cit. col. 478 seqq.), memoratus catalogus habetur ibi in cod. sign. 185. (et etiam in cod. sign. 187.) et inscribitur: « Inventarium librorum Conventus fratrum Minorum de Tuderto, et sunt ordinati et distincti secundum ordinem alphabeti ». — Ut aetas et auctoritas huius documenti appareat, observamus, quatuor in hoc codice haberi inventaria a quatuor manibus temporibus sibi succedentibus conscripta. De primo et antiquiore subinde loquemur. Fol. 33. incipit secundum his verbis: « Istud est inventarium *novum,* factum ex praecepto Benedicti Papae XII. per fratrem Thomam Todinelli de Tuderto, tempore fratris Matthaei, tunc guardiani Conventus Tudertini » etc. Deinde fol. 42. r. sequitur tertium inventarium, scriptum 15. Aprilis an. 1353; quartum

denique fol. 43. v. die 7. Madii [sic] an. 1361 (apud Leonii an. 1360). Primum autem inventarium, cui alterum, quod ibi dicitur *novum*, tempore Benedicti XII, qui fuit Papa ab an. 1334 usque ad an. 1342, subiunctum est, testante ipsa scriptura, circa finem saeculi XIII. confectum est, probabilissime eo tempore, quo cardinalis Bentivenga de Bentivengis libros suos multos et pretiosos et supellectilem argenteam Conventui Tudertino S. Fortunati legato reliquit. Ipse enim primo fuit guardianus eiusdem Conventus, deinde an. 1276 electus episcopus Tudertinus, an. 1278 promotus ad dignitatem cardinalis Ecclesiae Romanae et an. 1290 (ita probabilius, non an. 1289, ut dicunt Bonelli et Leonii) mortuus et in ecclesia S. Fortunati sepultus est. In suo testamento 14. Iunii 1286 scripto, quod in libro Leonii pag. 78 impressum est, dicit ille cardinalis (ibid. pag. 81): « Item volumus, quod omnes libri, quos emimus, praeter decretales dentur Conventui fratrum Minorum de S. Fortunato Tuderti ». Quod hac occasione, sicut aliarum rerum, ita etiam tot librorum legatorum inventarium primum confectum sit, fere pro certo habendum est. Haec suppositio eo confirmatur, quod in isto catalogo non notantur auctores, nisi qui ante an. 1290 scripserunt, ut affirmat Bonelli (Prodromus, col. 479 seqq.), qui multos ex eodem transcripsit.

In hoc igitur tantae antiquitatis et auctoritatis catalogo praeter multos alios S. Bonaventurae libros notatae sunt etiam eiusdem *Quaestiones disputatae*. Inter opera enim theologica (ibi fol. 18.) legitur sub numero 18: « Item, questiones disputate fratris Guillielmi Baglionis, fratris Bonaventure, fratris Bartholomaei, fratris Guillelmi de Mara, fratris Gualterii, in uno volumine ». Etiam in secundo inventario (n. 36.) idem liber notatur, memorato explicite nomine S. Bonaventurae; in quarto vero ista collectio quaestionum a diversis scriptarum non notatur, sed sub n. 49. idem ipse cod. (nunc sign. 60) refertur, qui adhuc conservatur et quaestiones disputatas de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis continet. Codex iste miscellaneus et infra § 4. accuratius descriptus continet Commentarium S. Bonaventurae in Lucam, cui praefixum est opusculum ab alia manu saec. XIII. scriptum, quod incipit: *Queritur de scientia Christi.* Manifeste apparet, has Quaestiones prius exstitisse in alio volumine et deinde cum praedicto Commentario coniunctas et compaginatas esse. Et cum aliunde constet, ipsas habere auctorem S. Bonaventuram, valde est verisimile, eas non esse diversas ab illis quae in primo inventario simul cum aliorum auctorum quaestionibus memorantur ut Bonaventurianae et in uno volumine aliis coniunctae. Cum autem postea in aliud volumen translatae sint, factae sunt anonymae.

Ex praedicto igitur inventario iam satis apparet, S. Bonaventuram reapse scripsisse Quaestiones disputatas. Quod confirmatur non tantum illis documentis, quae in seq. § in medium proferuntur, sed etiam testimonio Fr. Bonifacii de Ceva, qui edidit magnum opus inscriptum *Firmamenta trium Ordinum* etc. Parisiis, Jean Petit, 1512. Ibi p. I. fol. XLII r. est indiculus operum S. Bonaventurae (vide infra c. 12.), qui ultimo loco habet: « Item, plurima quodlibeta ».

§ 3. **Quaestiones a nobis editae iure S. Bonaventurae vindicantur.** — Primo, *criteria intrinseca*, quae vocantur, scilicet doctrina, methodus, loquendi formulae, stilus harum Quaestionum, ita manifeste Bonaventuram testantur auctorem, ut qui attente legerit eiusdem Commentarium in Sententias Petri Lombardi vix de hoc possit dubitare, etiam deficientibus testimoniis historicis. Certe nos, examinantes illos codices, qui has quaestiones referebant similibus aliorum auctorum quaestionibus permixtas, solo interiorum notarum discrimine facile potuimus distinguere Bonaventurianas ab alienis.

Sed minime desunt certa testimonia pro legitimo earum auctore S. Bonaventura. In hoc capitulo afferimus ea tantum, quae spectant ad Quaestiones de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis.

Primum testimonium dat cod. Vaticanus, sign. 612. saec. XIII. infra § 4. accuratius descriptus et a nobis littera A distinctus. Ut hoc testimonium ab unoquoque propriis oculis possit examinari, duarum paginarum imaginem arte photographica fideliter expressam his prolegomenis subiunximus. In prima igitur harum paginarum, col. 2. ante medium, legitur tabula dictarum quaestionum his verbis:

« Utrum scientia Christi secundum quod Verbum se extendat ad infinita ».

« Utrum Deus cognoscat ea que cognoscit per rerum similitudines, vel per essentiam » etc. — Septimo loco est:

« Utrum divinum esse sit verum indubitabile ». — Sequuntur ceterae de Trinitate, quot in codice habentur, quarum ultima est:

« Utrum possint stare trinitas et summa immutabilitas ». Deinde: « Expliciunt tractatus [sic] capitula huius tractatus ».

« Expliciunt questiones **bone venture** de scientia Christi ».

« Queritur de scientia Christi secundum quod Verbum, utrum se extendat ad infinita » etc. (cfr. edit. nostra pag. 3 seqq.).

Nihil obstat, quod in aliis nostris codicibus eaedem quaestiones sunt anonymae. Hoc ipsum saepissime invenitur in tot quaestionibus disputatis, quae adhuc in bibliothecis ineditae conservantur. Non raro defectus nominis accidit vel propter eandem rationem, quam supra, loquentes de codice Tudertino (B), indicavimus, quia scilicet opuscula, ablata ex libro, cuius primitus pars erant, compaginata sunt postea aliis; vel ob hanc causam, quia plurium auctorum quaestiones de variis rebus in unum volumen postea collectae sunt. Utraque ratio, vel prima, vel secunda, manifeste observatur in octo codicibus a nobis adhibitis.

Secundum testimonium reddit auctor synchronus, famosus ille antesignanus zelatorum regulae S. Francisci, Petrus Ioannis Olivi, qui mortuus est 14 Martii 1298, ut probavit cl. P. Franc. Ehrle S. I. in eruditissimo suo tractatu de vita et scriptis Petri Ioannis Olivi (Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters von P. H. Denifle O. P. und Fr. Ehrle S. I., Band III, Heft 3. 4. pag. 409-552). Praedictus Petrus theologiae studium complevit in universitate Parisiensi, factus ibidem baccalarius, magistri lauream respuens, et, vivente adhuc S. Bonaventura, commoratus est Parisiis in eodem cum illo Conventu. Versatissimus fuit in operibus S. Doctoris, quae passim ita excerpsit et non raro quasi transcripsit, ut etiam viri eruditi (inter alios etiam P. Benedictus Bonelli) in errorem inciderint, plura eiusdem opera attribuentes seraphico nostro Doctori.

Idoneus igitur hic testis in quodam suo quodlibeto expressis verbis citat S. Bonaventuram ut auctorem harum quaestionum. In codice enim bibliothecae Burghesianae (Romae), sign. 54. (alias 250.) fol. 134. v. col. 1. allegatur primo locus ex Commentario S. Bonav. in I. Sent. d. 8; deinde sequitur: « Et idem vult Bonaventura in suis *Questionibus disputatis*, questione:

utrum Deum esse, sit verum indubitabile ». Ita autem inscribitur articulus primus quaestionis 1. de mysterio Ss. Trinitatis (vide infra pag. 45). Eandem citationem vidimus in antiqua et rarissima horum Quodlibetorum aliorumque opusculorum eiusdem Olivi editione, de qua diffuse agit P. Ehrle (loc. cit. pag. 467 seqq.).

Attendendum est autem, quod hoc testimonium se extendit non tantum ad omnes quaestiones de Trinitate, quae manifeste inter se sunt connexae, sed etiam ad quaestiones de scientia Christi, quae in illis citantur. Nam de Trin. q. 3. a. 1. ad 14. in fine dicitur in omnibus codicibus: « Sicut melius patuit supra in questione de scientia Christi » (q. 2. seq.). Inde etiam colligitur, has de scientia Christi quaestiones prius esse compositas quam alteras.

Pro explorato igitur habendum est, memoratas Quaestiones attribuendas esse S. Bonaventurae.

§ 4. **Recensentur codices, quos in edendis quaestionibus de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis adhibuimus.**

1. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 612. membr. in fol. saec. XIII. — A fol. 7. r. col. 2. antiquae numerationis usque ad fol. 24. v. col. 1. complectitur omnes quaestiones de *scientia Christi* et de *mysterio Trinitatis* usque ad verba *summa immutabilitas*, q. 6. a. 2. in corp. Hoc enim loco, ut in nostra ed. pag. 104, nota 4. diximus, omnes codd. deficiunt, excepto D. — Item fol. 221. v. col. 1. habetur pars Quaestionum de *perfectione evangelica*, scilicet quaestionis de obedientia a. 1. et 2. Iam supra § 3. notavimus, solum hunc codicem prima manu nominare Bonaventuram, ut in imagine infra descripta legi potest. Cod. satis mendose est scriptus. — Sign. A.

2. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 60. membr. in fol. saec. XIII. — Continet sine titulo et nomine auctoris a fol. 1. r. col. 1. usque ad fol. 27. v. col. 1. post med. quaestiones omnes de *scientia Christi* et etiam de *mysterio Trinitatis*, et q. 6. a. 2. in medio corp. deficit sicut ceteri, excepto D, sed scriptor in membrana reliquit locum vacuum ad supplendum. Iam notavimus § 2, has quaestiones posterius compaginatas esse Commentario S. Bonaventurae in Lucam. — Sign. B.

3. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 16405, olim Sorbon. 847, membr. in fol. parvo, saec. XIII. — Habet tantum tres quaestiones de *scientia Christi*, scil. 2. 3. 4, sed alio ordine. Fol. 21. r. sic incipit: *Primo queritur, utrum quidquid scitur certitudinaliter* etc. Inserit primo quaestionem quartam, deinde secundam, tandem tertiam, quae desinit fol. 24. v. col. 2: *Et per hoc patet solutio quesitorum.* — Non pauca argumenta omittit, vel contracte et obscure refert, ut pluries in notis observavimus. — Sign. C.

4. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. D. IV. 27. membran. in fol. saec. XIII. exeuntis, qui solus habet omnes Bonaventurae Quaestiones a nobis editas, sed locis separatis, ut subinde dicetur. — In ipso unitae sunt duae partes. Prima pars est saec. XIV. et continet Commentarium in III. librum Sentent. Alexandri ab Alexandria Ord. Min. Secunda pars antiquior incipit cum nova foliorum numeratione et istas Quaestiones exhibet hoc ordine. Fol. 1. r. col. 1. absolute incipit: *Consequenter queritur, utrum possit stare trinitas cum summa necessitate*, quae est q. 7. de mysterio Trinitatis. Tunc sequitur q. 8. de eodem; deinde quaestiones de obedientia, sed hoc loco tantum a. 1. et 2. — Fol. 6. incipiunt quaestiones anonymae, fortasse Alexandri ab Alexandria, de creatione rerum et de anima humana usque ad fol. 17. v. col. 1. — Fol. 19. r. col. 1: *Questio est de scientia Christi*, de qua omnes exhibentur, quibus (fol. 28.) subiiciuntur quaestiones de mysterio Trinitatis. — Sed notandum, quod etiam in hoc cod. ad illum locum q. 6. a. 2, ubi alii codd. deficiunt, scriptor reliquit locum vacuum pro continuatione; quae lacuna postea expleta est continuatione litteris scripta valde minoribus. Expliciunt quaestiones de Trinitate fol. 43. r. Deinde sequitur eodem fol. v. col. 1: *Questio est de paupertate, de qua duo queruntur*, et sequitur quaestionum de perfectione evangelica q. 2. a. 1. et 2. — Subiicitur earundem quaestio 4. a. 3. his verbis: *Ultimo queritur, utrum christiane religionis sit, ut omnes obediant uni.* — Fol. 51. habetur q. 1. de perfectione evangelica, scilicet de humilitate; fol. 54. q. 3. de continentia; fol. 57. q. 2. a. 3. de labore manuum. Sequitur indiculus eo ordine, quo quaestiones disponuntur in codice. — Sign. D.

5. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXIX. dext. cod. 8. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Primo habet Quaestiones disputatas S. Thomae et quoddam scriptum S. Hieronymi. Deinde in minore forma pergameni et ab alia manu scriptae sequuntur quaestiones S. Bonaventurae. Fol. 96. r. in superiore margine ab alia, sed antiqua manu praemittitur: *De scientia Dei.* Haec eadem manus praemittit etiam in sequentibus respectivos titulos. Hinc col. 1: *Queritur de scientia Christi* etc. Quaestiones de mysterio Trinitatis deficiunt fol. 121. v. col. 2. et eodem loco quaestionis 6, sicut est in aliis codd., excepto D. Fol. 122. r. col. 1. incipiunt quaestiones de perfectione evangelica his verbis: *Volentes circa evangelicam perfectionem aliqua indagare, primo exordium inquisitionis nostre sumendum est ab humilitate. Et primo queramus de ipsa tanquam de perfectionis radice; secundo de paupertate; tertio de continentia; quarto de obedientia.* — Post quaest. de humilitate sequuntur fol. 124. r. col. 2. tres articuli de continentia, sed cum inscriptione: *Postquam habitum est de paupertate, restat nunc agere de continentia.* Omissis quaestionis 4. primis articulis, sequitur eiusdem a. 3: *Utrum omnes Christiani debeant obedire uni.* Denique fol. 131. habet 2. quaestionis articulos 2. et 3. — Sign. E.

6. *Lugduni Batavorum*, bibliotheca Publica, cod. membr. in 4. sec. latin. XVIII. 191. A, saec. XIII. — Hic cod. exhibet tantum omnes quaestiones de scientia Christi et de mysterio Trinitatis q. 1. a. 1. et 2, paucis omissis. Fol. 37. r. in superiore parte manus saec. XV. exaravit: *Quodlibet sancti Thome de Akino. Nota, quod composuit unum aliud Quodlibet, quod magis dicitur Quodlibet eius quam istud.* Deinde col. 1. incipit: *Volentes circa mysterium trinitatis aliquid indagare.* Desinit parum ante finem q. 1. fol. 42. v. col. 1. *reparationem humanam, quae fuit* (in nostra edit. pag. 58, col. 2. in 1. corollario). Deinde sequuntur quaestiones de scientia Christi, quae completae exhibentur usque ad fol. 58. r. col. 2. circa medium. — Sign. F.

7. *Romae*, bibliotheca principum Burghesiorum, cod. 59. membr. in fol. saec. XIII. — Continet quaestiones editas a fratribus Minoribus; sed habet tantum quaestiones de scientia Christi et de mysterio Trinitatis. Fol. 117. r. col. 1. alia manus eiusdem saec. sub fine incipit absque ullo titulo: *Queritur de scientia Christi* etc. Sequuntur quaestiones de Trinitate usque ad fol. 139. r. col. 1. post medium. — Sign. G.

8. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, cod. membr. in fol. parvo, saec. XIII. exeunt. et partim XIV.

sign. 282. — Continet duas partes posterius compaginatas. In prima sunt quaestiones super libros Sententiarum, quarum initium: *Quia negantes, theologiam esse proprie scientiam.* Tunc sequuntur quaestiones contra Iudaeos, omnes anonymae. Secunda et antiquior pars, scripta saec. XIII. sub fine, exhibet quaestiones disputatas S. Bonaventurae de scientia Christi et de mysterio Trinitatis. Sed dolendum, quod omnes quaestiones de perfectione evangelica nunc desiderantur, quamvis in tabula, quam subiicimus, indicentur et primitus in codice scriptae essent. Dictae quaestiones incipiunt fol. 26. antiquae numerationis, absque ullo titulo; desinunt eodem loco, quo ceteri codd., excepto D, ut dictum est de praecedentibus. — Fol. 86. v. et fol. 87. r. exhibetur sequens tabula indicans qq. de perfectione evangelica. [Numeri in fine positi sunt secundum *antiquam* numerationem foliorum].

Utrum christiane perfectionis sit vilificare se ipsum pro Christo, (fol.) 1.

Utrum christiane perfectionis sit abrenuntiare omnibus in communi et in speciali pro Christo, 3.

Utrum christiane perfectionis sit mendicare pro Christo, 6.

Utrum pauperes validi et maxime religiosi teneantur ad opera manualia, 12.

Utrum continentia coniugalis sit secundum evangelium, 15.

Utrum continentia vidualis sit secundum evangelium, 16.

Utrum virginalis continentia sit secundum evangelium [omnibus praeferenda], 17.

Utrum sit consonum iuri naturali, quod homo obediendo subiaceat [homini], 18.

Utrum sit consonum evangelice perfectioni, quod unus voto se obliget ad obediendum alicui, 19.

Utrum christiane religionis sit, quod omnes obediant uni... — Deinde sequuntur in catalogo aliae quaestiones anonymae et fol. 26. quaestiones de mysterio Trinitatis.

Praenotati codd. omnes sunt antiqui, omnesque, excepto C, qui non pauca omittit vel contracte exprimit, in ipsa propositionum sententia, si praescindimus a manifestis librariorum negligentiis et verborum ob homoteleuton omissionibus, satis conveniunt. Nihilominus distinguere possumus duas familias. Prima et melior constituitur codd. A B E, qui eundem textum repraesentant, licet saepe incorrecte scripti sint. Magis emendatus est E, cui in quaestionibus de scientia Christi prope accedit B, qui in sequentibus de Trinitate magis est corruptus, praesertim omissionibus verborum. Huic familiae multum favet G, licet non raro habeat lectiones prorsus singulares, quae interdum valde bonae sunt. Alteram familiam repraesentant codd. D F H, quorum minoris pretii est F, saepe corruptus. Denique C, qui tantum tres quaestiones continet et non integras, nobis vix utilitatem praebuit. — Textus noster fere semper sequitur primam familiam, quando tres ipsius codices conveniunt; quandoque tamen ob graves rationes etiam ad alteram familiam recursum habuimus, ut notae nostrae testantur.

Dolendum sane erat, quod pars articuli 2. quaestionis 6. de Trinitate et tota q. 7. et 8. (in editione a pag. 104 usque ad 115) non sint conservatae nisi in cod. D hinc inde corrupto. Etiam has ultimas quaestiones esse genuinas, certum est, cum disertis verbis auctor se referat ad praecedentes quaestiones (q. 7. a. 2. ad 8; vide pag. 109, nota 6.). — Sola quaestio 4. de scientia Christi, adiunctis aliorum opusculis, primo edita est a nobis an. 1883 in opusculo *de Humanae cognitionis ratione.*

CAP. II.

In quaestiones de perfectione evangelica.

Incipiendum nobis est a tractanda quaestione de *paupertate*, quae ordine quidem est secunda, sed quadam ratione centrum et nodus, a quo aliarum quaestionum, quae ipsi connexae sunt, legitima auctoritas dependet. Ipsam autem esse S. Bonaventurae genuinum opus, hucusque nemini dubium fuit et certissimis documentis probatur, ut infra patebit. Insuper eadem habet suum locum inter documenta historica, quae illustrant celeberrimam illam controversiam, quae saeculo XIII. agitata est inter magistros universitatis Parisiensis et novos Ordines mendicantes, fratrum scilicet Praedicatorum et Minorum. Praedicta quaestio est primum opusculum, quod hac occasione scripsit S. Bonaventura ad veritatem principiorum tuendam et dictos Ordines a calumniis vindicandos. Respectu rei tractatae haec quaestio locum habere deberet in alia huius editionis classe, scilicet illa quae est de scriptis ad Ordinem Minorum spectantibus; sed graves rationes et ipsum auctoris exemplum suaserunt, ne a ceteris de perfectione evangelica quaestionibus separaretur.

§ 1. **Quaestio disputata de paupertate est genuinum S. Bonaventurae opusculum.** — Hoc affirmant omnes etiam severiores operum seraphici Doctoris censores; hoc attestantur antiquiores indiculi horum operum, praesertim Henrici Gandavensis, et clarius verba Ubertini a Casali, Trithemii aliorumque, ut videri potest ex his indiculis infra c. 10. relatis; hoc denique invicte probant inscriptiones codicum (infra § 2. et 5.) et tot editionum.

Nam, ut ab editionibus exordium faciamus, haec quaestio sine prologo aut verbis introductoriis impressa est in editione Coloniensi an. 1486 (cfr. infra c. 11.) et deinceps eodem modo in omnibus opusculorum et omnium operum collectionibus, excepta Brixiensi anni 1495, quae non habet nisi opera ascetica. In his et in Vat. inscribitur: « de paupertate *Christi* contra Magistrum Gulielmum »; sed restrictio per vocem *Christi* non convenit argumento nec cum codd.

Harum editionum longe melior est ea, quam P. Soldati O. P. publicavit Romae 1773, qui in vol. I. opuscula S. Thomae contra Gulielmum a S. Amore et in vol. II. S. Bonaventurae opuscula scripta de eadem re edenda curavit, in adiectis notis testimonia Scripturae et aliorum auctorum diligenter indicavit ac non paucos locos Vaticanae editionis emendavit. Sed cum non adhibuerit nisi paucas editiones antiquiores et unum codicem Collegii S. Isidori, ut ipse dicit, saec. XV. vel XVI, non potuit nec alia plurima menda ad normam plurium et antiquiorum codicum corrigere nec quasdam lacunas (in art. 3.) explere.

§ 2. **Eadem quaestio a S. Bonaventura primo in scholis Parisiensibus publice disputata et deinde scripto edita est.** — Dicenda sunt nonnulla de memorata controversia, quae auctori dedit occasionem de hac re et disputandi et scribendi. In hoc sequimur documenta, quae nuper diligentissime et eruditissime collegit et notis illustravit cl. P. Henr. Denifle O. P. in magnifico quod simul cum D. Aemilio Chatelain edidit opere: *Chartularium Universitatis Parisiensis*, tom. I, Parisiis, typis fratrum Delalain, 1889. — Controversia igitur illa inter magistros Parisienses et Ordines mendicantes incepit an. 1252, paulatim crevit

in acerrimam litem, ut Sedis apostolicae regisque Galliae provisionem provocaverit. Duobus prioribus annis lis illa principaliter contra fratres Praedicatores agebatur (Chartular. pag. 258, nota 14.), cum vix nominentur Minores, quia, ut videtur, B. Ioannes a Parma, Generalis Ordinis Minorum, sollicite pro pace conservanda laboraverat. Sed deinde controversia a personis insectandis insurrexit ad principia vitae evangelicae neganda et oppugnanda. Antesignanus magistrorum, Gulielmus a S. Amore, an. 1255 edidit perniciosum libellum inscriptum: *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*, qui incipit: « Ecce, videntes clamabunt foris ». Hunc tractatum refutarunt S. Thomas et auctor quidam Ord. Minorum in opusculo incipiente: « Manus, quae contra Omnipotentem erigitur », quod hucusque communiter attribuebatur Fr. Bertrando de Baiona, sed in cit. Chartulario (pag. 415, nota 1.) refertur ex quodam codice alia sententia, quae auctorem eiusdem nominat Fr. Thomam de Eboraco, qui Oxoniae an. 1253 in theologia incepit.

Tertius est S. Bonaventura, qui in hac de qua agimus quaestione disputata primo duobus articulis, tacito nomine Gulielmi, veram doctrinam defendit et positiones adversarii evertit, quibus postea tertium de labore manuum adiunxit. P. Benedictus Bonelli (Prodrom. I. c. 4. n. 5, c. 5. n. 5.), P. Gasp. de Monte Sancto (Gesta e dottrina del seraf. Dott. S. Bonaventura, c. 6.), P. Antonius Maria de Vicetia (Vita di S. Bonav. I. c. 14.), secuti Waddingum (ad an. 1257), dicunt, S. Bonaventuram Anagniae, ubi Alexander IV. praedictum tractatum examini subiecit, contra Gulielmum disputasse, immo, ut P. Antonius Maria dicit (pag. 70), « legisse suam apologiam, quae est opusculum notum sub titulo *de Paupertate Christi* ».

Sed haec assertio nititur fragili fundamento et male convenit cum factis aliunde certo probatis. Pro fundamento illi afferunt verba Thomae Cantimpratani O. P. (de Apibus, II. c. 10. n. 23.), qui narrat, Anagniae praeter Humbertum et B. Albertum adfuisse etiam Ministrum Generalem Ordinis Minorum (qui tunc erat B. Ioannes a Parma). In *editione* libri de Apibus legitur nomen *Bonaventurae* ante *minister generalis;* unde Bonelli (Prodromus, col. 23. nota e) observat: « non quod tunc esset talis, sed quia postea fuit »; cum Parisiis commorans electus sit Generalis in Capitulo Romano 2. Febr. 1257. Sed illi lectioni praefatae editionis (res, quae toties accidit in antiquis editionibus) contradicunt antiquiores codd. melioris notae, in quibus nomen *Bonaventurae* deest; pro quo cl. P. Denifle (Chartular. pag. 333, nota 6.) expresse allegat quinque codices; addit etiam, ipsum Gulielmum non venisse Anagniam nisi post libelli sui reprobationem. — Quod B. Albertus fuerit Anagniae, attestatur etiam antiquum Chronicon cuiusdam fratris Ordinis Praed., quod desinit ad an. 1276 et conservatur in bibliotheca *S. Pauli* in Carinthia (Ord. S. Benedicti). Codex hic est sign. Cod. Hospit. 124. Post med. est illud Chronicon, ubi inter notissima alia, quae ad memoratam controversiam spectant, dicitur, a Papa Alexandro IV. concessam esse audientiam « B. Alberto Ordinis Fratrum Praedicatorum eosdem errores principaliter expugnanti ». Sed quoad Bonaventuram pro certo habendum est, quaestionem, de qua loquimur, non fuisse disputatam Anagniae, sed potius in scholis Parisiensibus.

Hoc confirmatur verbis, quae ipse Bonaventura in hac quaestione scripsit post a. 2. in princ. *replicationis* (pag. 149, col. 1.): « His autem, quae praedicta sunt, conatus est aliquis multipliciter adversari... Hoc autem facit respondendo cuidam quaestioni *minus sufficienter post collectae in scholis*, salva gratia colligentis, sicut melius potest apparere in praenominata quaestione ».

Quae sit haec quaestio *disputata in scholis* (utique non Anagniae!) et ex ore dicentis *minus sufficienter collecta*, et quae sint *responsiones* adversarii eidem adiectae (quas Bonaventura postea addita suae quaestioni *replicatione* confutavit), haec omnia patefacit et demonstrat aliud documentum.

Fauste enim contigit, ut tum ipsa quaestio in forma illa *insufficienter reportata*, tum *censurae* adversarii argumentis S. Doctoris oppositae in duobus codicibus, quos P. Fidelis a Fanna invenit, ad nostram aetatem pervenerint.

Iunior istorum codicum conservatur *Cantabrigae* in Anglia, bibliotheca Collegii Corporis Christi, sign. cod. 103., membr. saec. XV. ineuntis. — Fol. 95. r. col. 1. a prima manu scriptum est: « Questio disputata a fratre Bonaventura super mendicitate, et obiectiones magistri Guillelmi de sancto Victore [sic], qua [continentur] eiusdem fratris solutiones et solutiones magistri Guillelmi ad eiusdem fratris obiectiones. Unde ubi invenies in margine: *Mag. Guill.*, scias, hoc a magistro Guillelmo dictum esse; cetera sunt fratris. Hanc questionem nullus habet Parisius preter unum vel duos; circa huius acquisitionem multum laboravi. Questio est de mendicitate » etc. — Sequitur ipsa quaestio cum argumentis, conclusione et solutionibus, sed quoad formam verborum non parum differt a textu, ut est in editionibus; quaedam etiam omittuntur, sicut accidit etiam in altero codice. Desinit: « Et sic patet [solutio] totius questionis et argumentorum ostendentium, quod mendicare non sit de perfectione christiane religionis. Cetera conceduntur. Hanc questionem determinavit [L addit *ita*] magister Bona ventura de Ordine fratrum Minorum, *secundum quod a quodam clerico potuit reportari* ». — Cl. P. Denifle, cuius auctoritas in hac re est gravissima, pro sua humanitate et in nos amicitia nobis communicavit, pro verbis *de sancto Victore* certissime substituendum esse *de sancto Amore*. Nullum enim illa aetate fuisse magistrum *a S. Victore*.

Alter cod. est Florentiae in bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXXVI. dext. cod. 12. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 123. habetur solus a. 2. de paupertate, scilicet de *mendicitate*, et similiter in forma diversa ab edita. Nam quaestio est *a quodam clerico reportata*, ut notatur in fine, cum hic eisdem fere verbis desinat, quae ex praecedente codice transcripsimus, additis verbis: « Deo gratias. Amen ».

Quia hos duos codices non potuimus inter se conferre, ex solo Florentino satis vitioso (quem signavimus littera L) plura specimina lectionis in notis exscripsimus. Ipsas animadversiones Gulielmi, quas Bonaventura ad certa capita reductas nervose in sua replicatione (pag. 149 seqq.) confutavit, reservavimus his Prolegomenis. Non ingratum fore putamus viris rerum gestarum studiosis, hoc documentum historicum hucusque, quod scimus, nullibi impressum integrum in seq. § exhiberi.

Ex praedictis constat, qua *occasione* et quo *loco* S. Bonaventura primo viva voce de hac re disputaverit et deinde suum opusculum scripto vulgaverit. Simul inde colligere possumus, quo *tempore* hoc evenerit. Cum in hac quaestione nulla, nec directa nec indirecta, mentio fiat, quod summus Pontifex tractatum Gulielmi reprobaverit, supponendum est, eam compositam esse ante 5. Oct. 1256, quo ista condemnatio accidit. Cum porro ante 1255 Ordo Minorum non ita esset impetitus, nec libellus

Gulielmi editus; sequitur, tempus, quo quaestio composita est, ponendum esse vel circa finem anni 1255, vel anno 1256 ante autumnum. Nec est improbabile, eandem exhibitam esse tribunali ecclesiastico, a quo tractatus Gulielmi examinabatur; et hoc sensu dici posset, S. Bonaventuram Anagniae disputasse contra Gulielmum.

Ex ipsa autem forma totius quaestionis apparet, primo scriptos esse duos priores eiusdem articulos, deinde replicationem, et postremo articulum 3. de labore manuum, ut pluribus rationibus probavimus pag. 156, nota 1.

§ 3. **Referuntur animadversiones magistri Gulielmi contra S. Bonaventurae quaestionem disputatam de mendicitate.** — Ut legens facilius intelligat verba censoris, non tantum locos ab illo oppugnatos S. Bonaventurae, sed etiam paucis verbis sensum eorundem indicavimus. Etiam auctoritates in his animadversionibus citatas accuratius indicavimus et hinc inde pauca verba pro faciliore intelligentia adiunximus. Cum autem in codice animadversiones saepe et corruptae et non suo loco ad marginem positae essent; non sine quadam difficultate eas apposuimus locis, contra quos arguunt.

Ad 1. arg., quod mendicare secundum verbum Domini, Matth. 10, 9: *Nolite possidere aurum* etc., spectet ad evangelicam perfectionem. « Respondeo: Primum, [ei] qui habet potestatem ministrandi spiritualia, petere non est mendicitas, ut dicit Augustinus in libro de Opere monachorum [cfr. pag. 157, arg. 9.] et in Glossa II. Tim. 2. super illud: *Laborantem agricolam* » [cfr. pag. 147 ad 19.].

Ad 2. arg., quod Dominus Marc. 6, 8. *praecepit eis, ne quid tollerent in via* etc. « Respondeo: Praecipitur eis amovere impedientia praedicationis officium, quod est praelatorum. Unde praecipitur tanquam praelatis in statu Ecclesiae primitivae existentibus; adhuc etiam tenentur praelati amovere impedimenta suae praedicationis; ex hoc etiam sequitur, quod praelati visitantes et praedicationis officium exsequentes recipere debent procurationes; quod non possunt, quando non sunt praelati. Sed hoc non est mendicitas, sed potestas, ut dictum est supra » [ad 1.].

Ad 4. arg., quod ex verbo Domini, Luc. 9, 48, *puerum* i. e., ut Glossa dicit, pauperem, suscipere debemus. « Respondeo: Quodsi mendicare in casu licito, utpote quia non potest operari, et quia subito factus est pauper, maxime sine culpa sua, et nescit, aut non potest operari, nec potest aliunde habere victum suum sine peccato, sicut dicit Ambrosius in libro de Officiis [cfr. II. c. 15. n. 69.]; tunc debet suscipi propter Christum, si petat in nomine Christi, alioquin debet repelli et corrigi, ut dicit Glossa super illud Matth. 5. [42.]: *Qui petit a te, da ei*, Glossa: « Si non quod petit, sed melius, cum iniuste petentem correxeris ».

Ad 6. arg., petitum ex Luc. 16, 9: *Facite vobis amicos de mammona* etc., scil. pauperes spiritu; responsio Gulielmi connecti videtur cum praecedente: « Et iterum est, si non potest operari et aliunde emere sine peccato, sed dum sic victum potest habere, non est pauper spiritu, si vult paupertatem esse lucrosam; et si est religiosus, exponit sanctitatem venalem. Et haec duo dicit Augustinus in libro de Opere monachorum [cfr. pag. 140 et 164]. Unde non est perfectus vir, sed peccator ».

Ad 8. arg., quod secundum Glossam super II. Cor. 8, 14. *vestra abundantia* terrenorum *suppleat illorum*, qui divinis vacant, *inopiam*. « Respondeo: Poterit vacari divinis et nihilominus operari propter victum, et si non sufficit eorum opus ad victum, et non possunt aliunde victum habere; tunc dandum est eis pro Christo. Et hoc dicit Glossa super illud II. Thess. 3. [13.]: *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes;* Glossa: Pauperibus; quoniam, etsi operentur, possunt tamen nonnullis indigere ».

Ad 9. arg. petitum ex exemplo Christi, de quo intelligitur secundum Glossam illud Ps. 39, 18: *Ego autem mendicus sum et pauper*. « Respondeo: Christus dicitur mendicus, non quia mendicaret victum; hoc enim non legitur; sed propter humanas miserias assumtas indigebat auxilio Dei et petebat auxilium Dei, non tantum pro se, quantum pro membris suis. Unde aequivocatur hoc nomen *mendicus* ».

Ad 12. arg., ex Glossa super Luc. 19, 5: *Zachaee, festinans descende* etc.: « Non invitatus invitat ». « Respondeo per hoc quod sequitur: Quia, etiamsi nondum audierat vocem invitantis, audierat affectum [sunt verba Glossae ex Ambrosio]. Unde praevenit eum se ipsum invitando apud eum ex causa dilectionis ».

Ad 11. arg., in quo Glossa super Marc. 11, 11. dicit: « Si quis eum hospitio susciperet; tantae enim paupertatis fuit, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret »; respondetur: « Supple quod deest, scilicet: et ita nulli adulatus [in nostra ed. haec verba non desunt; legitur enim: tantae enim paupertatis fuit *et ita nulli adulatus*, ut in tanta etc.]. Quoniam igitur de facili invenerunt (?), videtur, quod sint adulatores ». — Huic instantiae Gulielmus alteram responsionem adiungit: « Respondeo: Christus, qui erat missus ad oves quae perierant domus Israel, potuisset petere, sed tamen noluit, ut aliis formam daret non petendi ».

Ad 13. et 14. argg., ubi ex verbis Domini, Ioan. 4, 7: *Da mihi bibere*, probatur, quod licita sit mendicatio, datur responsio: « Ridiculosum est dicere, quod petere aquam ad puteum et ad fontem sit mendicare, cum sit communis usus aquarum; et tamen secundum Glossam exigebat aquam spiritualem, id est fidem ». [Lyranus in hunc locum duas Glossas exhibet, quarum prima hic allegatur: « Iesus... petit a primitiva Ecclesia... potum fidei, qua in eum credatur, petit a natura potum rationis, qua Conditor et Redemptor investigetur ». Secunda, quam etiam S. Bonav. explicat, idem aliis verbis dicere videtur: « Licet Iesus post fatigationem sitire posset, tamen hunc potum non exigit, sed ut cor Ecclesiae gentium pro laboris eius cognitione potus ei efficiatur, desiderat »].

Ad 15. arg., quo arguebatur, quod Christus, tanquam pauper a Pharisaeis invitatus, comedebat cum eis, Gulielmus respondet: « Cum Christus petere potuisset tanquam potestatem habens, sed tamen non petebat, ut daret nobis formam; sed invitatus recipiebat, quod nullatenus est *mendicare* ».

Ad 16. arg., in quo pro exemplo Sanctorum adducitur Hebr. 11, 37: *Circumierunt in melotis* etc., responsio est: « Nulla [mulier] est magis egens, quam quae manducat filium, scilicet prae nimia egestate: ergo manducare filium est opus perfectionis ».

Ad 17. arg., quod proponit Eliam pastum a vidua Sareptana, respondetur: « Ridiculosa argumentatio; sciebat enim Elias, quod ex praecepto Domini mulier volebat et debebat pascere illum: ergo non mendicavit, sed debitum exegit ex praecepto Domini ».

Ad 18. arg., de exemplo discipulorum Ioannis Evangelistae, qui omnia dederunt egenis etc., datur haec responsio: « Fallacia consequentis, instantia sicut prius; et sicut cum *furari* se-

quitur ad egestatem, sic *mendicare:* ergo *furari* est opus perfectionis ».

Ad 19. arg., de exemplo discipulorum Pauli, respondetur: « *Mendicare,* secundum [quod] sequi posset ex egestate, sicut *furari,* non tamen est opus bonum, sicut et *furari;* potest enim aliunde emere sine peccato ».

Ad 20. arg., de exemplo B. Benedicti. « Regula: Non quidquid facit perfectus, est perfectionis; nam comedit et egerit, et tamen haec non sunt opera perfectionis, sic nec mendicare ».

Ad 21. arg., de exemplo B. Alexii. « Probatur idem; exemplum unius non inducit in commune, quia forsan privato Dei consilio ducebatur, cum mendicare communiter sit contra doctrinam Apostoli ».

Ad 22. arg., in quo exemplum novi Sancti, scil. B. Dominici, affertur. « Respondeo: Non est credendum, quod Dominus [Papa?] pauperes mendicare praeciperet, cum hoc sit contra doctrinam Apostoli, « sed potius errare convinceretur, quod absit », Causa XXV. q. 1. *Sunt quidam dicentes* [6, in quo dicitur: Si enim quod docuerunt Apostoli et Prophetae destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur]. — Quod aliter dicit, beatum Franciscum [vel Dominicum] hoc praecepisse, non valet ad propositum; nam, sicut dicit S. Cyprianus [in Serm. 5. de Lapsis], « mandant martyres aliqua fieri; sed si in lege scripta non sunt ea quae mandant, prius necesse est, ut ea se probent a Domino impetrasse, quae postulant sive mandant ».

Ad 23. arg., de B. Francisco, qui mendicationem etiam miraculis confirmavit. « Respondeo: Proba; sed esto, quod sit verum, dico, quod miracula non probant, hominem sanctum esse, quia multi mali miracula faciunt, Causa I. q. 1. *Teneamus* [56, ubi legitur: Teneamus, fratres mei, unitatem. Praeter unitatem et qui facit miracula nihil est. In unitate enim erat populus Israel et non faciebat miracula; praeter unitatem erant magi Pharaonis et faciebant similia Moysi etc.]. Matth. 24. [24.]: *Surgent pseudoprophetae et dabunt signa et prodigia multa.* — Item de pane mendicato potest fieri miraculum, nec tamen sequitur, quod mendicitas sit bona; sicut de pane furato, nec tamen sequitur, quod furtum esset bonum [cfr. supra ad 18. arg.]. — Vel potest dici, quod Franciscus in aliquo casu licito mendicavit; unde non est trahendum ad consequentiam [de hac regula iuris cfr. pag. 150, nota 5.], maxime cum sciamus, fratres eius ab initio vixisse de labore manuum suarum ».

Ad 25. arg., quod secundum Hieronymum melius est de eleemosynis vivere quam eleemosynas dare. « Respondeo: *Fallacia consequentis* et *accidentis:* Egere est bonum: ergo mendicare est bonum, quod sequitur ad egere; si enim necessario sequitur, contingeret ex hoc » [cfr. supra ad 19. arg.].

Ad 27. arg., in quo affertur, quod mendicare non prohibetur lege naturae nec lege Scripturae nec lege gratiae. « Respondeo *per interemptionem:* quia prohibitum est ab Apostolo I. Thess. 4, [11.]: *Operamini manibus, sicut praecepi vobis, ut nullius aliquid desideretis;* Glossa: « Nedum rogetis » [cfr. pag. 134, arg. 7.]. Item prohibitum est [lege] de mendicantibus validis [cfr. pag. 135, arg. 13.]; et ita » etc.

Ad 28. arg., quod Ecclesia imponit poenitentiam mendicationis. « Respondeo: Falsum est; nam Ecclesia hoc praecipiendo erraret » [cfr. supra ad 22. arg.].

Ad 29. arg., secundum quod mendicare pro Christo est perfectionis, quia includit contemptum sui ipsius; respondendum: « Item falsum est; mendicare enim est cura sui, non contemptus, et appellat Augustinus mendicare sui curiosam egestatem, de Opere monachorum [videntur respici verba c. 28. n. 36, quibus monachos otiosos et vagos describit: Omnes petunt, omnes exigunt aut *sumtus lucrosae egestatis,* aut simulatae pretium sanctitatis; cfr. pag. 140]. Item non quaelibet vilificatio sui est bona, sed potest esse peccatum, sicut apparet in muliere meretrici, quae *tanquam stercus in via* ab omnibus *conculcatur* » [Eccli. 9, 10.].

Ad arg. 30. [Hoc in Alexandri Hal. Summa (q. 31. in ult. arg. pro conclusione) rectius legitur, quam edd. et codd. nobis exhibuerunt, scilicet sic: Praeterea plus placet Deo paupertas voluntaria quam involuntaria: ergo et mendicatio ex illa paupertate procedens magis est Deo placita; sed *secunda* [ed. *prima*] potest esse Deo laudabilis et licita: ergo multo magis et *prima*]. « Respondeo: Immo credendum est, quod voluntaria; aliter enim non esset meritoria eius [Lazari, quem Guliel. supra nominavit] paupertas; sed mendicitas eius erat coacta, quia *ulceribus plenus,* unde licebat ei mendicare ».

Ad 31. arg., quod sicut servus sustentatur a domino temporali eiusque ministris, sic etiam servus Dei sustineri debet a Deo et fidelibus. « Respondeo: Falsum est; quia *petere* praelatis a subdito, cui ministrant spiritualiter, non est mendicitas, sed potestas, ut dicit quaedam Glossa et Augustinus de Opere monachorum [cfr. supra ad 1. et 2.]; sed petere a non suo subdito, cui non licet ministrare spiritualia, est mendicitas, et qui hoc facit ministrando spiritualia pseudo est ».

Ad 34. arg., secundum quod illi qui deserviunt populo christiano spiritualibus insistendo, sustentationem petere possunt ab ipso, respondetur: « Secundum hanc ridiculosam rationem possunt omnes de mundo mendicare, cum omnes possint orare; sed secundum Augustinum intermittenda sunt spiritualia pro vitae necessariis acquirendis, ut dicit in libro de Opere monachorum [c. 17. n. 20. seq.]. Illos enim, qui possunt operari, pascit Deus ut *homines,* adiiciendo illis necessaria, quae promisit per laborem eorum qui eis dedit, ut laborare possint; illos autem, qui laborare non possunt, pascet ut *aves,* ut dicitur in eodem libro » [c. 27. n. 35].

Ad 35. arg., quod si licet ecclesiasticis recipere maius, v. g. possessiones et multos reditus, multo fortius licet viris propter Christum pauperibus recipere victualia. « Respondeo: Deberet concludere de *petendo,* et concludit de *recipiendo;* recipere enim eleemosynam, si offeratur Ecclesiae, non est peccatum, cum res ecclesiasticae sint pauperum, Causa XVI. q. 1. *Quoniam quidquid* [68, in quo dicitur: Quoniam quidquid habent clerici, pauperum est etc.]; sed [si qui] sub praetextu paupertatis petunt indebitum, est mendicitas, quae ab Apostolo prohibetur II. Thess. 3. [10.]: *Si quis non vult operari, non manducet;* Glossa: « Vult Apostolus, servos Christi corporaliter laborare, [ut habeant] unde vivant, ne compellantur egestate necessaria petere » [cfr. pag. 135, arg. 9.].

Ad 32. arg., quod qui dat maiora i. e. spiritualia, potest recipere minora i. e. temporalia. « Respondeo: Verum est de illo qui habet potestatem ministrandi spiritualia, sed de aliis non est verum, immo, si ministrarent, pseudo essent » [cfr. supra ad 31.].

Ad 33. arg., quod sicut praedicans ex auctoritate potest recipere sumtus *potestative,* sic praedicans ex subauctoritate

sive demandatione potest petere *supplicative*. « Respondeo: Ista verba: qui habet subauctoritatem praedicandi potest sumere sumtus supplicative, non sunt verba Scripturae, sed inventa *ad excusandum excusationes in peccatis* [Ps. 140, 4.]. Nam habere subauctoritatem aut est habere potestatem, aut non; si non: ergo sumere sumtus non debet secundum Apostolum et Augustinum [cfr. supra ad 1.]. Si subauctoritas dicit potestatem, aut dicit potestatem propriam, aut alienam; si dicit potestatem propriam, sic sumere sumtus potest tanquam plebanus; si dicit potestatem alienam, tunc sumtus potest petere non a plebe, sed a mittente; Extra. de Officio iudicis ordinarii [lib. I. tit. 31.], *Inter cetera* [15, ubi episcopis, qui per se non possunt, praecipitur, ut assumant idoneos, qui suppleant loco suo quoad praedicationes, visitationes et confessionum auditiones, « quibus ipsi, cum indiguerint, congrue necessaria subministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto »].

In *responsione* ad quaestionem propositam S. Bonav. triplicem modum mendicationis distinguit et pro secundo modo [qui est *ex otio fovendo* etc.] reprobando adducit verba Augustini de Opere monachorum [cfr. pag. 140, col. I.]. Contra hoc insurgit Gulielmus dicens: « Quod dicit Augustinus, loquens contra illos qui mendicant pro otio fovendo, vel lucro captando, dicit [S. Bonav.], quod principaliter loquitur contra illos qui forte tales erant; quod tamen non habetur ex capitulo [isto]; nihilominus tamen loquitur contra omnes mendicare volentes, cum possint captando [operando?] quaerere victum, vel aliunde sine peccato habere, sed [licet?] sint sicut intenti operibus spiritualibus. Unde dicit, quod sicut intermittenda sunt opera spiritualia [sequuntur quaedam verba non legibilia]... ita omittenda sunt ad tempus, ut victum operando quaeramus [cfr. supra ad 34. arg.]. Et rationem subiungit, videlicet ne quis Christianus mendicare compulsus vendat paupertatem christianae perfectionis [cfr. supra ad arg. 6.], videlicet ut fiat adulator, vel detractor et cadat in aliud peccatum et videatur suam simulatam vendere sanctitatem ».

Quoad tertium mendicandi modum [cfr. pag. 140, col. II.], qui secundum S. Bonav. triplex est, Gulielmus exhibet tantum primum [mendicare pro *Christo imitando*] et secundum [pro *Christo evangelizando*]. Ad commendationem primi membri haec datur responsio: « Hic respondeo, quod fieri pauper pro Christo opus est perfectionis, sed pauperem mendicare, cum posset operando victum acquirere et aliunde sine peccato emere, non est opus perfectionis, sed opus peccati, quia contra doctrinam Apostoli [cfr. supra ad argg. 27. et 35.]; nec Christus unquam mendicavit, nec hoc legitur in Scriptura; sed bene sequitur, quod pauper fuit, sed non mendicans victum corporaliter, licet *mendicus* dicatur aliquo modo, ut dictum est supra » [ad arg. 9.]. — Ad finem huius membri, ubi de contemptu divitiarum, respondetur: « Hic dico, quod contemnere divitias est contemnere mundum; sed mendicare non est contemnere, sicut nec manducare, immo est curam habere sui » [cfr. supra ad arg. 29.]. His verbis responderi videtur etiam ad primam rationem [ratione eius *quod praedicatur*, quia praedicamus mundi contemptum] secundi membri, scil. pro *Christo evangelizando;* ad cuius secundam rationem: « *A pluribus etiam praedicatur* », haec subiungitur responsio: « Hic dico, quod praedicare non debent nisi missi, et si permissi praedicant, debet eis a mittentibus provideri; Extra. de Officio iudicis ordinarii, *Inter cetera* » [cfr. supra ad arg. 33.]. — Probationem huius rationis, quae in nostra ed. paucis verbis exhibetur [si praedicantes vivunt de Evangelio etc.], Gulielmus prolixius proponit ipsamque concludit his verbis: « Et ideo isti Ordines duo, scilicet Praedicatorum et Minorum, missi fuerunt eleemosynas petentes, quia pro eleemosynis petendis nomine Christi ibant multi, qui non ivissent, praebendis minoribus vel etiam forte maioribus habitis, immo citius in suis partibus morarentur ». Ad hoc invenitur haec responsio: « Hic dico, quod qui recipit praebendam nomine praebendae mercedem praebendae recipit; sed tamen istam praebendam [recipiens?], si non habet potestatem, a Deo potest damnari et damnatur ».

Ad conclusionem, scilicet quod mendicare pro Christo imitando etc. non solum sit bonum, sed etiam perfectionis evangelicae, datur responsio: « Haec conclusio supponit falsum, dicendo Christum imitandum mendicando; quia Christus sic non mendicavit; vel si etiam Christus mendicasset, non esset trahendum ad consequentiam, cum hoc prohibeat Apostolus, in quo loquebatur Christus ».

Subinde auctor infringere studet solutiones obiectionum a S. Bonav. datas. In solutione tertiae obiectionis illa distinctio mendicitatis [in *voluntariam* et *coactam*] Gulielmo non placet; ait enim: « Contra; licet paupertas debeat esse voluntaria, quia aliter non esset meritoria, tamen mendicitas non debet esse voluntaria; quia, si mendicet quis, nisi egestate compulsus, peccat fraudando pauperes, quibus eleemosynae debentur. Unde Augustinus, de Verbis Domini, Causa XIV. q. 5. *Immolans* [2.]: « Panis egentium vita est pauperis. Qui defraudat eum homo est sanguinis ». Et: « Qui de bonis suis sustentari possunt, si quod est pauperum accipiunt, sacrilegium profecto incurrunt et per abusionem et aliud [textus originalis pro *et aliud* substituit *talium*] iudicium sibi manducant et bibunt ». Causa XVI. q. 1. *Quoniam quidquid* [68.].

Ad solutionem 5. obiectionis de Act. 20, 35: *Beatius est magis dare quam accipere* etc., haec a Gulielmo adiiciuntur: « Istud non facit ad propositum; quia bene concedimus, quod melius est omnia pro Christo relinquere quam aliquid retinere; sed ex hoc non sequitur, quod oporteat mendicare; sed debet operando victum quaerere, ut dicit Glossa praeallegata [cfr. pag. 134, arg. 6.]. Luc. 12: « Ut, omnibus semel pro Christo spretis, postea operemini manibus vestris, unde vivatis ». Vel debet inter communem vitam degentes de bonis ecclesiae sustentari ». Subinde additur: « Hic dico, quod non sunt spiritualia omnino dimittenda, sed secundum Augustinum propter quaerendum victum sunt spiritualia interponenda ».

Ad solutionem 9. obiectionis de Glossa in II. Thess. 3, 10, in qua S. Bonav. urget haec verba: « ut non compellantur egestate necessaria petere », utpote quae non verificentur de mendicatione *voluntaria*, respondetur: « Ridiculosa solutio et contra dictum [Glossae]; quia, si petunt non compulsi egestate, peccant, ut dictum est supra [ad arg. 35. et in principio respons. corp. quaest.]. Ad primam partem huius solutionis, in qua S. Bonav. proponit, quod per verba Glossae: « Vult Apostolus, servos Dei corporaliter operari » etc., non praeceptum, sed admonitio inculcetur, ille respondet: « Hic falsum dicit, immo praecipit hoc Apostolus I. Thess. 4, 11: *Operamini manibus vestris, sicut praecepimus vobis;* sed certe non potest non mentiri qui vult sustinere falsum contra sacram Scripturam ». — S. Bonav. proposuerat tertium membrum, scil. quod si verba Glossae continerent praeceptum, hoc se non extenderet ad illos qui ma-

lora, utpote spiritualia, agere possunt; pro quo affertur Glossa Ambrosii [cfr. pag. 144, col. 2.]. Gulielmus respondet: « Sic loquitur Ambrosius de illis qui a Domino sunt missi ».

Ad solutionem 10. obiectionis, in qua tenetur, quod secundum Glossam qui *otio est deditus* ad alienam mensam accedens necesse habeat adulari, respondetur: « Hic dico, quod quantumcumque pro Christo spreverint bona sua, nihilominus tamen homo sic peccare potest et adversari [adulari?], vel detrahere, quando compellit egestas ». Verba Chrysostomi pro confirmatione adducta ipsi nihil probant; nam « hic dico, quod loquitur Chrysostomus de divitibus et de pauperibus sibi sufficientibus, de quibus Apostolus II. Cor. 9. [8.]: *Ut in omnibus super omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Glossa [*interlinearis* apud Lyranum]: « Qui solam sufficientiam eligit poterit in omne opus bonum abundare » [Lyranus: in Dei opere ambulare vel abundare].

Ad solutionem 8. obiectionis, secundum quam pauper evangelicus, qui mendicat ex supererogatione iustitiae, non respicitur in verbo Glossae I. Thess. 5, 12: « Egestas, dum saturari cupit, a iustitia declinat », taliter respondetur: « Hic dico, quod qui elegerunt egere pro Christo, nihilominus tamen, quando esuriunt, satiari quaerunt; adhuc enim animales sunt, id est alimonia egentes ».

Ad solutionem 7. obiectionis de Glossa I. Thess. 4, 12, quod scilicet nullius est aliquid desiderandum nec petendum, respectu cujus adhibetur distinctio inter petitionem propter desiderium *alienae rei* et propter desiderium *alienae salutis* sive propter salvationem animarum, a Gulielmo sic respondetur: « Hic vide, qualiter dicit apertissime contra Glossam; dicit enim, quod Glossa prohibet petere ex cupiditate; constat, quod hoc [*petere* ex cupiditate] est peius quam primum [*desiderare;* cfr. pag. 134, arg. 7.]. Sed tamen non hic prohibetur petere ex cupiditate, sed prohibetur petere ex egestatis necessitate. — Sed quod dicit: mendicare licet propter salvationem animarum, nihil est; quia mendicare non salvat mendicantem, immo potius damnat, cum sit prohibitum, nisi in casu; nec salvat eos quibus praedicat homo mendicans, licet eius praedicatio per occasionem salvare possit; sed in hac argumentatione: praedicator mendicans salvat: ergo mendicitas salvat; est fallacia accidentis ».

Ad solutionem 6. obiectionis de Glossa super Luc. 12, 33: *Vendite quae possidetis* etc., « ut, omnibus pro Deo semel spretis, postea labore manuum operemini unde vivatis, vel eleemosynam faciatis », respectu cuius S. Bonav. hanc distinctionem inducit, quod *primum*, scil. vendite quae possidetis, est consilium; *secundum*, scil. operari et eleemosynam facere, est de *bene esse* consilii, haec datur responsio: « Vide mirabilem distinctionem et sophisticam, et ideo odibilem, videlicet quod pars Glossae est de integritate consilii, pars vero est supererogationis, cum omne consilium sit supererogationis; et tota Glossa unus est textus, et pendet etiam constructio et sententia illius usque in finem. Et quod dicit [S. Bonav. hoc adducens pro confirmatione suae sententiae], quod alii Apostoli a Paulo non sint operati manibus, falsum est, sicut sequitur Ioan. 21. [1. seqq.], quod ad piscationem piscium redierunt, « cum unde viverent non haberent », ut dicit Glossa ibidem. Et tamen poterant non operari et vivere de Evangelio, cum ad hoc missi essent, ut probat Apostolus I. Cor. 9. [3. seqq.] ». — Duplex Glossa huic solutioni a cod. L subiungitur, quae in nostra ed. alibi ponitur; prima habetur pag. 125, arg. 5. super Luc. 12, 24: *Respicite corvos* etc.: « Sancti merito avibus comparantur, qui nihil in mundo agentes nec laborantes » etc.; altera invenitur pag. 136, arg. 5. super Luc. 10, 4: *Nolite portare sacculum* etc.: « Tanta debet praedicatori esse fiducia in Deo, ut praesentis vitae sumtus, etsi non praevideat, sibi tamen non defecturos certissime sciat » etc. Ad primam datur haec responsio: « Hic dico, quod loquitur de Sanctis communem vitam degentibus, qui, etsi non operantur corporaliter, tamen vivunt de bonis Ecclesiae communibus, ut Act. 4. [32. seqq.], Causa XII. q. 1. *Videntes* [16.]; et bona [similiter?] de illis qui laborare non possunt, quia tales pascit Dominus, ut dicit Augustinus de Opere monachorum [cfr. supra ad arg. 34.]. — Ad secundam respondetur: « Hic dico, quod loquitur de praedicatoribus missis a Deo, quibus licet vivere de Evangelio, et hoc expresse dicit Glossa ».

Ad solutionem 11. obiectionis de decreto Urbani [quod episcopi omnibus communi vita vivere volentibus ministrare cuncta necessaria debeant etc.], quod ob triplicem defectum non bene contra mendicantes allegatur, tum quia datur episcopis abundantibus ad sustentationem pauperum clericorum, eorum potissime, qui *non egent voluntarie*, sed compulsi; tum quia inducitur ad probandum, quod clerici non debent habere proprium: ergo non contra mendicantes, sed pro ipsis est; tum quia, sicut habere proprietatem in communi approbatum est auctoritate Urbani, sic modus vivendi in altissima paupertate approbatus est auctoritate Innocentii, Honorii et Gregorii: ergo decretum Urbani praeiudicare non potest decreto Innocentii etc.; respondet ille primum defectum negando: « Vide, quomodo dicit contrarium veritati! immo [decretum] loquitur de illis qui, omnibus relictis, vitam communem degere elegerunt, scilicet in collegiis ». — Respectu tertii defectus proponitur haec responsio: « Vide, quod non attendit verba decreti; Urbanus enim ex proprio motu nihil ibi statuit, sed recitat non bene contentum Act. 4. [32. et 34.]: *Erant illis omnia communia, et nullus erat egens inter eos;* illud statutum Apostolorum declarat [Urbanus]; unde non est statutum Urbani, sed Apostolorum, contra quod statutum nec Papa scienter faceret, ne errare convinceretur, Causa XXV. q. 1. *Sunt quidam dicentes* » [6; cfr. supra ad arg. 22.]. — Solutioni huius obiectionis in cod. L subiunguntur quae in nostra ed. habentur sub solutione 20. obiectionis, scilicet quod, quia paupertas est fundamentum et quasi complementum evangelicae perfectionis, ideo viguit in Ecclesiae primordio, et congruum est, ut vigeat circa Ecclesiae statum finalem; pro qua sententia allegantur verba Hieronymi. Respondet Gulielmus: « Vide periculosum verbum, et suspicione non carere, quod dicit, Ecclesiam redituram in quibusdam Ordinibus ad pristinam paupertatem; hoc enim sapit sententiam Ioachim, qui ponit imperium Petri et Ecclesiae Romanae imperium babylonicum, eo quod ditata est Ecclesia et imperium Romanum habere meruit. Nec credendum est, quod decretum Urbani, immo Apostolorum, fuerit temporale, cum in fine dicat: « Si quis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui haec avellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur ».

Ad solutionem 13. obiectionis, secundum quam lex civilis inhibens mendicationem facta est contra quosdam, qui tempore famis pauperum eleemosynas usurpabant etc.; ille respondit his verbis: « Vide, qualiter imponit rabiem legi [dicendo, quod] facta fuit tempore famis, cum de hoc lex non faciat

mentionem, nec apparatus [i. e. notae et commentarium] eius. Sed esto, quod ita; cum scilicet famis tempore impellente facta fuerit, nihilominus tamen lex perpetua est et generalis et continet ius commune, quia cessante causa impulsiva conflationis, non tamen cessat conflatio, sicut apparet de Calphurnia, quae dedit causam edicto, de Macedone improbo, non tamen cessat lex de postulando, facta propter eius improbitatem, scil. de postuland. L. 1. ff. § secundo ».

Ad solutionem 14. obiectionis, scil. quod licet mendicare in se non sit perfectionis sive indifferens, praesupposita tamen universali abrenuntiatione propter Christum, opus est perfectionis, respondetur: « Hic dico, quod mendicare non est opus indifferens, immo opus prohibitum, nisi in casu; unde propter circumstantiam non fit bonum vel meritorium, sed propter circumstantiam excusari potest ».

Ad solutionem 15. obiectionis, secundum quam obligatio veniens ex reatu culpae est refugienda, sed veniens ex affectu caritatis perfectae est acceptanda, et hac obligatur mendicans sive eleemosynam recipiens, scil. ad orandum pro benefactore etc.; haec proponitur responsio: « Vide, quid dicit, scilicet quod qui recipit eleemosynas obligatur ex caritate. Sed si non habet caritatem, nunquam obligatur? Constat, quod sic: ergo periculosum est recipere; cum non semper possit solvere, nec est necesse, quod omnes, qui relinquunt omnia pro Christo, semper sint in caritate ».

Ad solutionem 16. obiectionis, qua dicitur, quod qui mendicant ex professione, hoc non faciunt, quia pauperes etc., sed quia pauperes Christi imitatores et evangelizatores; Gulielmus instat: « Sed contra: si non possunt mendicare, quia pauperes, nec quia praedicatores: ergo nec quia pauperes praedicatores ».

Ad solutionem 17. obiectionis, in qua mendicantes praedicatores, quia sustentationem tantum quaerunt sicut viam ordinatam ad Evangelium praedicandum, defenduntur a peccato simoniae, haec datur responsio: « Sed contra stat, quod Eliseus non gerebat in animo, quando sanavit Naaman, quod aliquid ab eo acciperet; sed pone, quod postea mandaverit peti ab eo, vel ratam habuerit petitionem pueri sui, nonne simoniam committeret? Constat, quod sic, sicut Giezi, qui ex postfacto petiit a Naaman, eo quod vidit, exenium [i. e. munus seu oblationem] Domino suo praesentari. Ergo et iste qui post praedicationem permittit, suos petere ab illis quibus praedicavit, si prohibere possit, videtur committere simoniam. Praeterea, etsi iste qui praedicavit, non committit simoniam, quia non petit nec mandat peti, nec placet ei quod petatur; tamen puer suus et socius suus, qui petit, videtur committere simoniam ».

Ad solutionem 18. obiectionis, in qua dicitur, quod praedicatores perfecti, etiamsi petant temporalia, se abstinent a specie mala; respondetur: « Contra: mendicare est simpliciter malum, nisi aliquatenus excusetur, quia est contra doctrinam Apostoli; sed quod est simpliciter peccatum fieri non potest bonum propter Christum, quia ipse peccatis nostris non eget [cfr. tom. IV. pag. 539, nota 7. verba Gregorii]: ergo mendicare non potest esse opus perfectionis » [cfr. supra ad solut. 14. obiect.].

Ad solutionem 19. obiectionis, quod praedicatores mendicantes possunt petere ex subauctoritate, et quod maioris humilitatis est, si petunt ex gratia; dicitur: « Contra hoc dictum est supra [ad arg. 33.], scilicet quod subauctoritas aut dat potestatem sumendi, aut non. Si dat potestatem; ergo non mendicat, quia potestas non est mendicitas, ut dicit Glossa II. Tim. 2. [6; hanc Glossam allegat etiam S. Bonav. in hac solut.]; si vero non dat potestatem: ergo non potest potestatem sumere, quin mendicet, quod est contra Apostolum et Augustinum ». — His Gulielmus innitens contra alteram rationem, scil. quod maioris humilitatis sit, si petunt ex gratia, haec dicit: « Hoc est contra Glossam praedictam, quia potestatem habens non potest mendicare id quod ex potestate sibi debetur ».

Ultima (20.) obiectio et solutio ipsius in cod. L alio modo quam in nostra ed. [cfr. supra ad solut. 11. obiect.] exhibetur. Obiectio talis est: « Item, persona praedicatoris debet esse discreta et nobilis sive honorabilis, non vilis; sed nulla vilior persona quam persona mendicantis: ergo persona mendicantis ut praedicatoris non debet esse mendicans; et sic mendicare praedicantibus non est opus perfectionis christianae ». — Solutio haec est: « Ad ultimum, quod persona praedicatoris etc.; dicendum, quod si aliquis se vilificat pro Christo, non tamen vilis est persona, immo honorabilis; quia vilificare se pro Christo est de perfectione christianae religionis, cuius exemplum in David invenitur II. Reg. 6. [22.]: *Ita ludam*, inquit, *et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* » etc. — Ad hanc solutionem sequens datur responsio: « Bene concedo, quod se vilificare pro Christo ex humilitate bonum est, dum tamen ista vilitas non sit contra voluntatem Christi in Apostolo loquentis II. Cor. 13. [3.]: *An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur, Christus?* et ideo talis vilificatio non est bona, sed potius est peccatum ».

Hucusque adversarius. Omnia eius argumenta Bonaventura reducit ad quinque classes et in sua replicatione convellit.

§ 4. **Articuli duo, scilicet de abrenuntiatione et de mendicitate, fere integri recepti sunt in Summam Alexandri Halensis p. IV. q. 30. et 31.** — Ignoramus, utrum hoc quod hic asseruimus, iam ante nos ab aliquo observatum sit. Unde primo ipsum *factum* confirmandum est.

In parte IV. praefatae Summae et q. 30, quae inscribitur *de distributione eleemosynae*, tractatur diffuse et per fere 13 paginas in folio (edit. Veneta 1575) nostrae quaestionis articulus 1. de abrenuntiatione. Memb. 1. inscribitur: « Utrum liceat omnia distribuere sive relinquere pro Deo »; m. 2: « Utrum omnia relinquere pro Deo et nudum sequi Christum sit actus perfectionis »; de quo in 1. art. quaeritur « generaliter, utrum relinquere omnia sit evangelicae perfectionis », et in 2. art. in speciali: « Utrum sic relinquere omnia, ut nihil retineatur, nec in communi nec in proprio, sit evangelicae perfectionis ».

Comparantes unicum de *abrenuntiatione* articulum S. Bonaventurae cum praedictis tribus, videmus, *conclusionem* eiusdem (in ed. nostra pag. 129 seq.) ad verbum in Summa (m. 2. a. 2.) exscriptam esse, exceptis paucis lectionibus variantibus, saepe bonis, ita ut editionem Summae simul cum nostris codicibus ad corrigendum textum quaestionis adhibere potuerimus (cfr. eadem pagina nota 1.). In m. 1. et membri 2. a. 1. Summae non est nisi brevissima *conclusio*, cum robur doctrinae reservetur ad conclusionem praedictam. — Ipsa autem Bonaventurae *argumenta* ad utramque partem sunt distributa ad tres partes 30. quaestionis, additis non paucis aliis. Ita *fundamenta* Bonaventurae 1. 3. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. 16, et 1. arg. ad opposit. cum sua solutione inveniuntur in 1. art. membri 2; sed fundamenta 24. 26. 29. 30. 31. 32. sunt in 2. art. Haec omnia plerumque expressa sunt iisdem verbis in utroque opere.

Secundus articulus de *mendicitate* in Summa (q. 31.) sic dividitur: Membr. 1: « Quaeritur, utrum licitum sit mendicare pro Christo et de quotidianis eleemosynis vivere »; m. 2: « Utrum, omnibus erogatis pro Christo, mendicare sit meritorium »; quod ita dividitur, ut in a. 1. quaeratur: « Utrum sit meritorium merito simplici »; in a. 2: « Utrum sit meritorium merito consummationis sive supererogationis ». Sequitur m. 3: « Utrum melius sive perfectius sit semel dare omnia pro Christo et postea victum suum mendicare, vel retinere sua ad suam et pauperum sustentationem particulatim sibi et pauperibus dispensanda ». De m. 4. subinde agemus.

Tota igitur articuli 2. conclusio Bonaventuriana ad verbum exprimitur in Summa (ibid. m. 2. a. 2.), sed in ea parte, quae incipit: « Tertius autem modus », in Summa adduntur post primam divisionem plures auctoritates, post quas a verbis *De talibus Augustinus* etc., iterum continuatur textus Bonaventurae usque ad solutionem oppositorum. Aliarum partium conclusiones iterum sunt breves et exigui momenti. — Quoad argg. in m. 1. (utrum licitum sit etc.) inveniuntur in Summa *fundam.* Bonaventurae 3. 4. 1. 20. 21. 22. 23. 9. 10. 26. 27. 29, et argg. 2. 3. 1. 7. ad opposit. cum suis solutionibus. In m. 2. a. 1, qui non habet *fundamenta* nisi quaedam repetita et generaliter dicta, invenitur arg. ad opposit. 9. — In m. 2. a. 2. praeter totam *conclusionem* et locos plerosque Scripturae in argg. citatos conveniunt *solutiones* ad 4. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 18. 19, et grandis illa ad 20.

Sed prae aliis attentione dignum est m. 4, quia continet etiam illam *replicationem*, quam Bonaventura animadversionibus Gulielmi opposuit (pag. 149 seqq.). In Summa ibi sic legitur: « Sequitur de manifestatione veritatis, qua nituntur *adversarii veritatis* praedictis obviare. Obviant autem quibusdam tanquam *falsis*, quibusdam tanquam *inconvenientibus* [sic], quibusdam tanquam *dubiis*, quibusdam tanquam *doctrinae apostolicae contrariis*. Et secundum haec sunt quatuor partes istius membri » (Bonaventura habet quinque partes replicationis).

« Primo igitur obviant tanquam *falso*, quod supra dictum est, scilicet quod Christus fuerit mendicus ». Post pauca verba sequitur eadem replicatio, quae est in nostra editione n. II. (pag. 150 seq.). — Porro legitur in Summa: « Adhuc adversarii veritatis obviant aliquibus praedictis tanquam *inconvenientibus* [sic]; unde dicunt » etc. Sequitur replicatio n. III. — Deinde: « Adhuc adversarii veritatis obviant aliquibus tanquam *dubiis* »; et opponitur Bonaventurae replicatio n. IV. — Denique: « Adhuc adversarii veritatis obviant quibusdam praedictis, immo multis tanquam *doctrinae apostolicae contrariis* » etc.; et refertur replicatio n. V. usque ad pag. 154, col. 1, ubi incipit obiectio de labore manuum.

Initium igitur replicationis Bonaventurianae omissum est, et praeterea, dum Bonav. constanter et modeste loquitur de *aliquo adversario suo* in singulari, Summa semper adhibet pluralem cum titulo *adversarii veritatis*. Hinc oriuntur etiam quaedam minus convenienter dicta, v. g. pag. 153, col. 1. in replicatione V. apud Bonaventuram legitur: « Dicit etiam, *me* fuisse mentitum et contra Scripturam et Apostolum defendisse falsum » etc. Sed in Summa hoc mutatum est sic: « Dicunt etiam, *illos* fuisse mentitos etiam contra Scripturam, qui dicunt » etc. Et paulo superius ante finem IV. replicationis Bonaventura ponit: « concludendum est ergo secundum *dictum huius hominis unius*, quod universalis Ecclesia tota erravit »; sed Summa satis inepte habet: « constat ergo *secundum dictum*, quod universalis Ecclesia tota erravit » (!).

Post quaestiones 30. et 31. sequuntur in Summa Alexandri longi tractatus de aliis rebus oppugnatis illa aetate a magistris Parisiensibus, scilicet q. 32. in 3 membris de obligatione ad manualem laborem, et m. 4. a. 1. 2, utrum liceat religiosis praedicare, docere et confessiones audire; porro a. 3, utrum Summus Pontifex ista Mendicantibus possit committere. De his hoc loco non vacat plura dicere; sufficit nobis, quoad duos praefatos articulos confirmatum esse *factum*, quod maxima pars eorum ad verbum etiam expressa est in dicta Summa.

Cum autem tot documentis certum sit, Bonaventuram quaestionem de paupertate contra magistrum Gulielmum Parisiis disputasse; incidit quaestio necessario nobis solvenda, utrum Bonaventura suam quaestionem transcripserit ex Summa Alexandri, an potius a continuatoribus eiusdem Summae, adhibito scripto illius, insertae sint quaestiones 30. et 31.

Superfluum est urgere, quod nota plagiarii valde derogaret honori tanti Doctoris, cum illico perspicuum sit unicuique, qui certissimis documentis historicis noluerit detrahere fidem, impossibile esse, Summam Alexandri, quam ipse moriens (scilicet an. 1245) *reliquit imperfectam*, fuisse fontem, unde Bonaventura hauserit sententias et verba suae quaestionis contra Gulielmum. Nulla, vivente Alexandro, lis erat contra Minores, nulla ergo occasio impugnandi adversarios. Quomodo igitur scribere potuisset Alexander contra « adversarios veritatis » et referre plurima argumenta Gulielmi, cuius primum de hac lite scriptum vulgatum fuit an. 1255? Porro, si ponamus, Alexandrum praeoccupasse miro modo istam controversiam et refellisse adversarios tribus longissimis tractatibus; quare non protulerunt fratres copiosissimam defensionem magistri venerandi et tantae in Universitate illa auctoritatis eamque opposuerunt adversariis? Quare potius antesignanum elegerunt iuvenem 34 annorum et nondum magistrali dignitate insignitum? Sed quod prorsus rem invicte decernit, est illa *replicatio* ad animadversiones magistri Gulielmi, quae, paucis minus apte mutatis, in Summam q. 31. m. 4. est recepta. Quis est, qui velit etiam hanc responsionem attribuere Alexandro?

Reiecta igitur hac suppositione, concludendum est, praedictas duas quaestiones post mortem Alexandri, et fervente illa controversia, quae fere ad viginti annos aliquo modo duravit, compositas esse secundum quaestionem a Bonaventura disputatam, easdemque tunc imperfectae Summae Alexandri insertas.

Haec positio nullius derogat honori et optime convenit rebus, quae aliunde quoad istam Summam notae et a nobis, adductis certis documentis, tum tom. I. Prolegom. pag. LVIII seqq. tum tom. III. Prolegom. pag. IV § 3. expositae sunt. Exploratum igitur est, Alexandrum (an. 1245 mortuum) suam Summam reliquisse imperfectam, et Alexandrum IV. an. 1256 ministro Provinciali Minorum in Gallia « in virtute obedientiae stricte praecepisse », ut per fratrem Gulielmum de Militona, adhibitis aliis fratribus idoneis, Summam illam perficiendam curaret. Waddingus (Scriptores Ordinis Min., voce *Gulielmus de Militona*) asserit, fratrem Gulielmum reapse Summam « imperfectam complevisse, polivisse eique ultimam manum adiecisse anno 1252 ». Falsa quidem est indicatio istius anni; sed per se est valde verisimile, illum fratrem, qui teste Waddingo vixit usque ad an. 1260, Summo Pontifici obedientem, opus iniunctum incepisse et per quatuor annos aliquid fecisse pro explendis

lacunis operis imperfecti. Sed Waddingo contradicit Sbaralea in Bullario tom. I. pag. 151 (cfr. eiusdem Supplem. p. 17 col. 2.) dicens: « At ego nihil ab eo [Gulielmo] factum esse contendo ». Pro qua assertione ille non affert nisi unum argumentum negativum et nullius valoris (cfr. tom. I. Prolegom. pag. LIX). Sane mirum est, hunc virum doctissimum ita hallucinatum esse, ut ex eadem quaestione (Sum. p. IV. q. 30. m. 2. a. 2.), quam nos adhibuimus, ut demonstraremus, Alexandrum hanc quaestionem *non scripsisse*, putaverit demonstrari posse, *totam* Summam, ut impressa est, ab Alexandro esse scriptam, et ipsi nihil post eius mortem additum esse, quia scilicet in cit. loco, ubi agitur de confirmatione regulae S. Francisci, non nominentur nisi tres Summi Pontifices eam confirmantes, omissis Innocentio IV. et Alexandro IV, qui annis 1245 et 1256 et ipsi regulam illam confirmassent. Sed Sbaralea non animadvertit, totum illum locum legi eisdem verbis in quaestione Bonaventurae de paupertate, quam eiusdem opus genuinum esse ipse asserit; et tamen etiam hic scripsit post Innocentii IV. litteras (an. 1245), quin eas commemoraverit. Quoad litteras Alexandri IV. concedimus, eas datas esse, postquam Bonav. iam quaestionem suam scripsit.

Assertio igitur Sbaraleae, nihil post mortem Alexandri additum esse praedictae Summae, non potest sustineri, saltem quoad partis IV qq. 30. et 31, et ut putamus, etiam quoad q. 32, quae de eadem controversia Parisiensi agit. Non est hic locus inquirendi et certo determinandi, utrum relata de completione Summae Alexandri opinio Waddingi extendenda sit etiam ad alias eiusdem partes. Pro hoc stat non levis praesumtio, variis firmata indiciis sumtis ex proprietatibus istius operis et ex verbis Rogerii Baconis a nobis tom. I. Prolegom. pag. LVIII col. 2. seq. relatis et diiudicatis. Haec autem ardua quaestio non potest solvi argumentis a priori excogitatis, sed, si unquam solvi pussit, praemittendae sunt accuratae perscrutationes ineditorum et in bibliothecarum manuscriptis latentium opusculorum illius aetatis, praesertim quae ab antiquis doctoribus Ord. Minorum scripta sunt; praeterea etiam examen subtile quaestionum totius Summae forent instituendum. Ad rem facit scripta quaedam communicatio, quam humanitati et amicitiae cl. P. Franc. Ehrle S. I. acceptam referimus, nempe quod in notis, quae Quaestionibus disputatis Gulielmi de Militona in quibusdam codicibus saeculi XIII. a prima manu apponuntur, indicetur, plures quaestiones de Sacramentis in IV. parte Summae sumtas esse ex nominato Gulielmo, et inter alias « duas quaestiones de contritione et attritione et alia de displicentia peccati »; porro idem R. Pater scripsit nobis, alias videri acceptas esse ex quaestionibus Fr. Ioannis a Rupella et Fr. Odonis Rigaldi.

Ut igitur praedicta paucis complectamur, nihil dubii relinqui dicimus, quaestionem de paupertate esse genuinum et certum S. Bonaventurae scriptum.

§ 4. **Tres alias de perfectione evangelica quaestiones Bonaventuram habere auctorem, ex praedictis recte concludi potest.** — Omnes enim quatuor quaestiones inter se sunt connexae, ut ipsae inscriptiones omnium antiquorum codicum attestantur. Et quod mirum et valde notandum est, etiam illi codices, qui non habent *omnes* has quaestiones, nihilominus deficientes indicant, tanquam si eas revera descriptas haberent, et cod. D, qui omnes habet, sed inverso ordine sibi succedentes, indicat ut *praecedentes* eas quas posterius exhibet. Hoc non potest explicari nisi eo, quod hae indicationes ab ipso auctore originem trahant. Igitur infra pag. 117 in codd. D E I indicantur quatuor quaestiones: de humilitate, de paupertate, de continentia et de obedientia; pag. 166 antiqui codd. A D E habent: « Postquam habitum est de paupertate, restat nunc agere de continentia, circa quam secundum tres partes ipsius triplex quaestio inducetur » etc.; pag. 179 in codd. A D: « Postquam quaesitum est de humilitate et de paupertate et de continentia, restat nunc quarto quaerere de obedientia. Et circa obedientiam tria possunt quaeri » etc. Duobus istis codd. in 3. articulo, ubi deficit A, accedit E eisdem verbis ac D incipiens, scilicet: « Ultimo quaeritur, utrum christianae religionis sit, quod omnes obediant uni ». Haec enim est inscriptio magnae et ratione temporis, quo scripta est, singularis quaestionis de primatu Romani Pontificis.

Hoc testimonium antiquorum codicum, accedentibus criteriis ex ipsa indole quaestionum sumtis, certos nos faciunt, Bonaventuram esse earum auctorem.

Ad determinandam alteram quaestionem, utrum hae quatuor *Quaestiones disputatae* eodem tempore sint scriptae, vel saltem simul publicatae, deficiunt nobis testimonia historica. Quod memoratam *replicationem* et articulum de *labore manuali* scribere non fuerit a principio auctoris consilium, iam observavimus (supra § 2.). Ceterum non est verisimile, quaestionem de paupertate, ut in praecedentibus editionibus legitur, sine aliquo verbo introductorio prodiisse. Ex altera parte quatuor de perfectione evangelica quaestiones constituunt completum quoddam totum, aptissimum, ut multiplicibus adversariorum aggressionibus, praesertim illi tractatui de *periculis novissimorum temporum*, opponeretur. Incipit tractatio ab *humilitate*, ut fundamentum pro tota vita christiana et religiosa, sed speciali modo pro defendenda voluntaria *mendicitate* iaciatur. Finis et corona eiusdem est articulus de *obedientia Summo Pontifici debita*, sine cuius auctoritate illa controversia Parisiensis non potuit determinari. Unde probabile nobis esse videtur, S. Doctorem paulo post divulgatum tractatum magistri Gulielmi has quatuor quaestiones composuisse vel simul, vel saltem non interiecto longo tempore. Cum autem pugna principaliter circa *paupertatem* committeretur, haec quaestio, neglectis aliis, praecipue descripta et divulgata est. Hoc coniectando dicimus.

§ 5. **Recensentur codices, qui aliquam partem exhibent quatuor de perfectione evangelica Quaestionum disputatarum, et primo ii quos in formando textu adhibuimus.** — Primum locum tenent tres codices, qui etiam quaestiones de scientia Christi et de mysterio Ss. Trinitatis habent, scilicet A D E, de quibus supra c. 1. § 4. locuti sumus.

4. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. membr. in fol. saec. XIII, distinctus numero 14557. — Plures et plurimorum continet quaestiones disputatas. Quodlibet. LXVI. exhibet duos primos articulos secundae quaestionis de perfectione evangelica, et sequitur de eadem quaestio 1. sive de humilitate. Incipit fol. 78. r. et desinit fol. 88. v. — Sign. I.

5. *Romae*, bibliotheca Principum Burghesiorum, cod. 271. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 44. r. in superiore margine: *Questio prima.* Hinc sequitur ab eadem manu: *Questio est de paupertate;* desinit fol. 55. v.: *qui se perfectioni evangelice astrinxerunt.* Sunt primus et secundus articulus quaestionis 2. de perfectione evangelica. Sequuntur alia de eadem re, inter quae *tractatus pauperis* Io. Pechami, cui scriptor subiicit: *Explicit tractatus pauperis contra nonnullarum heresum*

confictarum circa evangelicam perfectionem. — *Salvet scriptorem Iesus ob Genitricis amorem.* — *Scripsit Odo frater, eius miserere, pater.* — Sign. K.

6. *Claris Aquis* (Quaracchi), in hoc nostro Collegio, cod. chartac. in 4. saec. XV. ineunt. — Continet tantum quaestionem 2. de perfectione evangelica, ut habetur in editionibus titulo: *De paupertate Christi* etc. Incipit fol. 26. r. In superiore parte scriptor codicis exaravit: *Bonaventura.* Inde prosequitur: *Questio est de paupertate, et queruntur duo.* Desinit fol. 52. v.: *qui se perfectioni evangelice astrinxerunt. Deo gratias in secula seculorum. Amen* etc. — Sign. M.

7. *Berolini*, bibliotheca Regia, Fol. 94. chartac. saec. XV. — Fol. 253. col. 2. alia manus, sed coaeva, praemisit haec verba: *Ista est questio Bonaventure secunda de mendicitate; primam, utrum renuntiare omnibus sit evangelice perfectionis, vide in libro, ubi est stimulus amoris, pulpito X. in fine.* Sequitur articulus 2. et 3. quaestionis 2. de perfectione evangelica. Desinit fol. 263. v. col. 2. Post articulum 3. adiungitur replicatio ad obiectiones antea factas, et pag. 149 huius voluminis concluditur: *et infernorum, et sic finis.* — Hic cod. continet integram q. 2. sive de paupertate, sed, ut notatum est, transponit *replicationem* ad animadversiones magistri Gulielmi a S. Amore, quae in aliis codd. est post articulum 2, in finem articuli 3. — Hunc codicem cum editis iam prius conferendum curavit P. Fidelis, sed quodam casu adverso notae factae non pervenerunt ad manus nostras, nisi finita impressione earum. Est valde incorrectus, tamen convenit plerumque cum codicibus, quorum fide multas correctiones in textu fecimus. Paucas habet lectiones speciales, quae vel in textum recipi, vel ad calcem notari potuissent. Notatu digniores sequuntur.

Pag. 137, col. 1. addit 7. argumento conclusionem in aliis omissam: *ergo talibus pauperibus maxime competit de eleemosynis sustentari.* Pag. 148, col. 1. lin. 30. *modernos Sanctos antiquis* pro *modernos Sanctis antiquis.* Pag. 150, col. 2. lin. 18. post *Secundum hanc* bene addit *Glossam.* Pag. 152, col. 1. lin. 9. post *procurabat* addit *cibum.* Ibid. lin. 17. post *humillime* bene addit *propter modum, non propter actum.* Ibid. lin. 29. post *eligitur autem* bene prosequitur: *non quia carnis suae tantam curam gerat, sed quia fit cum humilitate summa.* Pag. 154, col. 1. lin. 42. post *repudiabant* addit *omnino.* Pag. 154, col. 2. lin. 31. *ut cuncta recolligamus* pro *ut cetera recolligamus.* Pag. 155, col. 1. lin. 23. confirmat lectionem cod. D *omnem* pro *communem.* Pag. 162, col. 1. lin. 4. *sufficienter ostendetur* pro *evidenter ostendetur.*

Sequuntur codices a nobis non collati.

8. *Dolae* in Gallia, cod. 68. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Plurima continet Quodlibeta. Fol. 43. v. col. 1. incipit quodlibetum 31, quod complectitur 1. 2. et 3. articulum quaestionis 3. de perfectione evangelica. Desinit fol. 47. v. col. 1. Hic codex, a P. Fidele a Fanna inspectus, inventus est plurimum convenire cum cod A supra descripto, n. 1.

9. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 3183. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 147. v. in superiore parte, col. 1, legitur: *Queritur, utrum pauperes validi* etc.; est articulus 3. quaestionis 2. Desinit fol. 152. r. col. 1. verbis: *astrinxerunt. Amen. Explicit questio Bonaventure de labore manuum.* Sequitur articulus 1. eiusdem quaestionis, qui desinit fol. 154. v. col. 2: *Explicit prima questio Bonaventure de mendicitate.* Articulus 2. deest.

10. *Parmae*, bibliotheca Regia, cod. 112. chart. in 8. saec. XV. — A fol. 22. r. usque ad fol. 34. v. complectitur tres articulos quaestionis 2. de perfectione evangelica, quorum initium et finis ut in editis.

11. *Tarraconis* in Hispania, bibliotheca Publica, cod. 56. membr. in 8. saec. XIV. — Continet tres articulos de paupertate, ut praecedens, sed deficit pluribus in locis; est etiam mutilus in principio; incipit enim ab argumento 8: *manifestum est, quod fuit in summa paupertate.* Desinit fol. 29. v.: *Unde si bene explicentur precepta decalogi, in omnibus est labor bonus.*

12. *Wolfenbutae* (Wolfenbüttel) in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. 550. Helmst. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 324. r. in initio: *Incipiunt questiones Bonaventure de perfectione mendicantium religiosorum. Questio est de paupertate, et queruntur duo* etc. Desinit fol. 352. r.: *et infernorum* etc. *Hec dominus Bonaventura.*

De duobus codicibus, qui articulum de mendicitate a *quodam clerico reportatum* cum censuris magistri Gulielmi continent, locuti sumus in § 3.

Inter codices, quos in quaestione de paupertate adhibuimus, eminet K (n. 5.), qui simul cum A D E plerumque lectiones a nobis eligendas determinavit.

Praeter primo notatos codices accurate cum editione contulimus quaestionem de paupertate impressam in quatuor antiquis editionibus diversorum opusculorum, quae infra c. 9. describuntur. Hae sunt 1. editio Coloniensis, an. 1486. — 2. Argentina, an. 1489. — 3. Brixiensis, an. 1497. — 4. Veneta, an. 1504. Sed parum ad propositum servire potuerunt, licet quoad textum propius accedant ad codices antiquos quam Vaticana. De quinta collata editione P. Soldati an. 1773 Romae impressa iam supra § 1. locuti sumus.

CAP. III.

In Breviloquium.

§ 1. **Pauca tangenda sunt de auctore et praestantia Breviloquii.** — Per sex saecula ita divulgata est fama et laus huius opusculi, mole quidem exigui, sed sententiarum gravitate ingentis, ut superfluum sit verba multa facere circa auctorem et praestantiam operis (videsis elenchum codicum et [c. 12.] antiquos indiculos). Non tamen praetermittendum esse censuimus encomium, licet satis notum, Gersonis Cancellarii Parisiensis, qui (in Tractatu de examinat. doctrin. p. I.) de hoc opusculo et de Itinerario mentis in Deum ita dicit: « Sicut apud grammaticos Donatus de partibus orationis, et apud logicos Summulae Petri Hispani traduntur ab initio novis discipulis ad memoriter recolendum; sic apud theologos discipulos *Breviloquium Bonaventurae*, quod incipit: *Flecto genua mea*, videretur salubriter imponendum, iuncto *Itinerario suo mentis in Deum*, quod incipit: *In principio primum principium.* Itaque laus omnis inferior est his duobus opusculis, quorum vim agnoscere etiam sola credulitate non parvus est profectus ». Idem in Epistola de libris legendis a Religiosis: « (Bonaventurae) opuscula duo tanta sunt arte compendii divinitus composita, ut supra ipsa nihil, *Breviloquium* noto et *Itinerarium*, in quibus processum est duabus viis cognoscendi Deum. Primus namque horum duorum tractatuum procedit a primo principio, quo Deus est, usque

ad alias veritates sub Deo creditas et habitas Alius econtra progreditur a creaturis ad Creatorem per sex gradus scalares usque ad anagogicos excessus; qui licet sint difficiliores et rariores, debet tamen omnis Christianus ad illos aspirare, quoniam theologia talis mystica proprie est Christianorum... Confiteor itaque et ego in insipientia mea... quod a triginta annis et amplius circa volui habere familiares mihi praedictos tractatulos, saepe legendo, saepe ruminando etiam usque ad verba, nedum sententias. Et ecce, hac aetate, hoc otio velut ad votum vix perveni ad initium gustus eorum ».

Recentioris aetatis egregius theologus, quem ante duos annos scientiae theologicae ereptum dolemus, Dr. Ioseph Scheeben, in suo egregio libro: Handbuch der katholischen Dogmatik Freiburg 1873, I. pag. 432, inter alia praeclara de *Breviloquio* dicit haec verba in Latinum versa, quod Breviloquium sit pretiosa quaedam theologica dactyliotheca, in qua unumquodque verbum magnam solvat quaestionem, et theologicae scientiae evolutio ex altissimis fidei principiis brevissimo et lucidissimo modo oculis mentis proponatur; ipsum esse quasi florem et medullam theologiae illius aetatis.

§ 2. **Recensentur editiones principales Breviloquii.** — Inter omnia nostri auctoris opera theologica nullum est, quod in tot codicibus nobis sit conservatum totque editionibus divulgatum, quot Breviloquium et Itinerarium mentis in Deum. — Primo recensemus illas editiones, quae continent vel solum Breviloquium, vel etiam adiuncto altero opusculo.

1. Antiquior omnium videtur esse editio *Nurimbergae* 1472, citata a Bonelli (Prodrom. col. 358 sub n. 39.) et descripta ab Hain (Repertor. bibliograph. I. n. 3472.), qui ipsam tribuit typographo Ioanni Sensenschmid. Eandem vidit P. Fidelis a Fanna in bibliotheca civitatis Goerlitz (in Silesia Borussica), compaginatam cum quodam cod. manusc. sign. A. B. 54. — Variantes lectiones ex ipsa colligendas curavit R.mus D. Hefele, nunc episc. Rottenburgensis, quas in sua edit. tertia Breviloquii, Tubingae 1861, annotavit.

2. Editio sine anno et loco, quam habuimus benigne commodatam a superioribus Conventus S. Bernardini Tridenti. In fine eiusdem P. I. Chrysost. Avol die 6. Maii 1773 scripto attestatur, eam esse impressam Augustae Vindelicorum per Antonium Sorg. Consentit etiam Hain (ibid. n. 3470.). Sed idem Pater in fol. praecedente initium opusculi etiam annum impressionis indicat, scil. an. 1475. Inventum est enim in bibliotheca monasterii Griesensis apud Bulsanum (quod tunc erat Canonicorum Regularium Lateranensium) volumen, quod primo loco habebat Breviloquium, deinde tria opuscula S. Bernardi et « librum Augustini, qui vocatur Quinquaginta », qui in fine eisdem typis habebat haec verba impressa: « Anno Dni MCCCCLXXV. circiter Kal. Februarii impressus est liber iste ad honorem Dei per Anthonium Sorg in Augusta ». Sextus voluminis liber erat « Tractatus magistri Ioannis de Turre Cremata Ord. Praed. de efficacia aquae benedictae, tempore Concilii Basileensis compilatus ». — Sed ista sex opuscula eisdem omnino typis expressa et in unum volumen collecta erant; unde concludi potest, quod etiam illa Breviloquii editio anno 1475 prodierit. — Ex ipsa lectiones variantes collectae sunt in cit. edit. Tubingensi et denuo in nostra.

3. Item, *Argentorati*, per Henricum Eggesteyn, sine anno (vide Hain n. 3469.). Etiam haec in cit. editione Tubing. adhibita est.

4. Breviloquium simul cum Biblia pauperum (falso Bonaventurae tributa), *Venetiis*, impensis Ioan. de Colonia sociique eius Ioan. « manthen de Gherretzem », anno Domini 1477 (apud Hain n. 3473.). Exstat in bibliotheca Communali Niceae, in Nationali Neapoli, in Regia Monachii. Ipsa adhibita est in cit. editione Tubingensi.

5. Item, *Argentorati*, per Martinum Flach, an. 1479, adhibita in eadem editione.

6. 7. Ab eodem Hain editiones aliae duae nominantur, sed non describuntur (n. 3471. et 3474.), quarum una Nurimbergae sine anno, altera an. 1499 sine loco; de quibus nec nos quidquam asserere possumus.

8. Breviloquium simul cum Itinerario mentis in Deum impressum *Patavii* 1562. In sequentibus saeculis prodiit pluries alibi.

Inter separatas Breviloquii editiones recentioribus temporibus factas duae specialem memoriam merentur.

9. Editio Dr. Caroli Iosephi Hefele, episc. Rottenburgensis, praesertim *tertia*, quae est locupletior, cum ei additum sit Itinerarium mentis in Deum, et emendatior; haec prodiit Tubingae 1861. In praefatione post brevem vitam S. Bonaventurae eiusque elogia R.mus episcopus ita prosequitur: « Ceterum et in Breviloquio et in Itinerario Romanam editionem anni 1596, ad cuius normam omnes praestantiores sunt exaratae, secuti, multis eam locis emendavimus, indicem et notas adiecimus, locos s. Scripturae et Patrum a S. Bonaventura laudatos accuratius indicavimus, et reiecta veteri interpunction inepta falsaque, membra orationis ita distinximus, ut sensus eo clarior appareret ». — Sequitur ibi elenchus codicum Monacensium et quarundam editionum, quos, rogatus ab editore, Custos et Praefectus bibliothecae Monacensis Krabinger cum editione Vaticana contulerat, quorum principales lectiones variantes ab editore in notis indicatae sunt. — Ex hoc elencho patet, novem codices et quinque antiquas editiones (quarum nonnullae ab ipso editore revisae erant) ad istam editionem adhibitos esse, ut loci mendosi corrigerentur. In locis non proprie vitiosis editor textum Vaticanae retinere solet, licet antiqui codices cum multis editionibus aliam exhibeant lectionem bonam, vel etiam meliorem.

10. Altera editio prodiit novis curis P. Antonii Mariae a Vicetia, Reform. Provinciae Venetae theologi b. m., primo quidem Venetiis ex typographia Aemiliana 1874, deinde altera Friburgi (Baden), apud Herder, 1881. Auctor huius editionis nitidae et correcte impressae multo studio et labore ex omnibus operibus seraphici Doctoris collegit illustrationes ad verbum transcriptas et non raro valde diffusas, et addidit in singula capita tabulas, hinc inde etiam appendices et in fine indicem rerum notabilium. Plerumque textum exhibet editionis tertiae Tubingensis; tamen ipse ex vetusta editione Breviloquii an. 1484 (sine loco impressionis) varias lectiones diligenter collegit et non tantum in notis indicavit, sed etiam, auctoritati huius editionis innixus, textum pluries reformavit, aliquoties quidem feliciter, ita ut vetustiores codices consentiant, sed pluries, refragantibus omnibus codicibus et antiquioribus editionibus, ut ex nostris notis observari potest. Illa enim editio anni 1484 est quidem impressa diligentius et correctius quam editio anni 1475, quae scatet erroribus typographicis; attamen quoad ipsum textum illa multo longius quam haec distat a communi lectione codicum saec. XIII.

11. Ultima editio nostris curis cum textu reformato prodiit in 8.° ad Claras Aquas 1890, quae continet praeter Brevilo-

quium et Itinerarium etiam opusculum de Reductione artium ad theologiam.

Secundo, his separatis Breviloquii editionibus addendae sunt collectiones opusculorum relatae infra c. 11, quae fere omnes inter alia etiam Breviloquium continent. — Prima est an. 1484 sine loco, quam recensent Bonelli (col. 281) et Hain (n. 3463.), et hic eam attribuit typographo Coloniensi Barth. de Unckel. Suspicamur, praefatam editionem, qua usus est P. Antonius Maria, non esse nisi partem huius collectionis. Videmus enim, ordinem opusculorum in pluribus aliis antiquis collectionibus variari in diversis exemplaribus; quod indicat, unumquodque opusculum ita fuisse impressum, ut ab aliis posset separari. Excepta collectione Brixiae 1495 impressa, Breviloquium est in aliis posterioribus opusculorum editionibus, praesertim in altera Coloniensi Ioannis Cuelhoff de Lubeck an. 1486 (apud Hain n. 3464.), in Argentina an. 1489 et 1495, in Brixiensi an. 1497 etc., ut videri potest infra c. 11.

§ 3. **Referuntur codices plurimi Breviloquium continentes, qui adhuc in bibliothecis publicis existunt.** — In hoc elencho a nobis omissi sunt non pauci a P. Fidele annotati, scilicet ita mutili, ut huius opusculi tantum exiguam partem habeant. — Primo commemoramus quoddam additamentum, quod est in cod. 886. bibliothecae Capituli Posoniensis (Presburg in Austria). Codex iste est membr. saec. XIV. Prologo S. Bonaventurae praemittitur alius Prologus certe in ratione Prologi non genuinus, sed fortasse sumtus ex aliquo sermone. — Fol. 6. r. col. 1: « Prologus in Breviloquium. — *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam* [Ps. 138, 5.). In hac auctoritate sex notantur, in quibus scientia sanctarum litterarum omnes excellit alias scientias. Primum est subiecti mirabilitas » etc. Desinit fol. 9. r. col. 1. Ad marginem est eiusdem Prologi schema: « In hac auctoritate sex notantur, in quibus s. Scriptura alias excellit.

Excellit:
- subiecti mirabilitas, cum dicit: mirabilis.
- acquisitionis eius auctoritas, cum dicit: facta est.
- certitudinis eius credulitas, cum dicit: scientia tua.
- ad intellectum nostrum applicabilitas, cum dicit: ex me.
- demonstrationis eius veritas, cum dicit: confortata est.
- supra intellectum nostrum altissima dignitas, cum dicit: non potero ad eam.

Dei sapientia innotescit in omnibus:
- in effectibus naturae per vestigium et imaginem.
- in operibus reparationis per gratiae similitudinem.
- in actibus beatitudinis per consummationem gloriae.

Quatuor ex causis dicitur: scientia tua i. e. Dei, quia eius est secundum causam
- formalem.
- efficientem.
- materialem.
- finalem.

Scientia theologiae est
- ab intellectu divino sicut ab efficiente.
- ex intellectu divino sicut a primo formali [exemplari].
- de ipso, prout est ars plena rationibus omnium, quae sunt.
- ad ipsum et propter ipsum sicut ad finem.

Post hunc Prologum sequitur immediate Prologus editus: *Flecto genua mea.* In inferiore vero margine sunt totius secundi Prologi schemata septem satis extensa et accurata.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, codex membranaceus in folio parvo, saeculi XIV. ineuntis, signatus numero 23. — Incipit fol. 144. r. col. 1. sub titulo: *Breviloquium fratris Bonaventure;* et infra: *Flecto genua mea ad* etc. Desinit ut in editis: *Deus benedictus in secula seculorum. Amen. Finis Breviloquii.* — In hac nostra editione signatur littera T.

2. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. membr. in 4. minore, saec. XIII. circa finem; sign. n. 4. — Praemittitur: *Breviloquium Bonaventure. Sancti Spiritus adsit nobis gratia.* Eadem antiqua manus prosequitur: *Incipit prologus. Flecto genua mea* etc., usque ad finem ut in editis. — Sign. U.

3. *Ibidem,* cod. 127. membr. in 4. saec. XIII. exeunt. — Fol. 1. r. praemittitur: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure in opere totius sacre scripture. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. ultimo codicis ut in editionibus. — Sign. V.

4. *Claris Aquis,* in archivo nostri Collegii, cod. membr. in 4. saec. XIV. circa med. — Praemittitur fol. 1. r.: *Incipit prologus fratris Bonaventure albanensis episcopi in librum, qui dicitur Breviloquium de summa totius theologie. Flecto* etc.; et prosequitur usque ad finem sicut ceteri; cui idem scriptor addidit: *Explicit Breviloquium secundum fratrem Bonaventuram, ministrum fratrum minorum. Egidius frater opus hoc sudando labore — Miro fratre Thoma scripsit rogitante decore — Supplico scribenti mihi quod pariterque legenti — Dentur summa Deo consumto dante tropheo.* — Sign. I.

5. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, cod. B. VII. 1166. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Fol. 3. col. 1. legitur litteris rubris ab antiqua manu exaratis: *Incipit prologus in Breviloquium fratris Bonaventure ordinis minorum. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 30. v. col. 1. sic: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.* — Sign. O.

6. *Ibidem,* in bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Pluteus XXVII. Dext. 9. cod. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — In superiore margine primi folii litteris rubris praemittitur: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure.* Hinc col. 1: *Flecto genua mea* etc. Desin. fol. 50. r. col. 2; additur: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.* — Sign. P.

7. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, Plut. XXVII. Dext. 7. cod. membr. in fol. saec. XIV. — Breviloquium incipit fol. 1. col. 1. sub nomine auctoris, desinit fol. 37. v. ut in editis. — Sign. Q.

8. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. lat. 22273. membr. in fol. minor. saec. XIII. exeunt. — Fol. 1. a manu eiusdem aevi praemittitur hic titulus: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure. Flecto genua* etc. Desinit fol. 40. r. col. 2; additur: *Explicit Breviloquium.* — Sign. A.

9. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 16067. membr. in 4. saec. XIII. sub fine. — Fol. 1: *Incipit prologus super Breviloquium.* Desinit fol. 54. v. ut in editis. Deinde scriptor adiungit: *Finito libro sit laus et gloria Christo* — Sign. B.

10. *Ibidem,* cod. 5950. chart. in 4. saec. XIV. exeunt. — Fol. 44. r.: *Incipit prologus in Breviloquium;* hoc praemisit scriptor absque nomine auctoris, deinde prosequitur: *Flecto genua*

mea etc. Desinit fol. 192. r., cui additur simpliciter: *Bonaventura.* — Sign. C.

11. *Ibidem*, cod. 2633. membr. in 8. saec. XIV. ante medietatem. — Fol. 1. r. in superiore parte praemittitur: *Incipit Breviloquium pauperum de necessariis theologie. Prologus.* Hinc col. 1: *Flecto genua* etc. Desinit fol. 49. v. ut editi. Scriptor iterum addit: *Explicit Breviloquium pauperum de intelligentia sacre scripture et fidei christiane. Amen. Qui scripsit scripta, manus eius sit benedicta.* — Sign. D.

12. *Ibidem*, cod. 2649. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Praemittitur fol. 74. r. pro titulo: *Incipit Breviloquii prologus theologice veritatis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 145. r. — Sign. E.

13. *Ibidem*, cod. 2657. membr. in fol. saec. XIV. — Incipit fol. 145. r. col. 1. sub titulo: *Breviloquium pauperum.* Desinit fol. 207. r. col. 1. in fine. — Sign. F.

14. *Ibidem*, cod. 14827. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Incipit absque titulo fol. 221. r. col. 1. et desinit fol. 275. v. col. 2. ut editi; additur: *Explicit.* — Sign. G.

15. *Ibidem*, cod. 13102. membr. in 4. saec. XIV. exeunt. — Fol. 111. r. col. 2. legitur: *Incipit prologus in Breviloquium.* Et iterum post tabulam capitulorum: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure ordinis minorum, cardinalis romane ecclesie et episcopi albanensis.* Prima et aliae litterae initiales sunt omnes minio et auro decoratae ac ornatae. Desinit fol. 166. r., addito: *Explicit Breviloquium. Deo gratias.* — Sign. H.

16. *Ibidem*, cod. 17836. chart. in fol. saec. XV. (olim Steingadeni 36.). — Fol. 3. r. legitur: *Bone venture ordinis minorum. Incipit Breviloquium pauperis in scriptura. Flecto genua mea* etc. Folio 51. r. post finem alia manus addit: *Finit Breviloquium Hugonis, quem alium esse Bonam venturam quidam dicunt, moti forsan, quia prescriptio, tacens de nomine, dicit in rubrica: Incipit Breviloquium pauperis in scriptura, et quia Bonaventura fuit ordinis minorum et vite pauperis Francisci plantatoris descriptor perelegans, astruunt eum huius operis editorem.* — Sign. N.

17. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. G. VII. 35. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. — Fol. 4. r. in parte superiore habetur: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti incipit Breviloquium fratris Bonaventure de ordine beati Francisci. Flecto genua mea* etc. Desinit ut in editis. — Sign. W.

18. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. F. VII. 37. membr. in 8. saec. XIII. sub fine. — Praemittitur titulus: *Breviloquium magistri Bone venture de ordine fratrum minorum.* In fine additur: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane. Amen.* — Sign. Z.

19. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 16499. membr. in 4. saec. XIII. post medietatem. — Breviloquium incipit fol. 129. r. col. 1. vertis: *In principio intelligendum est.* Desin. fol. 138. v. Additur: *Explicit Breviloquium.* — Sign. R.

20. *Trecis* in Gallia, cod. 1891. membr. in 8. miscellaneus. — Fol. 292. r. habet a prima manu: *Breviloquium Bonaventure de intelligentia sacre scripture.* Sequitur prologus, tabula capitulorum, et desinit fol. 326. r. prope finem; tandem addit eadem antiqua manus: *Explicit Breviloquium fratris Bone venture de ordine minorum ad intelligentiam sacre scripture et fidei christiane. Anno Domini MCCLVII.* — Sign. S.

21. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 137. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Incipit fol. 5. r., in quo alia manus eiusdem aevi praemisit: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.* Desinit fol. 80. r. ut in editis. De hoc codice vide quae diximus tom. I. pag. LXIX n. 45. — Sign. K.

22. *Ibidem*, cod. 164. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Fol. 1. r. eadem manus exaravit: *Breviloquium editum a fratre Bonaventura de intelligentia fidei et sacra scriptura.* Desinit fol. 122. r. col. 2. per verba: *Explicit. Deo gratias.* — Sign. L.

23. *Ibidem*, cod. 113. membr. in 8. parvo, saec. XIII. post medietatem, Bonaventurae coaevus. — Posterior manus saec. XIV. praemisit: *Incipit Breviloquium Bone venture. Prologus in Breviloquium.* Deinde manus prima prosequitur: *Flecto genua mea* etc. Desin. fol. 294. v. Inde eadem manus, quae titulum posuit, adiunxit in fine: *Explicit liber Breviloquii. Qui hunc explevit et incepit in eternum cum domino valeat permanere.* — Sign. M.

Inter relatos codices antiquitate et auctoritate primatum tenet cod. Trecensis (S), cum scriptus sit eodem anno, quo S. Doctor electus est Generalis Ordinis Minorum. Huic aetate et bonitate prope accedit cod. Tudertinus (M), qui tamen in quibusdam rebus minutis videtur pauca interdum mutasse pro faciliore intelligentia; et deinde sequuntur alii codices saec. XIII, praesertim Neapolitanus (W) et duo Monacenses (A B). Etiam E, licet sit recentior saepe convenit cum S. Ab hac familia magis recedunt I K O Q U V. Cod. P magis favet primae familiae, habet tamen sua specialia et nonnulla omittit, sicut etiam L.

Textus huius opusculi, praesertim in duabus ultimis editionibus, prae ceteris nostri auctoris operibus fuit satis correctus; unde, exceptis paucis locis, errores vel lacunae magni momenti non occurrebant. Attamen res minutas, quae spectant ad electionem terminorum magis propriorum, praesertim quoad particulas orationis, ad positionem verborum et ad eliminationem quorundam verborum per modum glossae insertorum, v. g. *scilicet*, in omni pagina pluries mutavimus. Porro theses a probatione earum typographice distinximus, locos multos ipsius auctoris et aliorum ad calcem indicavimus et adiectis notis marginalibus uberrimam materiam brevissime expressam uno contuitu facilius intuendam curavimus.

In textu reformando has regulas secuti sumus. Quando codices saec. XIII. conveniebant contra recentiores codices, quod plerumque evenit, lectio illorum praeferenda erat, nisi aliunde aliqua ratio obstaret. Si soli duo antiquiores codices (S M) *meliorem* lectionem praebebant quam alii, etiam in hoc casu eam recepimus. Dissentientibus autem antiquioribus, elegimus lectiones, quae nobis probabiliores videbantur, vel verba in editionibus tradita retinuimus.

Ceterum vix credibile videri posset, quantam minutarum differentiarum farraginem ex codicum collatione collegerimus. Praesertim recentiores codices et inter se et ab antiquis codicibus et ab editionibus fere in omni linea in talibus dissidebant. In solo loco S. Anselmi (pag. 290, col. 2. et pag. 291) ultra 140 lectiones variantes habemus collectas, quarum tantum paucae a nobis receptae, vel ad calcem notatae sunt.

In fine c. 4. partis II. inventum est in cod. A et duobus aliis additamentum satis grande, quod, quia spurium nobis videbatur, ad calcem posuimus (cfr. pag. 222, nota 2.).

Ex codice Trecensi (n. 20.) scripto an. 1257 confirmatur praesumtio per se verisimilis, quod S. Doctor Breviloquium scripserit ante ipsius promotionem ad supremum Ordinis ministerium.

II.

Codices a nobis non collati.

24. *Admontis* (Admont) in Austria, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. 207. chart. saec. XV. sine foliorum numeratione. — Circa medietatem codicis habetur: *Breviloquium theologye, quod confecit egregius doctor Bonaventura, cuius merces sit Deo. Flecto genua mea* etc. Ad calcem additur: *Et hec finis sit in laude Patris luminis eiusque Filii benedicti cum Virgine virginum eius genitrice, salva correctione non invidiosa etc. Finitum per Chorradum Ersl.*

25. *Ibidem*, cod. 253. membr. in fol. saec. XIV. — Incipit fol. 5. r. sine ullo titulo; in fine additur: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.*

26. *Ibidem*, cod. 671. membr. saec. XIV. ante med. — Incipit fol. 1. r. In hoc etiam codice reperitur additamentum quoddam ad cap. 4. partis II, de quo loquimur infra pag. 222, nota 2. In fine huius Breviloquii nonnulla deficiunt.

27. *Ibidem*, cod. 657. chart. in 4. saec. XV. ineunt. — Initio nullus praemittitur titulus, sed ad calcem additur: *Explicit Breviloquium Bonaventure.*

28. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, cod. membr. in 8. sign. n. 25, mutilus; ex Breviloquio supersunt prologus et capitula nonnulla primae partis, cetera sunt avulsa.

29. *Atrebatis* (Arras) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 522. membr. in 8. saec. XIV. — Alia manus posterior primo notavit: *Bibliotheca Monasterii sancti Vedasti atrabatensis.* Deinde col. 1. prosequitur antiqua manus: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure;* hinc fol. 54. v. col. 2. addit: *Explicit Breviloquium;* alia manus prosequitur: *vel compendium theologie. Sit tibi laus Christe, quia conditus est liber iste, a te scribenti da gaudia Deus petenti.*

30. *Ibidem*, cod. 1015. membr. in 4. saec. XIV. — Antiquo titulo: *Breviloquium pauperis in scriptura sacra*, recenter additum est nomen auctoris. Codex est mutilus, desunt enim partes sexta et septima.

31. *Ibidem*, cod. 544. membr. in 8. saec. XIV. — Initio praemittitur titulus sicut in cod. praecedente sine nomine auctoris, et titulus repetitur in fine verbis: *Explicit Breviloquium pauperis.*

32. *Bambergae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. V. 31. chart. in 4. saec. XV. — Est titulus: *Breviloquium Bonaventure in sacra scriptura.* Desinit fol. 104. v. ut in editis.

33. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. IX. 26. membr. in 8. saec. XIII. — Praemittitur: *Incipit Breviloquium pauperis;* scriptor saec. XV. addit: *Bonaventure.* Et in fine: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure generalis ministri fratrum minorum.*

34. *Ibidem*, cod. B. X. 27. membr. in 4. parvo, saec. XIV. ineunt. — Post opus Hugonis de Claustro animae: *Incipit Breviloquium Bonaventure. Flecto* etc.; prosequitur ut in editionibus.

35. *Ibidem*, cod. B. IX. 7. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Fol. 3. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in sacra scriptura.* In calce adiicitur simpliciter: *Explicit Breviloquium pauperis.*

36. *Ibidem*, cod. A. V. 16. chart. in fol. saec. XV. — Habet titulum in superiore parte folii: *Incipit Breviloquium super theologia editum per reverendum dominum cardinalem Bonaventuram ordinis fratrum minorum.* Eadem leguntur ad calcem operis.

37. *Ibidem*, cod. A. II. 22. chart. in fol. saec. XV. — Praemittuntur initio verba: *Breviloquium Bone venture*, et subiiciuntur fini: *Explicit Breviloquium fratris Bone venture.*

38. *Ibidem*, cod. A. VI. 32. chart. saec. XV. — Incipit ut praecedens, in fine: *Explicit Breviloquium pauperis Bone venture.*

39. *Bernae* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 271. in fol. membr. saec. XIV. — Continet fragmenta et excerpta ex Breviloquio; inscribitur: *Viridarium consolationis.* Habet initium: *Quoniam omne peccatum.*

40. *Berolini*, bibliotheca Regia, cod. theol. lat. 84. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Inscribitur sine auctoris nomine: *Breviloquium pauperis in scriptura.* Desunt capitula septimae partis praeter primum.

41. *Ibidem*, cod. fol. lat. 79. membr. saec. XIV. — Recens manus inscripsit *sancto Bonaventurae*, sed antiqua exaravit: *Libellus, qui dicitur Breviloquium scientiarum.* Desinit: *in secula. Amen.*

42. *Ibidem*, cod. fol. lat. 172. chart. — Est titulus: *Breviloquium Bonaventure.* Additur ad calcem: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane, cuius maior pars per Io. Tollemer, et finis per me L. Kounyncpeters Embrice scriptus est anno 1446. aetatis 33. feria secunda post Dominicam Iubilate.*

43. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 293. membr. saec. XIII. sub fine. — Scriptor parum antiquo posterior posuit pro titulo: *Breviloquium Bonaventure.* Desin. fol. 81. v. col. 2.

44. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 708. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 202. v. sub titulo: *Breviloquium Bone fortune super sententias magistri Petri.* Desinit fol. 232. v.: *in secula seculorum benedictus. Amen.*

45. *Ibidem*, cod. 2793. membr. saec. XIV. — Breviloquio praemittitur: *Incipit tractatus pauperis in divina pagina;* et fini subiicitur: *Explicit liber de intelligencia divine scripture.* Alia manus subiungit: *Explicit Breviloquium Bonaventure de intelligencia sacre scripture, quod etiam non immerito dici potest compendium rationum theologie, propter pulcras et efficaces sacre theologie rationes in eo ubique positas.*

46. *Ibidem*, cod. 3728. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 101. r. sub titulo: *Breviloqium*, ab alia manu additur: *Bonaventure.* Sed fini prima manus adiecit: *Explicit Breviloquium domini Bonaventure.*

47. *Budapestini*, bibliotheca Musaei Nationalis Hungarici, dicta Szechenyana, cod. lat. 73. membr. in 8. saec. XIV. — Post opus Centiloquii sub nomine sancti Bonaventurae sequitur Breviloquium eidem inscriptum.

48. *Campolilii* (Lilienfeld) in Austria, bibliotheca Monasterii Cisterciensium, cod. 106. chart. in fol. — Scriptor Breviloquio praemisit hanc rubricam fol. 166. v.: *Continentia Breviloquii Bonaventure. Misterium Deitatis contemplare fidelis — Cerne creaturam mundi, mirare creantem — Spirituum casum, lapsum meditare parentum — Verbum carnatum, genus humanum reparatum — Gratia, virtutes, quae sint precepta, petenda — Sacramenta nove legis ceu vasa salutis — Gloria celestis et qualis pena perhennis.* Etiam fini placuit pio scriptori addere haec alia: *O dulcis Christe, me tecum flagito siste,*

quo nihil est triste, quoniam liber explicit iste. 1456. Explicit Breviloquium Bonaventure de ordine mundi (sic).

49. *Ibidem*, cod. 139. membr. in fol. saec. XIV. — Initio praemittitur tantum: *Incipit prologus in Breviloquium.* Desinit ut in editis, deinde additur: *Explicit opusculum fratris Bonenventure de ordine fratrum minorum, qui fuit magister Parisius; et dicitur opus istud Breviloquium extractum de summa, quam fecit super sententias. Gratias Christo agamus, qui perficit in nobis esse bonum opus. Qui scripsit scribat, semper cum Domino vivat. B.* (in marg. Bernhardus) *nuncupatur, a Christo benedicatur.*

50. *Cantabrigae* in Anglia, bibliotheca Universitatis, cod. Li. VI. 15. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 23. r. incipit absque ullo titulo: *Flecto genua mea* etc. Desin. fol. 104. v., cui additur: *Explicit Breviloquium Bonaventure.*

51. *Ibidem*, cod. Dd. IV. 50. chart. saec. XV. — Fol. 52. seq. complectitur capita nonnulla II. partis Breviloquii.

52. *Ibidem*, cod. Ff. I. 18. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 124. col. 2: *Incipit quoddam opusculum de Trinitate Dei et de creatore mundi* etc. Desinit fol. 182. r. ut editi.

53. *Ibidem*, cod. Ff. VI. 51. membr. in 8. saec. XIV. — Continet rubricas capitum et partium Breviloquii.

54. *Ibidem*, bibliotheca Collegii Corporis Christi, cod. LXXIII. membr. in fol. saec. XIV. non numer. — Post finem Itinerarii mentis in Deum sequitur: *Incipit prohemium in librum, qui dicitur Breviarium magistri Bone fortune ordinis minorum ministri generalis.*

55. *Ibidem*, cod. 477. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. habet: *Incipit Breviloquium pauperis in sacra scriptura.* Eadem repetit in fine sub verbo: *Explicit*, absque ullo nomine auctoris.

56. *Ibidem*, in Aula Pembrochiana, cod. B. II. membr. in 8. saec. XIV. — Est sub nomine: *Breviloquium Bonaventure.* Iterum in fine: *Explicit Breviloquium.*

57. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sanctissimae Trinitatis, cod. B. I. 44. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit sine ullo titulo, desinit ut in editis; hinc scriptor addit: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.*

58. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Emmanuelis, cod. I. 3. 22. membr. in 4. saec. XV. — In capite primi fol. legitur: *Incipit Breviloquium pauperis in sacra scriptura fratris Bonaventure.* Eadem repetuntur in fine, ubi nomini Bonaventurae additur: *Ordinis minorum et cardinalis albanensis.*

59. *Cesenae* in Italia, bibliotheca Malatestiana, Plut. XIII. cod. II. mebr. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. sine titulo, desinit fol. 64. v. Post finem additur: *Explicit tractatus introductorius* [in] *intelligentiam sacre scripture et fidei christiane. Iste liber editus est a reverendo patre fratre Bonaventura de ordine minorum sedis apostolice cardinali. Et est compendium theologie et fidei christiane.*

60. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 1248. A. A. VI. 2. chart. in fol. saec. XV. exeunt. — Breviloquium incipit pag. 1 et desinit pag. 210 ut in editionibus.

61. *Ibidem*, cod. D. D. XII. 20. chart. in 8. — Incipit fol. 7. r: *Flecto genua mea... plenitudinem Dei.* Interponitur: *Nodus triplex theologie*, et sequitur: *Magnus doctor* etc. Post finem additur: *Explicit Breviloquium Bone venture, Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo.*

62. *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Patrum ordinis S. Benedicti, cod. 113. chart. in 4. saec. XIV. — Incipit Breviloquium fol. 61. r. col. 1. sine titulo, desinit fol. 130. col. 2; additur: *Explicit Breviloquium Bonaventure.*

63. *Ibidem*, cod. 117. chart. in 4. saec. XV. — Breviloquium est fol. 119. r. sub titulo: *Incipit tractatus introductorius in intelligenciam sacre scripture et fidei christiane.* Desinit fol. 189. r. Post *amen* scriptor prosequitur: *Finitus est libellus iste anno domini MCCCCXLVIII. undecima die mensis septembris. Explicit liber bonus et optimus.*

64. *Cusae* apud Castellum Tabernarum (Berncastel) in Borussia, bibliotheca Hospitalis, cod. D. 46. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Fol. 1. r. col. 1: *Incipit Breviloquium magistri Iohannis Bone aventure. Prima pars, de Trinitate Dei, habet capitula novem. In principio* etc., protenditur usque ad cap. 2. septimae partis, reliqua avulsa sunt.

65. *Ibidem*, cod. D. 59. membr in 8. saec. XIII. exeunt. — In initio habet: *Incipit Breviloquium Bonaventure.* Mutilus est in fine sicut praecedens.

66. *Darmstadii* in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 101. r.: *Incipit compendium sacre scripture Bonaventure.* Desinit fol. 168. r. post initium.

67. *Ibidem*, cod. 1004. membr. in 8. saec. XIV. exeunt. — Praemittitur: *Breviloquium Bone venture in sacram scripturam.* Explicit fol. ultimo codicis parte versa.

68. *Ibidem*, cod. 706. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Post verba: *Flecto genua mea* intra columnam scribitur: *compendium Bone venture.* Desinit fol. 89. ut in editis.

69. *Donaueschingen* ad fontes Danubii in Baden, biblioth. Principis Fürstenberg, cod. 223. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. — Operi praemittitur: *Incipit Breviloquium pauperis in sacra scriptura.* Alia manus notavit: *primus liber est Breviloquium magistri Bonaventure in theologia.*

70. *Dresdae* in Saxonia, cod. A. 55. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 204. alia manus inscripsit: *Breviloquium sancti Bonaventure*, et fol. 205. post finem adiecit: *Deo gratias. Explicit Breviloquium Bone venture, finitum in die Oswaldi* etc. *LX. anno* (1460).

71. *Ibidem*, cod. A. 191. membr. in 4. saec. XIII. — In parte superiore 1. fol. manus posterior exaravit: *Fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum et cardinalis.* Hinc prima manus: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure.* Desinit folio 65. r. ut in editis.

72. *Einsiedeln* in Helvetia, bibliotheca Monasterii, cod. 276. membr. in 8. saec. XIV. — Manus posterior exaravit pro titulo: *Bonaventure theologia.* Continet Breviloquium a pag. 1. ad 223.

73. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca Regia, collectio Amploniana, cod. 103. membr. in fol. — Breviloquio subiicitur: *Explicit Breviloquium Bonaventure cardinalis, scriptum de anno MCCCLX. XXIII. martii.*

74. *Ibidem*, cod. 35. chart. in 8. saec. XV. — Habet in initio: *Incipit Breviloquium in tota sacra pagina*, et subiicitur fini: *Explicit Breviloquium sacre theologie Bonaventure scriptum et completum per me Engelbertum Toglant.*

75. *Ibidem*, cod. 12. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. — Fol. 48. v. in summa parte legitur: *Incipit Breviloquium*, et fol. 131. v. post finem additur: *Dextera scriptoris benedicta sit omnibus horis.*

76. *Ibidem*, cod. 20. membr. in 4. saec. XIV. — Est titulus: *De ortu, progressu et statu sacre scripture.* Breviloquium passim abbreviatum et incompletum.

77. *Ibidem*, cod. saec. XV. inscriptus: *Isti sunt libri, quos ego Amplonius Ralynek de Berka habeo;* sub n. 133. recenset: *volumen bonum, sed parvum, in quo sunt Breviloquium Bonaventure quatuor sententiis correspondens* etc.

78. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. chart. in fol. exaratus anno 1457. — Fol. 299. legitur: *Sequitur Breviloquium Bonaventure.* Desinit fol. ultimo codicis verbis: *Et sic est finis Breviloquii Bonaventure venerabilis magistri.*

79. *Florentiae,* bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 26. (olim Conventus Ss. Annuntiatae 1345.) membr. in 8. saec. XV. circa medium. — Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 81. r. col. 2. ut in editis.

80. *Ibidem*, cod. Leopold. CVIII. membr. in fol. saec. XV. — Titulus est fol. 112. r. col. 1. per verba: *Incipit Breviloquium in sacra scriptura, liber magistri Bone fortune.* Desinit fol. 159. col. 1. ut in editis. Dein grandioribus litteris: *Explicit Breviloquium in sacra scriptura.*

81. *Friburgi* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 3. L. membr. in fol. saec. XIV. — Breviloquium est mutilum in principio; incipit enim fol. 57. r.: *De sacramento eucharistie hoc tenendum* etc. Desinit: *ardentissime transferantur. Explicit.*

82. *Gedani* (Danzig) in Borussia, bibliotheca Ecclesiae S. Mariae, scrin. 70. cod. 2. membr. in 8. saec. XIV. — Incipit folio 1. r. sine titulo et desinit fol. 51. r. ut editi. Additur: *Explicit Breviloquium pauperis hominis in scriptura.*

83. *Genevae* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 23. partim membr. in fol. saec. XV. — Fol. 112. r. prima manus exaravit: *Incipit compendium fratris Bonaventure.* Ad calcem altera, sed coaeva manus notavit: *Liber iste totus correctus ad exemplaria, prout se dedit opportunitas, ut maiori animo ipsum conspicientes studium adhibeant, preces fundite pro his qui operam libro dederunt.* — Alia iterum manus sic Breviloquium commendat: *Si libro predicto volueris cum omni diligentia laborare ac studiose in animo recondere quae in ipso descripta sunt, ex omnibus his quae Magister sententiarum in suo libro conscripsit, intellectum capies ac in theologia fructum magnum presenties, quemadmodum poterit experientia docere.*

84. *Giessae* in Hassia, cod. 673. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 243. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura*, et fol. 295. r. legitur: *Explicit Breviarium Bone venture.*

85. *Gottingae* in Hannovera, bibliotheca Universitatis, cod. th. Luneb. 33. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. sine titulo. Desinit verbis: *Explicit tractatus, qui dicitur Breviloquium, editus a Bonaventura ordinis fratrum minorum.*

86. *Gottwiciae* (Göttweig) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 254. chart. in fol. saec. XV. — Continet inter alia Breviloquium sub rubrica: *Incipit tractatus introductorius ad intelligentiam sacre scripture et fidei christiane, de illis septem de quibus est theologia.* Desinit: *Et sic est finis Breviloquii Bone venture egregii doctoris super sacram paginam. Anno domini MCCCCLVII. feria 4. post festum s. Galli, die XIX mensis octobris, hora vesperarum in sacro Basileensi concilio pronunciatum.*

87. *Gratianopoli* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 772. membr. in 8. saec. XIV. exeunt. — Fol. 6. r. inscribitur: *Incipit prologus in Breviloquium a fratre Bonaventura ordinis minorum compositum.* Ad calcem additur: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.*

88. *Hafniae* urbs princeps in Dania, bibliotheca Regia, cod. 1381. chart. in 4. — Circa medietatem voluminis fol. r. sine numero notatur: *Incipit Breviloquium Bone venture.* Desinit: *nobis prestet omnipotens Deus. Amen. Explicit Breviloquium Bone venture communiter nominatum. Anno Domini 1414. in profesto vincula Petri* (sic).

89. *Hagae comitum* in Hollandia, cod. 206. membr. in 8. saec. XIV. — Breviloquium incipit et desinit absolute sine ullo titulo; quae ipsum praecedunt et sequuntur exarata sunt saec. XV.

90. *Heidelbergae,* bibliotheca Universitatis, cod. 358. 44. chart. in 4. saec. XV. — Habet in principio: *Incipit prologus Breviloquii Bone venture.* Desinit ut in editis.

91. *Herbipoli* in Bavaria, bibliotheca Conventus S. Crucis Minorum Conventualium, cod. C. I. 2. chart. in fol. saec. XV. — Incipit sine ullo titulo; ad finem vero haec subiiciuntur: *Domini Bonaventure doctoris devoti Breviloquium. Littavie fideliter scriptum summaque diligentia correctum explicit feliciter. Anno incarnationis Domini MCCCCLXXII.*

92. *Hilarini* (Wilhering) in Austria, bibliotheca Monasterii Patrum Cisterciensium, cod. 136. m. in 4. saec. XIII. exeunt. — Breviloquium incipit circa medietatem codicis, prosequitur usque ad cap. 6. quintae partis, cetera desiderantur.

93. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. B. B. Tab. 145. n. 17. membr. in 4. saec. XIII. — Fol. 66. r. alia manus saec. XIV. praemisit: *Incipit Breviloquium Bonaventure;* sed prima manus exaraverat ad calcem huius folii: *Breviloquium pauperis in scriptura sacra.* Desinit fol. 98. r. ut editi, addito *Explicit.*

94. *Insulis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. numero vacat (olim 22.), chart. in fol. saec. XV. — Fol. 46. r. est titulus: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure de ordine minorum.* Desinit fol. 96. v. col. 2; additur: *Finitur hic Breviloquium fratris Bonaventure de ordine minorum.*

95. *Lambacii* in Austria superiore, bibliotheca Monasterii patrum ord. S. Benedicti, cod. 142. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. — Post finem operis prima manus adiecit: *Explicit Breviloquium theologye magistri Bonaventure.* In hoc etiam cod. est additamentum ad cap. 4. partis II. ut supra n. 26.

96. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 312. chart. in 4. — Fol. 2. r. in parte superiore praemittitur: *Incipit Breviloquium eximii doctoris Bonaventure super quatuor libros sentenciarum.* Eadem repetuntur post *Explicit* cum hac additione: *Finito libro sit laus et gloria Christo: et iste libellus est finitus anno Domini MCCCC55. in octava sancti Kiliani martyris Patroni nostri et Monasterii Lambacensis.*

97. *Leodii* in Belgio, bibliotheca maioris Seminarii, cod. H. 1. chart. in 8. saec. XV. — Est sub nomine auctoris in principio et fine hoc modo: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure de intelligentia sacre scripture. Laus Deo trino et uno in eternum.*

98. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina, cod. 426. chart. in fol. saec. XV. — Initio et fine post *Explicit* titulatur: *Breviloquium Bonaventure*, simpliciter.

99. *Ibidem*, cod. 667. in fol. saec. XIV. — Praemittitur: *Incipit prologus in Breviloquium fratris Bonaventure,* additur in fine: *Explicit Breviloquium fratris Bone venture introductorius totius sacre scripture.*

100. *Ibidem*, cod. 862. membr. in 8. miscellaneus. — Breviloquium est saec. XIV. ineunt. sub titulo: *magistri Bonaventure*

Breviloquium pauperis in sacra scriptura. Incipit fol. 163. r. et desinit fol. 196. v. col. 2. ut in editis.

101. *Londini* in Anglia, collectio Arundeliana, cod. 336. membr. in 8. saec. XIV. — Breviloquium incipit fol. 1. r. col. 1. a tabula capitulorum, deest prologus; est mutilum etiam in fine, desinit enim cap. ultimo partis VII. verbis: *quanto differt Creator a creatura.*

102. *Ibidem*, collectio Regia, cod. 8. D. III. membr. in 4. saec. XIV. — Ad calcem 4. fol. scriptor posuit titulum operis: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* E regione vero: *Summa Bonaventure.* Desinit fol. 49. v. col. 1. ut editi.

103. *Ibidem*, collectio Lambethana, cod. 485. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Breviloquium incipit fol. 127. r. et desinit fol. 203; manus posterior adiecit: *Explicit compendium theologie fratris Bonaventure.*

104. *Ibidem*, collectio Harleana, cod. 3811. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 8. praemittitur: *In nomine D. N. I. C. incipit Breviloquium Bone venture*, et desinit fol. 152. v. ut in editis.

105. *Ibidem*, cod. 3995. membr. in 4. saec. XV. — Est titulus fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium de veritate theologie fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.* Desinit fol. 42. v., adiungitur: *Facto fine, laudetur ergo Maria. Amen.*

106. *Ibidem*, cod. 1801. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 9. r. in superiore parte legitur: *Titulus huius opusculi est Breviloquium pauperis de VII partibus theologie.* Etiam in fine, qui est fol. 63. v., post *Explicit* scripsit prima manus, quae opus exaravit: *Summa fratris Bonaventure de septem partibus theologie.*

107. *Ibidem*, collectio Regia, C. 10. XII. cod. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Breviloquium incipit fol. 2. r., cui alia, sed antiqua manus hanc rubricam praefixit: *Summa Bonaventure, cuius intentio patet per rubricas verso folio conscriptas.* De hoc codice locuti sumus etiam tom. III. pag. VIII n. 43. et tom. IV. pag. VI n. 45.

108. *Ibidem*, collectio Arundeliana, cod. 332. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 162. r. in margine superioris partis exaratus rubris litteris est titulus: *Summa Bonaventure.* Desinit fol. 230. ut in editis.

109. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 8. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. est titulus sic inscriptus a manu prima: *Incipit prologus in Breviloquium fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.* Desinit fol. 95. v. in fine sine ullo additamento.

110. *Ibidem*, cod. 152. chart. in 4. saec. XV. — In principio voluminis notatur: *Liber Henrici de Merevick pastoris in Arssig* (Arsen?), deinde eadem manus: *Contenta in hoc volumine. Breviloquium Bonaventure de sacra theologia per rationes sumtas a primo principio.* Antiqua manus notavit tantum: *Incipit Breviloquium in prologus* (sic) *pauperis in scriptura sacra.* Incipit fol. 2. r. et desinit fol. 82. v. col. 2. verbis: *in secula seculorum. Amen.*

111. *Ibidem*, cod. 168. membr. in 8. saec. XV. — A fol. 60. r. usque ad fol. 90. r. complectitur Breviloquium in compendium redactum, cui praemittitur hoc elogium: *Incipiunt veritates theologie, quas Bonaventura in septem partes distinctas in Breviloquio suo ponit, singulis singulas subnotans rationes non tam pulcherrimas quam verissimas, hic brevitatis gratia praetermissas.* Additur in fine: *Expliciunt veritates theologie.*

112. *Lucernae* in Helvetia, bibliotheca Cantonalis, cod. 15. membr. in fol. saec. XV. — Est sub titulo: *Incipit Breviloquium fratris Bone venture.* Opus detruncatum; prosequitur enim usque ad partem III. tantum.

113. *Lugduni* in Gallia, cod. 162. membr. in 4. — Initio praemittuntur haec verba: *Incipit Breviloquium fratris Bone adventure episcopi cardinalis ad explanationem totius theologie in sex* (sic) *partes distinctum. Prologus.* Eadem repetuntur ad calcem, quibus additur: *Laus Deo. 1. 449.*

114. *Mantuae* in Italia, bibliotheca Publica, cod. 292. C. I. 30. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Titulus: *Breviloquium Bonaventure ordinis minorum de doctrina sacre scripture.* Incipit et desinit ut editi.

115. *Ibidem*, cod. 885. H. I. 11. membr. in 8. saec. XIII. sub fine. — Breviloquium est anonymum et sine ullo titulo.

116. *Matriti*, bibliotheca Universitatis, vulgo *del Noviziado*, cod. 118-6. chart. in 8. saec. XIV. — Est sine nomine auctoris et desinit fol. 75. v.

117. *Medelci* in Austria, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, cod. C. 22. chart. in fol. — Fol. 64. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* Ad finem fol. 107. additur: *Explicit Breviloquium Bonaventure secunda feria ante nativitatem virginis Marie, anno 1463.*

118. *Mediolani* in Italia, bibliotheca Universitatis *Brera*, cod. A. F. XIII. 35. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Fol. 1. r. habetur: *Incipit prologus super [illegible] compilatam a fratre Bonaventura de ordine minorum de veritate theologie et dicitur Breviloquium eiusdem.* Desinit fol. 24. v. in secundo capitulo sextae partis. Reliqua desiderantur.

119. *Ibidem*, cod. A. D. IX. 40. membr. in fol. saec. XV. — Praemittitur Breviloquio tantum hoc verbum: *Proemium.* Ad calcem non scriptor, sed forsan corrector codicis haec notavit: *D. Ios. Dominichus de Pegiis fecit hoc die ultimo Iulii, MDXXXIII.*

120. *Meiningen* in Germania, bibliotheca Principis, cod. II. lat. I. progress. 208. chart. saec. XV. — Incipit sine titulo fol. 218. v. et desinit fol. 250. ut in editis.

121. *Ibidem*, II. lat. I. progress. 2. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Incipit fol. 1. r. et desinit fol. 52. Prima manus addit: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure generalis ministri fratrum minorum.*

122. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. 363. membr. in 4. saec. XIV. — Initio et fini additur titulus operis et nomen auctoris.

123. *Ibidem*, cod. 476. membr. in 8. saec. XIV. — Ad calcem tantum notatur: *Explicit liber quem fecit frater Bonaventura de ordine fratrum minorum.*

124. *Ibidem*, cod. 518. membr. in 8. saec. XIV. — In initio solum notantur: *Breviloquium theologie.* Desinit fol. ultimo codicis ut in editis.

125. *Ibidem*, cod. 628. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Ante ponitur: *Incipit Breviloquium hominis pauperis Bone venture.*

126. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 7711. chart. in 4. saec. XV. — Nominatur: *Compendium vite eterne fratris Bonaventure.* Etiam in fine additur: *Explicit Bonaventure qui dicitur liber vite eterne.*

127. *Ibidem*, cod. 11430. chart. in fol. saec. XV. — In fine cum titulo ponitur nomen auctoris hoc modo: *Explicit*

Breviloquium Bone venture. Deo gratias, 1450, per Iohannem de Manffelt.

128. *Ibidem*, cod. 8868. chart. in fol. saec. XV. — Praemittitur fol. 179. r.: *Incipit Breviloquium in scriptura.* Desinit fol. 229. r. sine nomine auctoris.

129. *Ibidem*, cod. 8496. chart. in 4. saec. XV. — Ad finem operis scriptor addit: *Explicit Breviloquium Bone venture. Deo gratias.*

130. *Ibidem*, cod. 9659. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Praemittitur initio: *Incipit Breviloquium quod fecit Bonaventura.* Desinit folio 74. v. ut editi.

131. *Ibidem*, cod. 9066. chart. in 8. saec. XV. exeunt. — Nomen auctoris et operis praemittitur in principio, et iterum in fine his verbis: *Finis Breviloquii sancti Bonaventure doctoris seraphici ordinis sacri minorum. Ad gloriam Dei et scriptoris.*

132. *Ibidem*, cod. 8826. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 134. incipit cum indicatione operis et auctoris. Desinit fol. 170. r. per haec verba: *Explicit Breviloquium scripture fratris Bonaventure doctoris ordinis minorum, quem sanctus Franciscus in puerili etate de fauce mortis liberavit, qui postea factus fuit magister et doctor gloriosus theologus et totius ordinis generalis minister et cardinalis.*

133. *Ibidem*, cod. 2694. membr. in 8. saec. XIV. — In principio et fine inscribitur: *Breviloquium Bone fortune.*

134. *Ibidem*, cod. 7885. chart. in fol. saec. XV. — Initio praemittitur: *Compendium fratris Bone venture cardinalis de ord. minorum*, et fini additur: *Explicit Bonaventure qui dicitur liber vite eterne.*

135. *Ibidem*, cod. 9805. chart. in 4. saec. XV. — Breviloquium incipit fol. 135. r. et desinit fol. 187. r.: *in secula seculorum. Amen.*

136. *Ibidem*, cod. 18652. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 23. r.: *Prologus in Breviloquium domini Bonaventure albanensis episcopi fratris de ordine minorum.* Etiam in fine fol. 149. v. additur: *Explicit Breviloquium domini fratris Bonaventure.*

137. *Montiscassini*, bibliotheca Monasterii, cod. 184. membr. saec. XIV. ineunt. — Incipit fol. 103. sub titulo: *Summa theologie fratris Bonaventure.* Desinit fol. 119: *Explicit opusculum fratris Bonaventure Breviloquium in scriptura. Ioannes scripsit qui benedicatur.*

138. *Montis Hannoniae* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 213. membr. in fol. saec. XV. — In initio et fine praenotatur: *Breviloquium pauperis*, sine nomine auctoris.

139. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. D. VII. 41. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium pauperis.* Desinit fol. 74. ut in editionibus.

140. *Neoburgi* (Klosterneuburg) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 581. chart. in fol. saec. XV. — Breviloquium incipit ut editum, sed deficit in cap. 1. partis III. verbis: *deficiendo a vero.*

141. *Ibidem*, cod. 937. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit et desinit absque ullo titulo operis vel auctoris.

142. *Niceae ad mare*, cod. II. XXI. H. 8. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Alia, sed coaeva manus initio praemisit: *Breviloquium doctoris seraphici d. Bonaventure, seu compendium theologie, opus insigne et preclarissimum. Flecto genua* etc. Prosequitur usque ad finem.

143. *Norimbergae*, bibliotheca Civitatis, cod. VI. 48. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Praemittitur fol. 4. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura;* in fine: *Explicit Breviloquium.*

144. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 620. chart. in 4. saec. XV. — Incipit sine titulo, sed fini additur: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane Bonaventure cardinalis et doctoris eximii, ordinis fratrum minorum. Deo gratias.*

145. *Ibidem*, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. — A fol. 1. r. prosequitur usque ad fol. 132. Post finem leguntur fere eadem, quae in praecedente notavimus.

146. *Olomucii* in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. h. 23. membr. in 8. saec. XIV. — Alia manus posuit titulum et nomen auctoris tam in principio quam in fine.

147. *Ibidem*, cod. II. d. 8. chart. in fol. saec. XV. — Sine ullo titulo praeter haec verba addita ad finem Breviloquii: *Laus tibi sit Christe, quia liber explicit iste.*

148. *Olyssipone* in Portugallia, bibliotheca Academiae scientiarum, cod. Gab. 5. Est. 19. n. 3. membr. saec. XIII. exeunt. — Breviloquio praemittitur: *Incipit liber theologie.* Prosequitur ut editi usque ad cap. 1. partis VII. ad verba: *in quo scripta sunt omnia.* Cetera desiderantur.

149. *Oxoniae* in Anglia, cod. canonic. 284. membr. in 4. saec. XIV, codex mutilus. — In principio ad finem prologi profertur titulus his verbis: *Incipit Breviloquium cuiusdam pauperculi minoris de sacra scriptura.* Eadem repetuntur post *Explicit liber septimus.*

150. *Ibidem*, cod. 265. membr. in 4. parvo, saec. XIV. exeunt. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in librum qui dicitur Breviloquium f. B.* Desinit fol. 141. ut in editis.

151. *Ibidem*, bibliotheca Bodleiana, cod. C. 16. membr. in 8. saec. XIV. — Antiqua manus omisit nomen auctoris et operis, sed recens tantum in principio scripsit: *Breviloquium S. Bonaventure.*

152. *Ibidem*, cod. Collegii S. Ioannis Baptistae, 189. membr. in 8. saec. XIV. — Idem scriptor operis exaravit in fine: *Explicit summa fratris Bonaventure.*

153. *Ibidem*, cod. 190. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Fol. 66. r. habetur: *Incipit prohemium in librum fratris Bonaventure*, et fol. 116. v. desinit: *Completo qualicumque pauperis Breviloquio, ecce amantissime in termino mentis affectus.*

154. *Ibidem*, cod. Collegii Mertonensis, 4. 10. membr. saec. XIV. exeunt. — Prima manus notavit in fine: *Explicit fratris Bonaventure breviarium.*

155. *Ibidem*, cod. Collegii Novi, 96. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit fol. 20. et desinit 139. Additur a prima manu: *Explicit Breviloquium fratris Bone fortune.*

156. *Ibidem*, cod. 291. membr. in fol. — Breviloquio praemittitur: *Incipit summa que dicitur breviarium pauperis;* et additur in fine fol. 173. r.: *Explicit Breviloquium pauperis in sacra scriptura, compilatum a fratre Bonaventura de ordine minorum, scriptum anno 1452. inceptum 6. die septembris et finitum ultimo die eiusdem. Deo gratias.*

157. *Ibidem*, cod. 88. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Incipit fol. 205. r. sub rubrica: *Prohemium in sequens opus*, sine alia indicatione. In fine, fol. 318. v. additur simpliciter *Explicit.*

158. *Ibidem*, bibliotheca Bodleiana, cod. B. 513. membr. in 4. saec. XV. — Continet Breviloquium translatum in lingua hibernica sub hac rubrica fol. 6. r.: *Translatio tractatus S. Bonaventure. Flecto genua.*

159. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15557. membr. in 4. saec. XIII. exeunt. — Incipit fol. 3. r., cui praemittitur: *Breviloquium pauperis in sacra scriptura.* In fine fol. 52. v. additur *Explicit.*

160. *Ibidem*, cod. 15829. membr. in fol. saec. XIII. — Sine ulla nota auctoris, et mutilum ante finem ad verba: *Deum quam se et omnes*, cap. ultimo partis VII.

161. *Ibidem*, cod. 14891. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. — Breviloquium incipit fol. 104. r. et desinit fol. 170. r. his verbis: *Explicit Breviloquium pauperis fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum.*

162. *Ibidem*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 906. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit fol. 63. r. et desinit fol. 109. his verbis: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.* Deest nomen auctoris, sed infra ponitur.

163. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 2042. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Incipit fol. 67. r. sub titulo: *Breviloquium pauperis in scriptura a fratre Bone aventure ordinis minorum.* Desinit fol. 84. verbis: *Explicit Breviloquium.*

164. *Ibidem*, cod. 2049. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 27. v.: *Incipit prohemium in librum qui dicitur breviarium magistri Bonaventure ministri generalis.* Eadem recurrunt fol. 63. post *Explicit.*

165. *Ibidem*, cod. 3682. membr. in 8. saec. XIV. — Incipit: *Flecto genua mea* etc., desinit fol. 118: *per amabilem consiliarium;* pauca, quae desunt, fuerunt avulsa.

166. *Ibidem*, cod. 3683. membr. in 8. saec. XIV. — Initio praemittitur: *Incipit Breviloquium pauperis.* Et post finem notatur: *Ex libris fr. Antonii Pagi ord. minorum Conventualium.*

167. *Ibidem*, cod. 16392. chart. in 4. saec. XIV. exeunt. — Habet initium fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura sacra fratris Bonaventure ad explanationem totius theologie in septem partes distinctum.* Desinit fol. ultimo codicis.

168. *Patavii*, bibliotheca S. Antonii, cod. 109. A. 4. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit sub titulo recenter exarato, sed prima manus subiunxit in fine: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture et fidei christiane*, alia manus coaeva sequitur: *Fratris Bonaventure ordinis minorum.*

169. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. e. 6. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Incipit et desinit ut in editis; sequitur in fine: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.*

170. *Portu* in Portugallia, bibliotheca Municipalis, cod. 825. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — Incipit fol. 52. r. et desinit fol. 108. v. his verbis a prima manu exaratis: *Explicit Breviloquium de intelligentia sacre scripture. Deo gratias.*

171. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. VIII. E. 14. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. — Incipit fol. 1. r. sub titulo: *Summa theologie fratris Bone venture.* Desinit fol. penult. ut editi.

172. *Ibidem*, cod. V. B. 21. chart. in fol. saec. XV. ineunt. — In initio praemittitur: *Breviloquium magistri Bonaventure.* Desiderantur nonnulla ultimi capituli.

173. *Ibidem*, cod. V. C. 6. chart. in fol. — Ad calcem tantum additur: *Explicit Breviloquium magistri Bonaventure, sub anno Domini MCCCCXII.*

174. *Ibidem*, cod. IX. C. 3. chart. in fol. saec. XV. ineunt. — Incipit post alia sine titulo. Desinit ut in editis; additur: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure de bagco* (sic) *regio, de ordine fratrum minorum. Deo gratias.*

175. *Ibidem*, bibliotheca Musaei Nationalis, cod. I. D. 11. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 152. r. alia manus exaravit: *Incipit Bonaventura super sententias magistri Petri in Breviloquium.* Desinit fol. 233. ut in editis. Deinde: *Iam tu frater cessa, quia manus est tibi fessa.*

176. *Ibidem*, bibliotheca Capituli, cod. B. LI. chart. in 4. saec. XV. — Circa medium voluminis est initium hoc titulo: *Incipit prologus in Breviloquium pauperis in scriptura.* Eadem repetuntur post *Explicit*, omisso auctoris nomine.

177. *Ibidem*, cod. C. XVII. chart. in fol. saec. XIV. exeunt. — Est titulus: *Ad honorem omnipotentis Dei incipit Breviloquium.* Desinit: *Explicit Breviloquium de articulis fidei et de intelligentia sacre scripture.*

178. *Ratisbonae*, bibliotheca Civitatis, cod. 29. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 199. r. sub titulo: *Breviloquium Bonaventure.* Desinit fol. 225. r. Post *amen* additur a prima manu: *Deo gratias, et sic est finis. Explicit Breviloquium Bone venture supra sacram scripturam, distinctum in septem libros sententiarum.*

179. *Regimontii* in Borussia, bibliotheca Regia, cod. theol. in fol. 1070. membr. saec. XIV. — Fol. 172. r.: *Incipit prohemium Breviloquii Bonaventure.* Desinit fol. 213. r. col. 2. ut in editionibus.

180. *Ibidem*, cod. 1099. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Notatur fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* In decursu operis desunt nonnulla folia, et codex detruncatur etiam in fine.

181. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. urbin. 121. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 244. r. est titulus: *Breviloquium Bonaventure ordinis fratrum minorum feliciter incipit*, et fol. 281. v. eadem repetuntur post *Explicit.*

182. *Ibidem*, cod. 590. chart. saec. XV. ineunt. — Praemittitur initio: *Incipit Breviloquium Bonaventure.* Prosequitur et desinit ut editio.

183. *Ibidem*, cod. Palat. 138. membr. in 4. saec. XIII. exeunt. — Habet pro titulo simpliciter: *Incipit Breviloquium in sacra scriptura.* Multas exhibet postillas tam in margine quam ad calcem foliorum, manu saeculi XV. exaratas, ut videtur.

184. *Ibidem*, cod. 919. — De hoc codice locuti sumus tom. I. pag. LXIX n. 39. Opus comprehenditur a fol. 1. usque ad 70; in principio notatur: *Incipit Breviloquium Bonaventure.*

185. *Ibidem*, cod. 921. membr. in 8. saec. XIV. — Ad finem tantum profertur nomen auctoris sic: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure.*

186. *Ibidem*, cod. 920. membr. saec. XIV. — Inscribitur: *Breviloquium*, simpliciter. Manus aevi posterioris pluribus in locis opus correxit.

187. *Ibidem*, cod. 922. membr. in 8. saec. XIV. — Habet ab initio titulum: *Breviloquium*, sed omittitur nomen auctoris.

188. *Ibidem*, cod. Regin. 62. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 41. in parte superiore legitur: *Incipit prologus in Breviloquium fratris Bonaventure de ordine minorum;* et fol. 143. post finem additur: *Finito libro, referamus gratias Domino nostro Iesu Christo.*

189. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. A. V. 51. membr. saec. XIV. — In fine subiungitur: *Explicit Breviloquium fratris Bonaventure, magistri Parisius nec non et ministri generalis ordinis fratrum minorum, de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.*

190. *Ibidem*, cod. A. VI. 16. membr. in 8. saec. XIV. — Est sub titulo *Breviloquii* et nomine *fratris Bonaventure.*

191. *Ibidem*, cod. B. VI. 30. membr. in 8. saec. XIV. — Incipit sine auctoris nomine, sed subditur fini: *Explicit Breviloquium beati domini Bonaventure ordinis fratrum minorum super theologia.*

192. *Ibidem*, cod. A. V. 43. membr. in 8. saec. XIII. — Legitur fol. 1. r.: *Incipit prologus in Breviloquium pauperis in scriptura.* Desinit ut in editis.

193. *Ibidem*, bibliotheca Angelica, cod. F. 6. 13. chart. saec. XV. exeunt., valde nitidus et pulcre depictus. — In initio et fine exhibetur nomen operis et auctoris sub titulo *sancti* et *Doctoris seraphici.*

194. *Rothomagi* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. A. 464. membr. in 4. saec. XIII. — Habet pro titulo: *Incipit Breviloquium pauperis de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.* Desinit his verbis: *Explicit iste liber, scriptor sit crimine liber. Deo gratias.*

195. *Salisburgi*, archivum Monasterii S. Petri, cod. A. IV. 32. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Breviloquium nullum habet titulum, sed manus saec. XV. praemisit in initio: *Incipit tractatus Bone venture.*

196. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, cod. Hospital. 116. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Codex est mutilus in principio; incipit a § 1. Prologi. Deest nomen operis et auctoris.

197. *Schaffhusae* in Helvetia, bibliotheca Pastorum, cod. 70. membr. in 8. saec. XIII. — Fol. 1. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* Est sine ullo nomine auctoris. Reliqua ut in editis.

198. *Schlettstadii* in Alsatia, cod. 1153. chart. in fol. saec. XV. — Habet pro titulo: *Breviarium fratris Bone fortune.* Incipit et desinit ut in editis.

199. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. U. V. 8. membr. in 8. saec. XV. — Incipit: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 74. v. ut in editionibus.

200. *Soloduri* in Helvetia, bibliotheca Cathedralis, cod. 2. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 3. r. legitur in superiore parte: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure de sacra scriptura.* Eadem repetuntur in fine cum additione: *anno Domini MCCCCXXXVII. crastino sancti Cunradi hora tertia post meridiem.*

201. *Stuttgartiae*, bibliotheca Regis, cod. Dogmat. 27. membr. in 8. saec. XIII. — Habet pro titulo: *Breviloquium pauperum* tantum, et in fine: *Explicit compendium*, omisso nomine auctoris.

202. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. D. VI. 7. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 154. r.: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura, sive compendium theologie fratris Bonaventure.* Desinit ut editi, fol. 196. v. col. 2. Scriptor lepide addit: *Penna gradum siste, quoniam liber explicit iste.*

203. *Ibidem*, cod. E. VI. 3. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Incipit fol. 1. r.: *Flecto genua mea* etc., ac desinit fol. 72. v. Additur: *Explicit Breviloquium*, tacito nomine auctoris.

204. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 361. membr. in 4. saec. XV. ineunt. — Prima manus addidit post finem: *Explicit Breviloquium Bonaventure sacre scripture.* Haec eadem verba alia manus praemiserat in principio post *Incipit Breviloquium* etc.

205. *Trecis* in Gallia, cod. 1882. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Breviloquium saepe saepius est interpolatum, sed convenit in reliquis cum edito; tacetur nomen auctoris, et fini subiicitur: *Explicit liber de penitentia.*

206. *Ibidem*, cod. 1965. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Incipit fol. 1. r. hoc titulo: *Fratris Bone fortune Breviloquium in sacra scriptura.* Desinit ut in editis.

207. *Treviris*, cod. 404. chart. in fol. — Incipit fol. 1. r. ut editum. Post finem additur haec nota: *Explicit Breviloquium sacre scripture editum et compilatum a Bonaventura cardinali, scriptum vero per me Petrum Copplyn de Lynss clericum Trevirensis diocesis sub anno Domini MCCCC quinquagesimo primo* etc.

208. *Ibidem*, cod. 686. chart. in 8. — Praemittitur: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure de intelligentia sacre scripture et fidei christiane.* In fine vero, repetitis his verbis, additur: *anno 1481 in die sancte Cecilie virginis.*

209. *Turonis* in Gallia, cod. 375. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Est sub titulo: *Breviloquium pauperis in scriptura.* Desinit fol. ultimo codicis cum additione: *Explicit liber qui Breviloquium dicitur*, omisso auctoris nomine.

210. *Vesuntione*, cod. I. 19. membr. in 8. parvo, saec. XIII. exeunt. — Fol. 2. r.: *Incipit tractatus Breviloquii pauperis.* In fine etiam haec eadem verba repetuntur, quibus additur: *Deo gratias.*

211. *Vicii* (Vich) in Hispania, cod. XCIV. chart. in 4. saec. XIV. exeunt. — In initio praemittitur tantum: *Breviloquium pauperis in scriptura*, et nulla nota auctoris, cuius nomen tamen submittitur aliis opusculis, quae Breviloquium praecedunt.

212. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1062. membr. in 4. saec. XIV. — Breviloquium incipit fol. 1. r. et desinit fol. 43. v. sine nota auctoris.

213. *Ibidem*, cod. 1578. membr. in 4. — Fol. 1. r. praemittitur: *Prologus in Breviloquium Bone venture*; et post finem additur: *Explicit liber Breviloquii Bone venture per manus duorum, qui dividitur in septem partes. Anno Domini MCCCLXXXXV.*

214. *Ibidem*, cod. 1713. membr. in 8. saec. XV. a diversis exaratus. — Breviloquium decurrit a fol. 1. r. ad 119. r. In principio et in fine apponitur titulus operis et nomen auctoris.

215. *Ibidem*, cod. 1333. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit Breviloquium*; alia manus addidit: *Bonaventura super sacram paginam distinctum in septem libros.* Desinit fol. 63. v. ut in editis.

216. *Ibidem*, cod. 362. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 140. v.: *Incipit Breviloquium Bonaventure.* Eadem iterum recurrunt fol. 175. v. post *Explicit.*

217. *Ibidem*, cod. 1649. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit fol. 1. r. et desinit fol. 30. r., vacat titulo et nomine auctoris.

218. *Ibidem*, cod. 263. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — A diversis manibus conscriptus, convenit cum Breviloquio edito et vacat omni titulo ut praecedens.

219. *Ibidem*, cod. 7938. membr. saec. XIV. prima pars codicis, alia chart. saec. XV. in 8. — Praeponitur titulus: *Incipit summula quae dicitur Breviloquium*, sine nomine auctoris.

220. *Wiesbaden*, cod. sine numero, cuius titulus: *Opus asceticum*, chart. in fol. — Breviloquium incipit fol. 222. v. col. 2. et producitur usque ad fol. 236. v., sed abrumpitur partis VII. cap. 1: *secundum exigentiam meritorum*. Inde scriptor prosequitur: *Et tanta sint scripta de Breviloquio Bonaventure doctoris eximii, de quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum. Amen. 1474.*

221. *Wratislaviae*, cod. I. cl. in fol. 310. chart. saec. XIV. — Breviloquium incipit fol. 158. r. sine ullo titulo et desinit fol. 164. r. in cap. 7. partis II; cetera sunt avulsa.

222. *Ibidem*, cod. I. cl. in quarto 62, membr. et partim chart. saec. XIV. — Breviloquium alia manus eiusdem saeculi intitulavit: *Compendium theologie Iohannis de Bona ventura.* Desinit ut editum, fol. 70. v. in fine.

223. *Ibidem*, cod. I. cl. in octavo 11, membr. saec. XIII. exeunt. — Est sub titulo: *Breviloquium pauperis in scriptura*, sine nomine auctoris. Continetur a folio 1. r. usque ad 65. verso.

224. *Ibidem*, cod. I. cl. in fol. 157. — Incipit fol. 279. r. sub titulo *Breviloquii*, desinit fol. 346. r. sub conclusione: *Explicit Breviloquium domini Bonaventure cardinalis, fratris de ordine minorum.* Codex exaratus est anno 1459.

225. *Ibidem*, cod. I. cl. in fol. 588. partim membr. saec. XIII. exeunt., partim chart. saec. XIV. exeunt. — Antiqua manus praemisit: *Incipit Breviloquium pauperis in scriptura.* Manus secunda post *Explicit* repetit eadem verba et addit: *Bonaventura minister minorum fecit.*

226. *Zwettel* in Austria, cod. 76. membr. in fol. saec. XIV. — Post alia opera, quae *Ulricus*, ut legitur, *scripsit, Hermannus quoque pinxit, Griffo coniunxit, libris aliis sociavit anno ab incarnatione Domini MCCCXXI*, sed ab eadem manu est exaratum: *Breviloquium Bone venture. Flecto genua mea* etc. Desinit: *in secula seculorum. Amen.*

227. *Posonii* (Presburg in Hungaria), bibliotheca Capituli, cod. 886. membr. saec. XIV. — Continet prologum quendam in Breviloquium, quem nullus alius exhibet codex; de quo vide quae supra diximus c. 3. § 3.

CAP. IV.

In Itinerarium mentis in Deum.

Hoc celeberrimum opusculum an. 1259 circa initium Octobris et in monte Alvernae scriptum esse, testatur ipse Bonaventura in Prologo, n. 2. Nemo dubitare potest, quominus hoc Itinerarium sit opus genuinum, in quo quam maxime elucet Seraphici Doctoris ingenium et spiritus caelesti lumine adornatus. Pro Bonaventura auctore dant testimonium cum Henrico Gandavensi et Ubertino a Casali et tot codicibus alii per sex saecula quam plurimi testes. Quod Gersonius (supra c. III. § 1.) de excellentia eiusdem dixit, id multis aliorum sapientum virorum testimoniis confirmatur. Adiecimus in fine scholion, ut opusculum propter sublimitatem et brevitatem satis arduum facilius intelligatur.

§ 1. **Nonnulli de hoc opusculo tentarunt scribere explanationes.** — Saeculo XV. quidam Lector Ordinis Minorum ad explanandum hoc Itinerarium edidit opusculum inscriptum: *Liber de investigatione Creatoris per creaturas.* Invenitur hoc scriptum, cuius apographum habemus, in quatuor manuscriptis eiusdem saeculi:

1. In bibliotheca Publica civitatis *Hannover*, cod. 6. in 4. — Incipit fol. 128. r. et desinit fol. 177. v. his verbis: « Explicit liber de vestigio (sic) Creatoris per creaturas, quem composuit fr. *Bertoltus cule*, lector in ordine fratrum minorum ». — Sed in aliis tribus codicibus auctor vocatur *Bertramus* (Bertrammus) *de Alen.* In hoc codice interdum non pauca adduntur, quae in aliis tribus desiderantur. Fortasse propter haec additamenta, licet sint exigui momenti, opusculum attribuitur alii auctori.

2. In bibliotheca civitatis *Magdeburg*, cod. sign. 12. — Fol. 154. incipit: « Liber de investigatione Creatoris per creaturas ». Desinit fol. 237. r. sic: « Explicit tractatus de investigatione Creatoris per creaturas ». In utroque loco deest nomen auctoris, sed in ipso tractatu (ante medium), ubi habetur: « Omnia predicta calculavi per me ipsum, radicibus sumptis a Ptolomeo Alfrago [in seq. cod. scribitur Alfragano] », per modum Glossae sequitur: « Hec frater Bertrammus de Alen doctor egregius ».

3. In bibliotheca civitatis *Erfurt*, cod. sign. 21. in fol. chart. — Fol. 102. r. incipit: « Liber doctoris eximii *Bertrumi* de Investigatione Creatoris per creaturas ».

4. In bibliotheca civitatis *Goerlitz*, cod. sign. 27. — Incipit fol. 195. v. et in fine legitur: « Explicit liber de investigatione Creatoris per creaturas cuiusdam lectoris fratrum minorum etc., nomine Bertramus de Alen doctoris eximii ».

Cum hic tractatus sit ignotus et de S. Bonaventurae Itinerario agat, nonnulla de eodem ex cod. Magdeburgensi, adhibitis aliis correcto, hic referenda esse videntur.

Incipit Prooemium: « Bonaventura, doctor devotus, septimus generalis Minister post beatum Franciscum, volens fratres suos docere, quomodo in Deum per contemplationem ascenderent; demonstravit septem itinera, per quae homo faciliter ad cognitionis divinae obiectum saltem in aenigmate in statu viae pertingere possit; dummodo Deus ad mentem lucem emittat, quae hominem ipsum deducat et adducat in montem sanctum suum et in tabernacula sua. Sed quia idem venerabilis Pater multum subtiliter et nimis obscure dicta itinera posuit, ita quod etiam viri multum in sacris Scripturis illuminati vix ipsum in sua doctrina capere possint; idcirco ego, volens me ipsum primo exercitare et post hoc simplicibus fratribus intentionem tam sancti viri declarare, verbis simplicibus et stilo communi dicta itinera, quae in principio sui primi capituli ponit de investigatione Creatoris per creaturas, coepi percurrere et inveni, quod per creaturarum *originem*, *multitudinem*, *pulcritudinem*, *plenitudinem*, *operationem* et *ordinem* ad notitiam divinam contemplando homo devotus lucide valeat pertingere et Deum in cunctis creaturis radiose contemplari. Tanto autem acutius Deum in creaturis videt, quanto per sedulam confessionem mentem magis purgat... Unde Bonaventura in suo Itinerario [c. 1. n. 8. et deinde n. 1.]: Qui vult in Deum ascendere » etc.

Primum cap. inscribitur: « De cognitione Dei, et quomodo homo lucide ipsum in creaturis cognoscat »; in quo multa extrahit ex Bonaventura, I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. 2. et magnam partem capitis 5. Itinerarii transcribit. — Cap. 2. agit de octo modis sive gradibus cognoscendi Deum secundum Bonaventuram aliosque auctores, et deinde novem capitulis de creaturarum *origine*, *conservatione*, *distinctione*, *plenitudine* (omnia plena formis), *multitudine;* de *daemonum multitudine*, *tenta-*

tione et casu, de *ordine rerum creaturum*, de *magnitudine caeli* (ubi auctor satis curiosas computationes *proprias* refert) et de *admirabili materia caeli empyrei.*

Sequuntur alia multa capitula de Angelis, de Sanctis, de B. Maria V., de humanitate Christi, de caelo Ss. Trinitatis, de influentis Dei in animas, de microcosmu (sive de homine), in quo relucet Dei potentia, sapientia et bonitas (haec compilata sunt ex Itinerario mentis in Deum), de mirabili sapientia Dei circa praedestinatos, de visione Dei, de contemplatione divinae bonitatis. — Conclusio opusculi transcripta est ex Itinerario, c. 1. n. 15.

Ex hoc prospectu satis apparet, hoc scriptum non esse proprie Commentarium in Itinerarium S. Bonaventurae. Auctor enim modo suo discurrit de rebus, quas Bonaventura tractat in cap. 1. et de aliquibus in c. 2. contentis. Tacet de c. 3. 4. 6. 7; et ad explicandos locos difficiles fere nihil affert. Argumenta, quae habet, tractat magis secundum rationem *scientiae naturalis* quam secundum rationem philosophiae vel theologiae mysticae. Praeter Bonaventuram citat S. Thomam, Scotum, Aegidium R., Brigidam, Hildegardem, Gilbertum, *Conradum in Summa collationum;* saepe etiam Hugonem a S. Vict., Augustinum, Gregorium, Boethium et Aristotelem. — Nihilominus opusculum non est male scriptum nec in genere suo spernendum.

Alia expositio Itinerarii recentior, quam non vidimus, scripta est a P. Martino Turnhout Ord. Min., Belga et Lectore s. theologiae in Conventu Lovaniensi, qui teste Waddingo mortuus est an. 1540. Titulus operis est: Declaratio Itinerarii mentis in Deum a sancto Bonaventura compositi per sermones distributa.

§ 2. **Itinerarium mentis in Deum plurimis editionibus est divulgatum et exstat adhuc in multis codicibus manuscriptis.** — Habetur ipsum in omnibus opusculorum et omnium operum collectionibus, etiam in prima, quae est sine anno et loco impressionis (cfr. infra c. 11.). Praeterea scorsum, vel cum Breviloquio coniunctum pluries editum est. — Versum est in plures linguas recentiores, praesertim post inventionem artis libros typis imprimendi. Inter versiones typis expressas nominamus *Italicam* per Albertinum de Litona Vercellensem, factam et an. 1502 in 4. Venetiis impressam, et alteram Caesaris Galletti Florentiae an. 1582 in 12. editam. — In linguam *Germanicam* versum est a P. Ludovico Moser Ord. Carthus. (qui vixit Basileae «in sant Margretenthal»), simul cum septem aliis S. Bonaventurae opusculis unoque S. Thomae. Impressum est Basileae per Mich. Furter, an. 1506 in 12. Itinerarium ibi occupat octavum locum et incipit: Sant Bonaventura über den tractat genant der wegwiser oder wegfart. Exstat in bibliotheca Sangallensis monasterii, *Incunab.* 77. — Recentior Germanica versio edita est Monasterii Westphalorum ante fere 30 annos a religiosissimo professore philosophiae Dr. Christoph. Schlüter.

Cl. P. Henr. Denifle Ord. Praed. in sua egregia editione (Monachii 1876): Die Schriften des seligen Heinr. Seuse, Deutsche Schriften, II. pag. 261, nota 9, primus observavit, B. Henricum Susonem Ord. Praed. in suo opusculo *Exemplar* ex Itinerario S. Bonaventurae (c. 5. 6.) sumsisse fere totum suum c. 54. germanice expressum. Sed quod doctissimus vir (ibi pag. 263, nota 1.) insinuat, Bonaventuram confudisse *primum a mente cognitum* cum Deo, saepius quidem ab aliis viris doctis assertum est, sed falso. Nec nobis dubium est, quin clarissimus ille Pater nobisque amicitia coniunctus, instituto accuratiore Bonaventurianae sententiae examine, idem nobiscum de hoc sit sensurus. Nam totum c. 5. Itinerarii est de *esse*, quod est *supra nos*, quatenus contemplatur *oculo illuminato*, qui advertit, quod *esse subsistens* est *primum in Deo* (essentia metaphysica), ex quo omnia alia attributa fluunt, secundum nostrum modum intelligendi (cfr. scholion ad Itinerar. n. 9. et Hexaëm. collat. 5. n. 29-32. et 10. n. 10. 11.).

I.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *Cortonae* in Tuscia, bibliotheca Publica, cod. 209. chartaceus, in 4. saec. XV. exeuntis. — Folio 78. r. praemittitur titulus operis Itinerarii mentis in Deum his verbis: *Incipit liber domini Bonaventure de Balneoregio ordinis minorum, qui dicitur Itinerarium mentis in Deum. Incipit prologus. In principio primum principium* etc. Deinde: *Explicit prologus. Incipiunt gradus sive capitula sequentis operis.* Prosequitur sicut in editis. Finem claudunt haec verba: *Explicit liber, qui dicitur Itinerarium mentis in Deum.* — Signatur littera O.

2. *Magdeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 25. chart. exaratus anno 1477. — Itinerarium est sub nomine *patris Bonaventure* incipit fol. 98. r. et desinit fol. 120. r. ut in editis. — Sign. Q.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 665. membranaceus, in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 200. r.: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 212. r.: *Dicat omnis populus: fiat, fiat. Amen.* Tacetur nomen auctoris. — Sign. B.

4. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 8439. chart. in fol. saec. XV. — In fol. 158. v. est haec rubrica: *Incipit proemium. Prologus. Opus consequens dicitur Itinerarius de ascensu mentis in Deum. Quem Itinerarium composuit frater Bonaventura, olim generalis minister ordinis fratrum minorum, postea dominus cardinalis et episcopus albanensis. In principio* etc. Desinit fol. 166. r. sine alio additamento. — Sign. C.

5. *Ibidem*, cod. 17837. chart. in fol. saec. XV. — Operi praemittitur titulus: *Prologus Itinerarii mentis in Deum, compilati a fratre Bonaventura, ordinis fratrum minorum generali ministro. In nomine Domini incipit.* Prosequitur usque ad fol. 270. r., ubi concludit: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Sign. D.

6. *Ibidem*, cod. 21232. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 73. v. est rubrica: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 84. v. ut in editis, omisso nomine auctoris. — Sign. E.

7. *Ibidem*, cod. 23449. membr. in 8. saec. XIV. — Itinerarium incipit fol. 134. v., dicitur: *compilatus de fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.* Desinit fol. 149. r. verbis: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Sign. F.

8. *Ibidem*, cod. 2633, de quo vide supra pag. XVIII n. 11. — Fol. 97. v.: *Incipit Itinerarius mentis in Deum fratris Bonaventure.* Eadem verba repetuntur in fine fol. 108. r. post *Explicit.* — Sign. H.

9. *Ibidem*, cod. 13102, de quo vide supra pag. XVIII n. 15. — Ante initium Itinerarii, quod est fol. 167. r., nullus est titulus, sed tantum antiqua manus notavit stilo lapideo: *Bonaventure.* Post prologum vero subditur: *Incipit Itinerarius mentis in Deum fratris Bonaventure cardinalis romane ecclesie et*

episcopi albanensis, septimi generalis ordinis fratrum minorum, de gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius per vestigia eius in universo. Desinit fol. 178. v. ut in editis. — Sign. I.

10. *Ibidem*, cod. 2657, de quo vide supra pag. XVIII n. 13. — Praemittitur fol. 207. v.: *Incipit Itinerarius a fratre Bone centure compositus mentis in Deum. In principio* etc. Explicit fol. 220. r. ut editi. — Sign. K.

11. *Ibidem*, cod. 2721. membr. saec. XIV. — Itinerarium incipit fol. 41. v. sub titulo iisdem verbis disposito ut in praecedente codice. Desinit fol. 73. v. ut in editione. — Sign. L.

12. *Ibidem*, cod. 23861. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 201. v. incipit: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura Ordinis fratrum minorum generali ministro. In namine Domini incipit. — In principio* etc. Fol. 214.: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Sign. M.

13. *Ibidem*, cod. 7971. membr. in 8. saec. XIV. inennt. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum. In principia* etc. Desinit fol. 11. r. verbis: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Sign. N.

14. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 14807. membr. in 8. saec. XIV. incunt. — Itinerarium incipit sine titulo fol. 155. r.: *In principio* etc. In tabula contentorum codici annexa notatur hoc modo: *Itinerarium mentis iture in Deum, editum a domino Bonaventura, cuius sunt septem capitula.* In fine operis leguntur verba: *Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure.* — Sign. A.

15. *Tuderti* in Umbria, cod. 182. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 90. r. legitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Post prologum subiiciuntur capitula, ut moris est codicum; deinde additur: *Incipit speculatio pauperis in deserto; primum capitulum de gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius et vestigio eius de universo. Beatus vir* etc. Desinit fol. 100. r.: *et dicet omnis populus: fiat, fiat. Amen.* — Sign. P.

Cod. Monacensis M iam anno 1877 a quodam nostro collaboratore bene collatus est; postea vero ab alio collaboratore hoc nesciente iterum variantes eiusdem codicis collectae sunt. Quando pro huius tomi editione diversorum codicum lectiones in unum componebantur, non animadvertimus illum errorem, sed alterum lectionum scriptum distinximus littera G. Duae illae collationes bene conveniunt, non excepto illo loco (pag. 310, nota 9.), in quo erronee positae sunt duae lectiones. Litterae igitur G et M non repraesentant nisi unum codicem.

Editiones huius opusculi inter se et cum codicibus in rebus alicuius momenti rarius dissidebant, quam in aliis operibus observavimus. Tamen ope codicum meliorem textum exhibemus emendatiorem, collecto magno numero variarum lectionum, in quarum electione habuimus rationem tum interioris praestantiae tum antiquioris aetatis, quam habebant codices. Antiquitas non raro coniungitur cum multis defectibus; ita cod. Parisiensis A plurimis librarii erroribus foedatus est, tamen saepe confirmavit electas ex aliis codicibus lectiones.

II.

Codices a nobis non collati.

16. *Admontis* in Austria, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, cod. 657, de quo vide supra pag. XIX n. 27. Post Breviloquium legitur: *Incipit prologus fratris Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Deinde fol. seq. sine numero: *In principio* etc. Desinit fol. 2. ante ultimum: *fiat, fiat. Amen.*

17. *Atrebatis*, bibliotheca Civitatis, cod. 772. chart. in 4. saec. XIV. — Fol. 138. r. habetur: *Incipit prologus in libro, qui dicitur Itinerarium mentis in Deum, edito a fratre Bonaventura theologo et viro sancto.* In fine fol. 161. r. additur: *Explicit Itinerarium Bonaventure. Laus Deo in eternum.*

18. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. VIII. B. 29. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Foliorum series non est numerata. Post tractatum Hugonis: « Quo studio et quo affectu orandus est Deus »: *Incipit prologus* (manus saec. XV. interclusit: *fratris Bonaventure*) *in Itinerarium mentis in Deum.* Secunda manus etiam in fine addit: *Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum.*

19. *Ibidem*, cod. B. IX. 7. membr. in 8. plurium aetatum. Itinerarium est saec. XV. — In initio et fine additur cum titulo nomen simpliciter: *Bonaventure.* Hic codex relatus est supra pag. XIX n. 35.

20. *Ibidem*, cod. I. A. 20. chart. in fol. scriptus anno 1445, ut legitur in fine. — Itinerarium habet titulum in principio et in fine, et hoc postremo loco additur *fratris Bonaventure.*

21. *Ibidem*, cod. V. E. 50. chart. miscellan. — Itinerario praemittitur: *Prologus Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Et additur ad calcem: *Finit Itinerarium mentis in Deum beati Bonaventure 1495.*

22. *Bonnae*, bibliotheca Universitatis, cod. S. 313. inter theolog. chart. in 8. saec. XV. — Post medium voluminis: *Incipit tractatus Bonaventure cardinalis et septimi post beatum Franciscum ministri ordinis minorum, de gradibus ascensionis. Beatus vir* etc. Deficit in cap. 7. n. 5. ad verba: *silentii caliginem obscurissimo.*

23. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 137. membr. in 8. saec. XIV. — Abest prologus et fol. v. legitur: *Incipiunt capitula Itinerarii mentis in Deum fratris Bone fortune.* Desinit: *Defecit caro mea et cor meum etc. Explicit Itinerarium mentis in Deum.*

24. *Campolilii* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 137. membr. in fol. saec. XIV. ante medium. — Fol. 278. 2: *Incipit liber, qui dicitur Itinerarius de ascensu mentis in Deum, quem edidit frater Bonaventura olim generalis minister ordinis fratrum minorum.* Ad finem fol. 285. v. additur: *Explicit Itinerarius Bonaventure.*

25. *Cantabrigae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. Ii. 31. membr. in 4. saec. XV. — Itinerarium incipit pag. 186: *In principio* etc., et desinit pag. 204: *Fiat, fiat,* sine ullo titulo nec nomine auctoris. Desunt etiam omnes rubricae, pro quibus scriptor conveniens in unoquoque loco reliquit spatium.

26. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sanctissimae Trinitatis, cod. B. I. 44, de quo vide supra pag. XX n. 57. — Fol. 80. r. est titulus a secunda manu exaratus: *Itinerarium bone mentis in Deum;* et tertia manus scripsit inferius: *Bonaventura.* Sequitur et desinit ut in editis, fol. 85. v. verbis: *Explicit Itinerarium mentis in Deum.*

27. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Emmanuelis, cod. I. 3. 12. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Praemittitur tantum in principio titulus: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum*, sine nomine auctoris. Desinit ut editi: *Fiat, fiat. Amen.*

28. *Colmariae* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. (olim

Monasterii Parisiensis) membr. in 8. saec. XV. — Fol. 130. r. est titulus: *Incipit Itinerarius mentis in Deum. In principio* etc. Desinit fol. 150. v. solis verbis additis: *Explicit Itinerarius.*

29. *Coloniae*, bibliotheca Ecclesiae Metropolitanae, cod. XXXIX. (olim liber Monasterii Canonicorum Regularium urbis Aquensis) chart. in 8. exaratus anno 1426. — Fol. v. in initio habetur: *Incipit prologus Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Hic titulus additur etiam in fine, omisso nomine Bonaventurae.

30. *Confluentiae*, bibliotheca Gymnasii Civitatis, cod. 15. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Itinerario altera manus eiusdem saeculi praefixit titulum et etiam in fine addidit: *Explicit Itinerarius mentis in Deum Bone venture.*

31. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 1570. A. A. II. 29. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Itinerarium incipit pag. 300, col. 1. sine titulo et omisso prologo; desinit pag. 315 sic: *Dicat omnis populus: Amen. Explicit liber Bone venture de septem gradibus ascensionis in Deum. Amen.*

32. *Cremisani*, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, cod. 280. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 336. r. legitur: *Incipit prologus operis sequentis*, sed ad calcem eiusdem habetur: *Explicit prologus. Incipit Itinerarius mentis iture in Deum fratris Bonaventure cardinalis romanae ecclesiae, episcopi albanensis septimi generalis ordinis fratrum minorum, de gradibus ascensionis in Deum. Beatus vir* etc. Post *Amen* pius scriptor addit: *Quicumque hec legis memento Phylippi peccatoris.*

33. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Itinerarium incipit fol. 169. r. sine ullo titulo: *In principio* etc. Desinit fol. 183. r., additur tantum: *Explicit Itinerarius in Deum.* De hoc codice locuti sumus etiam supra pag. XX n. 66.

34. *Ibidem*, cod. 706, de quo vide supra pag. XX n. 68. — Itinerarium incipit sub titulo, sed absque nota auctoris fol. 90. r. et desinit fol. 97. v. ut editi.

35. *Ibidem*, cod. 2662. chart. in 8. saec. XIV. exeunt. — Fol. 41. r.: *Incipit Itinerarius mentis iture in Deum magistri Bone venture.* Etiam in fine fol. 68. v. additur: *Explicit Itinerarius in Deum Bone venture.* Sequitur explicatio quorundam terminorum capituli quarti, quae recurrit etiam in codice hic notato sub n. 33.

36. *Duaci* in Gallia, cod. 419. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 170. r. operi praemittitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura compositum.* Desinit fol. 177. r. hoc modo: *Fiat, fiat. Amen. Et quia vidi dominum et hec dixit mihi: salus tua ego sum.*

37. *Düsseldorpii* ad Rhenum, cod. sine nota, chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. legitur: Liber Cruciferorum in Düsseldorp; fol. 2. r.: *Incipit prologus Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 18. v. ut in editis; additur: *Finit Itinerarius mentis in Deum beati Bonaventure.*

38. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca Regia, cod. 21. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 114. r.: *Prologus in Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.* Desinit fol. 122. v. ut in editis, hinc: *Explicit Itinerarius in Deum Bonaventure, qui alias Eustachius appellatur, cardinalis de ordine fratrum minorum.*

39. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. VIII. B. 1817. membr. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 9. r. praemittitur: *Itinerarium mentis in Deum beate* (sic) *Bonaventure.* Desinit fol. 17. ut in editionibus.

40. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 27. Conventus sanctissimae Annuntiatae, membr. in 8. saec. XIV ineuntis. — Itinerarium incipit fol. 87. r. sine ulla nota auctoris vel operis et desinit simili modo fol. 97. v. ut in editis.

41. *Ibidem*, bibliotheca Riccardiana, cod. 2104. chart. in 8. saec. XV. a pluribus scriptoribus exaratus. — Fol. 112. r. praemittitur a prima manu: *Prologus opusculi qui* (sic) *intitulatur Itinerarium de septem itineribus eternitatis, editi a beato Bonaventura cardinali de ordine minorum.* Postrema vero manus haec addidit in fine fol. 127. r.: *Explicit Itinerarium mentis in Deum, quem fecit frater Bonaventura ordinis fratrum minorum. Deo gratias. Amen.*

42. *Gandavi* in Belgio, cod. 291. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. prima manus praemisit: *In nomine Domini. Amen. Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum compilatum. In principio* etc. Eadem repetuntur fol. 14. r., ubi desinit.

43. *Gedani*, bibliotheca sanctae Mariae, Scrin. 55. cod. progress. 10. membr. in fol. saec. XV. — Itinerarium habet initium fol. 198. v. et finem fol. 206. r. Omittitur omnino titulus et nomen auctoris.

44. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 678. chart. in fol. saec. XV. — Itinerarium incipit fol. 153. r. sub hac rubrica: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura.* Desinit fol. 164. r ut ceteri, sine alia indicatione.

45. *Ibidem*, cod. 725. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 61. v. in initio hanc habet rubricam: *De gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius per vestigia eius in universo sanctus Bonaventura in suo Itinerario mentis in Deum*, c. 1. *Sex sunt gradus...* Vide edit. cap. 1. n. 6. Desinit ad finem capituli primi: *possessione tua.*

46. *Gottwicii* (Göttweih), bibliotheca Monasterii, cod. 285. chart. in 4. saec. XV. — Folio 1. r.: *Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum.* Desinit fol. 26. r. et additur: *Explicit Itinerarius mentis in Deum domini Bonaventure cardinalis ordinis minorum generalis ministri.*

47. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 910. chart. in 4. saec. XV. exeunt. — Scriptor posterior praemisit Itinerario: *Incipit Itinerarium in Deum sancti Bonaventure.* Desinit: *Fiat, fiat. Amen*, ut in editis.

48. *Gratianopoli* in Gallia, cod. 772. membr. in 8, de quo vide supra pag. XXI n. 87. — Fol. 114. r. in parte superiore legitur: *In nomine Domini incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro compositum.* Desinit fol. 137. r.: *Fiat, fiat, Amen.* Opus exaratum saec. XIV. exeunte.

49. *Hallae*, bibliotheca Universitatis, cod. theol. in fol. y. c. 2. chart. saec. XIV. exeunt. — Itinerarium incipit fol. 3. r. col. 1. et desinit fol. 14. v. ut in editis, sine ulla indicatione operis vel auctoris.

50. *Hamburgi*, bibliotheca Wolfiana, cod. 8. chart. in 4. saec. XV. — In superiore parte pag. 215 legitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum Bone venture 1442.* Pagina 256: *Explicit Itinerarius in Deum Bone venture.*

51. *Hilarini*, bibliotheca Monasterii, cod. 103. chart. in 4. saec. XV. ante medium. — Itinerarium incipit et desinit ut in editis, sine ulla indicatione auctoris vel operis.

52. *Hildesiae* (Hildesheim), bibliotheca Gymnasii episcopalis,

cod. 27. membr. in 4. saec. XV. — Itinerario praemittitur in principio et additur in fine titulus et nomen auctoris.

53. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. B. B. Tab. 145. num. 17, de quo locuti sumus supra pag. XXI n. 93. — A folio 106. v. ad 109 r. complectitur quaedam ex initio prologi Itinerarii, nempe n. 1. et 2. sub hoc titulo: *Incipit de contemplatione Bone fortune.*

54. *Lauduni*, cod. 146. membr. in 4. — Post alia praemittitur Itinerario rubrica haec: *Prologus in Itinerarium mentis in Deum. In principio* etc. Et subiicitur: *Explicit Itinerarium mentis in Deum venerabilis fratris Bonaventure, scriptum et expletum hac VII.ª martii, anno Domini millesimo IIII.° LXXIIII.*

55. *Leodii*, bibliotheca Seminarii maioris, cod. 6. N. 2. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 2. r. est rubrica: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.* Haec eadem repetuntur post *Explicit*, sed omisso nomine Bonaventurae.

56. *Londini*, collect. Harleana, cod. 3811, de quo vide supra pag. XXII n. 104. — Itinerarium incipit fol. 162. v. sub hoc titulo. *Tractatus domine* (sic) *Bonaventure, de VII gradibus ascensionis in Deum et de speculatione ipsius. In principio* etc. Desinit fol. 173. verso.

57. *Ibidem*, cod. 4725. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. Itinerarium incipit absolute: *In principio* etc. Desinit fol. 10. r., cui additur: *Expliciunt meditationes Bonaventure magistri.*

58. *Ibidem*, collect. Regia, cod. 6. E. III. membr. in fol. saec. XV. — Itinerario deest prologus, incipit fol. 38. v. et desinit fol. 44. r.; notatur in fine: *Explicit Itinerarium mentis in Deum, compilato* (sic) *a fratre Bonaventura.*

59. *Lugduni*, cod. 162, de quo vide supra pag. XXII n. 113. — Praemittitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum fratris Bone adventure episcopi cardinalis.* Sequitur et desinit ut in editis. Codex pulcre exaratus, litteras initiales habet auro et minio ornatas.

60. *Mantuae* in Italia, bibliotheca Regia, cod. 163. B. I. 18. membr. in 8. — Post alia opuscula complectitur Itinerarium mentis in Deum sub nomine auctoris. Incipit et desinit ut in editis.

61. *Massiliae*, bibliotheca Civitatis, cod. E. b. 191. membr. in 4. saec. XV. — Itinerario praemittitur titulus et nomen auctoris ab alia manu, cleuditur inde: *Explicit compendium contemplationis ardue Bonaventure doctoris eximii.*

62. *Madriti*, bibliotheca Escorialis, cod. J. II. 25. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 147. r. ab alia manu notatur e regione: *Incipit itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura.* Decurrit usque ad verba: *nisi sciam vel cogitem*, quae sunt cap. 3. n. 4. nostrae editionis.

63. *Mechliniae*, bibliotheca Seminarii maioris, cod. num. vacat chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r. prima manus exaravit: *Incipit itinerarium mentis in Deum editum a fratre Bonaventura generali ministro et servo ordinis fratrum minorum, de ascensione mentis in Deum.* Desinit fol. 21. v.: *Fiat, fiat. Explicit hic liber, scriptor sit termine* (sic) *liber. Si vis esse cenobita* etc.

64. *Medelcii*, bibliotheca Monasterii, cod. B. 23. chart. in 8. — Pagina 1 est titulus sic: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.* Haec eadem repetuntur in fine operis, quibus scriptor addidit: *Finivi in die sancti Benedicti abbatis, anno Domini 1452.*

65. *Ibidem*, cod. H. 42. chart. in 8. saec. XV. — Opus incipit fol. 86. v. sub hoc titulo: *Itinerarii mentis in Deum Bonaventure prologus. In principio* etc. Desinit fol. 104. r. ut in editis.

66. *Ibidem*, cod. N. 7. membr. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. hac rubrica: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.* Desinit fol. 12. r. his verbis: *Explicit Itinerarius.*

67. *Metis* in Gallia, cod. 625. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. praemittitur operi: *Incipit Itinerarium mentis in Deum Boneventure.* Desinit: *Fiat, fiat. Amen.*

68. *Moguntiae*, cod. chart. 556. progress. 311. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Itinerarium incipit fol. 1. r. sub titulo, sed omisso nomine auctoris; desinit fol. 37. r. sine alia indicatione.

69. *Ibidem*, cod. chart. 563. progress. 317. chart. in 8. saec. XV. — Post alia fol. 31. r. legitur: *Incipit modo Itinerarium mentis in Deum, et primo prologus.* Desinit fol. 58. v. ut in editis.

70. *Ibidem*, cod. chart. 186. progress. 553. membr. in 4. saec. XV. — Circa medietatem voluminis ipsum opus praemittitur prologo hoc modo: *Incipit Itinerarius Bonaventure iture mentis in Deum. Beatus vir* etc. Prosequitur usque ad finem ut editi; hinc: *Explicit parvum bonum Bonaventure cardinalis ordinis fratrum minorum;* et postea: *Incipit prologus in tractatum precedentem, scilicet Itinerarium mentis in Deum Bonaventure. In principio* etc.

71. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 14152. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 397. r. legitur: *Prologus sancti Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Et fol. 420. v.: *Explicit Itinerarius.*

72. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 5014. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 20. r.: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro. In nomine Domini.* Desinit fol. 37. r.: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.*

73. *Ibidem*, cod. 7505. chart. in fol. saec. XV. — Itinerario praemittuntur in principio et subiiciuntur in fine eadem verba, quae leguntur in codice praecedente. Incipit fol. 223. r. et desinit fol. 234. recto.

74. *Ibidem*, cod. 7666. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 187. r. est titulus: *Incipit Itinerarium Bonaventure.* Desinit fol. 206. v. ut in editis.

75. *Ibidem*, cod. 18651. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 136. r. sub titulo Itinerarii et nomine Bonaventurae. Fol. 154. r. clauditur his verbis: *Explicit Itinerarius mentis in Deum.*

76. *Ibidem*, cod. 11430, de quo vide supra pag. XXII n. 127. Est titulus fol. 257. r. post prologum: *Incipit Itinerarius mentis in Deum fratris Bonaventure cardinalis romane ecclesie et episcopi albanensis, septimi generalis ordinis fratrum minorum, de gradibus ascensionis in Deum. Beatus vir* etc. Desinit fol. 269. r.: *Fiat, fiat. Amen.*

77. *Ibidem*, cod. 9066, de quo vide supra pag. XXIII n. 131. — Fol. 174. r. habetur: *Prologus Bone venture in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 196. r. Pars postrema ultimi cap. ab alia manu eiusdem aevi fuit exarata.

78. *Ibidem*, cod. 3238. chart. in 8. saec. XV. — Post alia opera fol. 50. r. sequitur: *Itinerarius mentis in Deum*. Desinit fol. 73. r. sub additione: *Explicit Itinerarium mentis in Deum*, sine ulla nota auctoris.

79. *Ibidem*, cod. 4425. membr. in 8. saec. XIV. exeunt. — Est rubrica fol. 1. r. sic: *Incipit Itinerarius mentis in Deum venerabilis magistri Richardi. In principio* etc. Desinit fol. 25. v. ut in editis.

80. *Ibidem*, cod. 18882. chart. in 8. — Est titulus fol. 123. v.: *Prologus Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Deinde fol. 150. r.: *Finit Itinerarius mentis in Deum beati Bonaventure. Anno Domini MCCCC. nonagesimo.*

81. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 3. chart. in 8. saec. XV. exeunt. — Fol. 27. r.: *Incipit tractatus venerabilis domini Bonaventure qui intitulatur Itinerarium mentis in Deum. In principio* etc. Desinit fol. 38. v.: *Fiat, fiat. Amen.*

82. *Montis Angelorum* in Helvetia, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. V. 18. chart. in 8. saec. XIV. exeunt. — Itinerarium incipit fol. 17. v. et desinit fol. 31. r.: *Fiat, fiat. Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Boneventure de ordine fratrum minorum.*

83. *Ibidem*, cod. VI. 29. chart. in 8. saec. XV. — Post alia et aliorum opera fol. 283. r.: *Incipit Prologus in Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.* Eadem verba recurrunt fol. 205. v. post *Explicit.*

84. *Ibidem*, cod. V. 14. chart. saec. XIV. circa med. — Itinerarium incipit fol. 62. v. et desinit fol. 89. r., cui additur: *Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum, ut activa prius exerceatur, postea contemplativa.* Haec ultima verba leguntur etiam in codice praecedente sub n. 82.

85. *Nurimbergae*, Centur. I. 53. cod. membr. in fol. saec. XIV. exeunt. — A fol. 199. r. ad 207. v. complectitur Itinerarium sine ullo titulo et nomine auctoris.

86. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 698. chart. in 8. saec. XV. — Incipit Itinerarium fol. 1. r. sine ullo titulo: *In principio* etc. Desinit fol. 31. r. ut in editis, et inde nihil aliud sequitur.

87. *Olomucii* in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. g. 30. chart. in 4. saec. XV. — Incipit Itinerarium fol. 169. r. sub hac rubrica: *Speculationes fratris Bonaventure. In principio* etc. Desinit fol. 184. v. cum additione: *Expliciunt speculationes pauperis in deserto. Amen.*

88. *Oxoniae* in Anglia, bibliotheca Collegii sancti Ioannis Baptistae, cod. 190, de quo vide supra pag. XXIII n. 153. — Fol. 117. r. in parte superiore praemittitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Et fol. 123. v. additur: *Explicit contemplatio fratris Bonaventure.*

89. *Ibidem*, cod. 284, de quo vide supra pag. XXIII n. 149. — Fol. 83. v. legitur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum editum a fratre Bonaventura. In principio* etc. Desinit fol. 93. v. ut in editis.

90. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 9615. chart. in fol. saec. XVI. — Aperit codicem sequens *Epistola fratris Iohannis Lardarelli, sacri ordinis Cluniacensis professoris ad carissimum fratrem T. B. eiusdem ordinis professorem, in Itinerarium beati Bonaventure doctoris eximii.* Ex hac igitur epistola quaedam tantum hic subiicimus. « Quocirca libellum hunc a D. Bonaventura compositum, iam quasi antiqua vetustate deletum, ad te mittere studui.... Sed quoniam vir desideriorum es, pregnanti more, cibos, quibus boni operis fructus in mente tua ab inspiratione divina concepti perfectum incrementum accipiant, a primeva etate desiderare te novi, ac mundorum animalium more, diutius in cordis palato ruminare. Codicem autem bipartitum invenies. Primo nempe, quo pacto mens humana gradatim per se ipsam conscendens sui ipsius cognitionem possit acquirere, tractatur. Postremo vero, qualiter ipsa mens ad sui Creatoris cognitionem valeat pertingere, superabunde declaratur. Ibi invenies manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit; invenies insuper et cibum, in cuius fortitudine ambulabis usque ad montem Dei, in quo videatur ipse Deus deorum in Syon. Accipiat itaque caritas tua aliene, absit ut dicam alienate caritatis munus; immo ut verius fatear, accipiat caritas tua quod iure sibi debetur. Non excutias oro manus tuas ab hoc munere; non enim ligat quos iam vinculo professionis ligatos invenit; sed tantum orationum tuarum fructum postulat, quarum assiduitas me ad illum in quem desiderant Angeli prospicere feliciter perducat. Vale in partu Virgineo ». Hinc subiungitur rubrica fol. 1. v.: *Incipit Itinerarium d. Bonaventure doctoris eximii ordinis minorum floris redolentissimi in duos tractatus divisum, prout facilius patet intuenti. Alius tractatus est: Itinerarium mentis in se quoad Deum.* Alia sequuntur ab eodem exarata, qui fol. 70. v. sic terminat: *Deo auspice finem huic operi imposuit dominus Iohannes Lardarelli immeruentis* (?) *Cluniacensis ordinis professor, anno reconciliationis humane 1522, die vero mensis septembris octava.*

91. *Ibidem*, cod. 2049. membr. in fol. saec. XV. — Incipit Itinerarium fol. 20. r.: *In principio* etc., sine titulo, et desinit fol. 27. v.: *Fiat, fiat. Amen. Explicit contemplatio fratris Bonaventure ministri generalis fratrum ordinis minorum.*

92. *Posonii* (Presburg) in Hungaria, bibliotheca Capituli, cod. 1649. chart. in 8. saec. XVI. exeunt. — In prima parte voluminis fol. non numerato habetur: *Prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro. In principio* etc. Desinit ut in editis, sine alia indicatione.

93. *Pragae*, bibliotheca Capituli, cod. N. LVI. chart. in 4. saec. XV. — Incipit Itinerarium fol. 138. r. hoc modo: *In principio primum invocamus.* Desinit fol. 146. v., additur: *Finitur Itinerarium mentis in Deum pro contemplatione.*

94. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. IX. C. 3, de quo vide supra pag. XXIV n. 174. — Fol. 21. v. praemittitur in superiore parte: *Incipit prologus fratris Bonaventure in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 29. v., post *amen* additur: *Et sic est finis.*

95. *Ibidem*, cod. I. G. 42. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 66. r. est titulus: *Incipit liber qui dicitur opus contemplationis.* Desinit fol. 78. v. ut in editis, vacat nomine auctoris.

96. *Ibidem*, bibliotheca Capituli, N. LV. chart. in 4. saec. XV. — Itinerarium habet initium fol. 145. r., sine ullo titulo et nota auctoris, explicit fol. 160. r. ut in editis.

97. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 1041. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 204. r. in parte superiore habetur: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura compositum.* Prosequitur ut in editis.

98. *Ibidem*, cod. Regin. 62. membr. in 4, de quo vide supra pag. XXIV n. 188. — Itinerarium incipit fol. 143. r.: *In*

principio etc. Desinit fol. 163. r.: *Fiat, fiat. Amen.* Deest titulus et nomen auctoris.

99. *Ibidem*, bibliotheca Principum Barberinorum, cod. XI. 53. membr. in fol. XIV. exeunt. — Praemittitur titulus sine nomine auctoris fol. 6. v. his verbis: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum.* Desinit fol. 14. v., sine alia indicatione.

100. *Ibidem*, bibliotheca Principum Chisianorum, cod. A. IV. 111. chart. saec. XV. — Itinerarium incipit fol. 1. r. et desinit fol. 38. cum additione: *Explicit Itinerarium mentis in Deum fratris Bonaventure cardinalis ordinis seraphici Francisci.*

101. *Ibidem*, bibliotheca Principum Corsinorum, cod. Col. 40. E. 29. chart. saec. XV. — Itinerarium est sub titulo et nomine Sancti *Bonaventure cardinalis*. Desinit ut in editis: *Fiat, fiat. Finis.*

102. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. A. II. 23. chart. in 8. saec. XV. — Itinerarium incipit fol. 98. r. sub hoc titulo: *Bonaventura de contemplatione.* Desinit fol. 131. v. ut editi.

103. *Sancti Floriani*, bibliotheca Monasterii Canonic. regular. cod. XI. 96. chart. in fol. saec. XV. ineunt. — Itinerarium incipit fol. 85. v. sine titulo; desinit fol. 94. v. ad haec verba cap. 7. n. 5: *ab omnibus absolutus ascendas. Explicit tractatus utilis et profundus et multum ad devotionem provocans, editus a fratre et domino Bonaventura Cardinali.*

104. *Ibidem*, cod. XI. 160. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 115. r. in initio: *In nomine Domini. Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum, compilati a fratre Banaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.* Desinit fol. 133. ut in editis.

105. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. 142. chart. in 4. — Pagina 119 legitur: *Itinerarius eternitatis Bonaventure. In principio* etc. Hinc pag. 235 post verba: *Fiat, fiat,* additur: *Explicit Itinerarius Bonaventure per me Mathiam cappellanum in Memmingen, anno 1477. in vigilia Adelhaidis, secunda die post festum Lucie virginis.*

106. *Sancti Trudonis* in Belgio, bibliotheca Conventus Recollectorum, cod. chart. — Pagina 74 est pro titulo: *Incipit magnum bonum Bonaventure, alias Itinerarius mentis in Deum, alias speculatio pauperis in deserto. Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum, factum a Bonaventura. In nomine Domini ac preclare genitricis sue felix progrediatur exordium, utile sustentetur medium, finis debitum sortiatur effectum. In principio* etc. Pagina 125 post verba: *Fiat, fiat,* se prodit scriptor: *G. Scots scripsit. Explicit maius bonum Bonaventure anno 1479.*

107. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. V. F. 20. membr. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 39. v. hac rubrica: *Hoc est Itinerarium mentis in Deum secundum fratrem Bonaventuram ordinis fratrum minorum.* Desinit verbis: *pars mea, Deus in eternum. Amen.*

108. *Ibidem*, cod. V. U. 6. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 81. v. habetur: *Itinerarium mentis in Deum Bonaventure. In principio* etc. Desinit ut in editis, fol. 92. verso.

109. *Suessonibus* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 118. membr. in 4. saec. XV. — Incipit Itinerarium, praemisso titulo, fol. 27. r. et desinit fol. 39. v. Post *Amen* additur: *Explicit Itinerarium venerabilis patris fratris Bone venture.*

110. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. I. VI. 13. membr. in 8. saec. XIII. exeunt. — Itinerarium incipit fol. 74. r. sine ulla indicatione: *In principio* etc. et desinit, seu potius deficit fol. 77. v. ad verba cap. 4. n. 3: *secundum illas tres ordinationes, quae fiunt in Canticis canticorum.*

111. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 161. chart. in 4. — Circa finem voluminis continetur Itinerarium mentis in Deum exaratum anno 1474. Manus saec. posterioris titulo addidit nomen *Bonaventure.*

112. *Ibidem*, cod. 62. chart. in 8. saec. XV. — Inter alia et aliorum opera locum penultimum habet Itinerarium mentis in Deum, cui alia, sed coaeva manus praemisit titulum et nomen auctoris et in fine addidit: *Explicit Itinerarius domini Bonaventure.*

113. *Ibidem*, cod. 366. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 84. r. ad calcem scriptor exaravit: *Incipit libellum Bone venture fratris minoris Itinerarium mentis in Deum:* Desinit fol. 98. v. ut in editis. Sequitur explicatio nonnullorum terminorum quarti capituli.

114. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 666. progress. 775. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r.: *In nomine domini incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum compositum. In principio* etc. Eadem recurrunt fol. 13. post *Explicit;* et verbo *compositum* additur: *Cuius anima requiescat in gaudium sempiternum. amen.*

115. *Ibidem*, cod. 584. progress. 600. miscell. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 30. r.: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum. In principio* etc. Desinit fol. 41. v. sine alia indicatione.

116. *Ibidem*, cod. 686. progress. 777, de quo vide supra pag. XXV n. 208. — Itinerarium incipit cum titulo operis et auctoris fol. 1. r. et desinit ut in editis; additur: *Explicit Itinerarius Bonaventure, 1479.*

117. *Ibidem*, cod. 853. progress. 580. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 187. r.: *Incipit Itinerarius mentis in Deum per egregium doctorem Bonaventuram compilatus, et primo premittitur prologus. In principio* etc. Desinit sine alio fol. 217.

118. *Ibidem*, cod. 373. progress. 713. chart. in fol. saec. XV. — Est titulus fol. 81. r. his verbis: *Incipiunt capitula in Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.* Sequitur tabula capitulorum de gradibus ascensionis in Deum, hinc: *Prohemium sive prologus Bonaventure. In principio* etc. Et in fine, fol. 91. r.: *Explicit Bonaventura de gradibus ascensionis in Deum.*

119. *Ibidem*, cod. 889. progress. 1057. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Itinerarium est quintum inter opera in hoc codice habita. Incipit sine titulo: *In principio* etc. Post prologum et tabulam capitulorum subiicitur: *Incipit speculatio pauperis in deserto.* Desinit: *Fiat, fiat. Amen. Explicit contemplatio pauperis.*

120. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 174. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Ad calcem fol. 83. v. scriptor exaravit: *Incipit liber Itinerarii mentis in Deum.* Desinit fol. 96. r.: *Fiat, fiat. Amen.*

121. *Turonis* in Gallia, cod. 519. in 8. saec. XV. — Fol. 3. r. praemittitur Itinerario titulus et nomen auctoris. Desinit fol. 20. r.: *Fiat, fiat amen, amen, amen. Explicit Itinerarium mentis ad Deum fratris Bonaventure, scriptum per manum fratris Iohannis de la Bauduaria.*

122. *Ulyssipone*, bibliotheca Academiae scientiarum, cod. Gab. 5. Est. 10. n. 17. membr. in 8. saec. XV. — Itinerarium

habet initium fol. 107. r. sub nomine Bonaventurae et finem fol. 141. v., cui additur: *Deo gratias.* Inde alia manus prosequitur: *Explicit Itinerarium mentis in Deum a fratre Bonaventura ordinis minorum generali ministro compositum in Monte alverne, ubi beatus Franciscus recepit sacra domini nostri Iesu Xpi stimata; et scriptum manu...* Cetera ibi desiderantur.

123. *Vicii* (Vich), bibliotheca Capituli, cod. XCIV, de quo vide supra pag. XXV n. 211. — Titulus operis est fol. 11. r., addito auctoris nomine. Desinit fol. 23. v.: *Fiat, fiat. Amen, amen. Qui dedit alpha et omega, sit laus et gloria Xpo — Finis adest operi, quem scriptor gaudet haberi. — Xpo laus detur, scriptus liber esse videtur — Plurima miranda gerit hic liber et recitanda. Explicit Itinerarium mentis in Deum compositum a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum generali ministro.*

124. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3655. chart. in 8. — Itinerarium incipit fol. 129. r. his verbis: *Bonaventura de sex alis contemplatione* [sic]. *In principio* etc. Desinit fol. 162. v.: *Fiat, fiat. Hec Bonaventura, 1505.*

125. *Ibidem*, cod. 5086. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 76. r. parte laterali legitur: *Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum compilati a fratre Bonaventura. In principio* etc. Desinit fol. 93. ut in editis.

126. *Ibidem*, cod. 1062, de quo vide supra pag. XXV n. 212. — Fol. 49. r.: *Incipit prologus Itinerarii mentis in Deum*, et fol. 57. v. dicitur: *Explicit speculatio pauperis in deserto. Deo gratias. Amen*, tacito auctoris nomine.

127. *Ibidem*, cod. 1713, de quo vide supra pag. XXV n. 214. — Itinerario praemittitur titulus et nomen auctoris fol. 129. v.; quae repetuntur fol. 144. v. hoc modo: *Finit Itinerarius doctoris seraphici sancti Bonaventure.*

128. *Ibidem*, cod. 2511. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 107. r. est rubrica: *Incipit prohemium. Prologus. Opus consequens dicitur Itinerarius de ascensu mentis in Deum, quem Itinerarium composuit frater Bonaventura olim generalis minister ordinis fratrum minorum, postea dominus cardinalis episcopus albanensis.* Explicit ut in editis, fol. 116. verso.

129. *Ibidem*, cod. 3939. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 260. r. Itinerario praemittitur haec rubrica: *Incipiunt septem gradus contemplationis seraphici ac magnifici viri domini Bonaventure doctoris eximii de ordine fratrum minorum, postea cardinalis sancte romane ecclesie factus. Intitulatur etiam Itinerarius eiusdem. In principio* etc. Desinit fol. 273. v. sine alia additione.

130. *Prope Viennam*, bibliotheca Monasterii sanctae Crucis ordinis Cisterciensium, cod. 290. chart. in 4. saec. XIV. exeunt. — Itinerarium incipit fol. 149. r., praemisso titulo, et desinit fol. 162. v. cum hac additione: *Explicit Itinerarius mentis in Deum domini Bonaventure cardinalis ordinis minorum generalis ministri.*

131. *Ibidem*, cod. 263, de quo vide supra pag. XXV n. 218. — Itinerarium incipit fol. 92. r. sine ullo titulo et desinit fol. 99. v.: *dicet omnis populus: Fiat, fiat.*

132. *Prope Viennam*, bibliotheca Canonicorum Claustri-Neoburgensis, cod. chart. in fol. saec. XIV. exeunt. — Itinerarium incipit sine titulo fol. 146. v. et desinit fol. 153. v. cap. 7. n. 5. ad verba: *ab omnibus absolutus ascendas. Explicit tractatus utilis et profundus ac multum ad devotionem excitans, editus a fratre et domino Bonaventura cardinali* etc.

133. *Ibidem*, cod. 825. membr. in 4. saec. XIV. — Est titulus fol. 15. v. expressus his verbis: *Itinerarium mentis in Deum Bone venture.* Desinit fol. 27. r. ut in editis.

134. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. 452. Helm. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 110. r. praemittitur nomen *Bonaventura*, et hinc: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum. In principio* etc. Desinit ut in editione, fol. 120. recto.

135. *Ibidem*, cod. 550. Helm., de quo vide supra pag. XV n. 12. — Fol. 358. r.: *Incipit opusculum Bonaventure generalis ministri ordinis minorum, quod dicitur Itinerarius mentis in Deum.* Desinit sine alia indicatione fol. 370. v. in fine.

136. *Ibidem*, cod. 19. 29. August. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 173. r. est rubrica: *Opusculum fratris Bonaventure domini albanensis cardinalis ordinis fratrum minorum. Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum. Amen. In principio* etc. Desinit fol. 92. r.: *Fiat, fiat. Amen. Deo gratias.* Alia manus coaeva addit: *Explicit scala contemplationis.*

137. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I cl. in fol. 234. chart. saec. XV. — Fol. 227. v.: *Incipit prologus in Itinerarium mentis in Deum doctoris devoti domini Bone venture.* Desinit incompletum fol. 234. r. ad verba cap. 3. n. 4.: *retinet etiam simplicia.*

138. *Zwettell* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 391. membr. in 8. saec. XIV. — Itinerarium incipit sine ullo titulo operis et sine nomine auctoris, sic similiter explicit; convenit cum editis.

CAP. V.

In opusculum de Reductione artium ad theologiam.

§ 1. **Primo agendum nobis est de inscriptione seu titulo huius opusculi.** — Retinuimus inscriptionem usu receptam *de Reductione artium ad theologiam*, sed haec nec satis conveniens nec ab auctore orta esse videtur. Iam Sbaralea (Supplement. pag. 146, col. 2. seq.) observat de eadem: « Posset vel debet appellari *de Illuminationibus*, agit enim de sex illuminationibus huius vitae ». Etiam codices et indiculi non conveniunt in inscribendo eodem libello. Ut ex codicibus § 3. descriptis apparet, non pauci inscribunt: *Sermo fratris Bonaventure*, vel *Sermo bonus et utilis* (Monacensis bibliotheca, cod. 2701.), vel *Sermo fratris Bonaventure de opere superiori* (Monacens. cod. 2721. et 2657.), vel *Sermo Bonaventure de septem artibus mechanicis* (Monacens. cod. 7798.). Et revera videtur fuisse primitus *sermo* ore prolatus, et deinceps paululum mutatus. — In cod. I (olim Assisiensi) inscriptio est: *Incipit tractatus de divisione scientiarum*; etiam in tabula eiusdem scripta saec. XIII. opusculum sic inscribitur et S. Bonaventurae tribuitur. Fere idem est in H et L. In cod. Cortonensi legitur sic: *Incipit liber domini Bonaventure de Balneoregio ordinis minorum de luminibus sive de ortu scientiarum. Incipit prologus.*

Quoad titulum *de ortu scientiarum* observandum est, Waddingum (Scriptores Ord. Min. pag. 47, col. 1. edit. Roman. 1806) putasse, S. Bonaventuram scripsisse aliud opus speciale *de Ortu scientiarum*, quod manuscriptum conservaretur in bibliotheca Florentina Patrum Conventualium. Sed iam Sbaralea

(Supplem. pag. 166, col. 2.) observavit, hoc opus (inscriptum etiam *de Divisione scientiarum*) a gravibus scriptoribus attribui Roberto Kilwardby Ord. Praed. et archiepiscopo Cantuariensi (cfr. Echard, Scriptores etc. I. pag. 376, col. 2.). P. Fidelis a Fanna refert duos codices Parisienses (Sorbon. cod. 15449, olim 520, et 16390, olim 1622.), in quibus illi Roberto tribuitur opusculum, quod incipit: « Scientiarum alia est divina, alia humana », et inscribitur: *Magistri Roberti de ortu scientiarum.*

§ 2. **Certum est, hoc opusculum auctorem habere S. Bonaventuram.** — Oudinus (Comment. de Scriptoribus ecclesiast. tom. III. col. 373, Dissert. singularis c. 10. n. 1.) de hoc dubitare vult, licet fateatur, libellum non esse indignum S. Bonaventura. Sola et vere futilis ratio eiusdem est, quod (n. 5. in fine) Richardo et Hugoni a S. Victore « praestantiora munera attribuantur ». Unde suspicatur, quendam Canonicum Victorinum hoc scripsisse. Oudino penitus assentiunt editores Veneti in Diatriba tom. I. praemissa, pag. 88, qui insuper addunt: « Id ut ei abiudicemus, simplex inconditusque monet sermo ». In hoc ipsi insistunt vestigiis Oudini, qui plerumque ex hac praecipue ratione reiicit multa opuscula ut spuria, quia habent terminos Ciceroni quidem inusitatos, sed media aetate communissimos. Barbarum enim et indoctum iudicat esse scriptorem, qui terminis utitur interdictis ab humanistis. Attamen in applicanda hac regula Oudinus mira levitate procedit. Nam solummodo propter quaedam vocabula barbara aliquod opus pronuntiat Bonaventura indignum, idemque aliud, quod eadem barbara vocabula continet, censet esse ipso dignum, ut Bonelli in suo Prodromo, diligenti examine praemisso, toties abunde ostendit. — Ceterum editores Veneti concludunt: « An non fallamur, eruditorum esto iudicium ».

Sed praeter indiculos non paucos (praecipue Trithemii) atque editiones et codices a nobis relatos ipsa interna criteria pro Bonaventura suffragium ferunt. Citationes a nobis ad calcem positae, quibus aliae sumtae ex Collationibus in Hexaëmeron facile addi possent, plane ostendunt, quam conformis sit huius libelli tum doctrina tum modus loquendi illi qui in certis Bonaventurianis scriptis invenitur.

Primo impressum est opusculum in collectione Coloniensi (per Coelhoff de Lubeck) an. 1486, deinde in Argentina an. 1495 et in multis aliis post eam (vide infra c. 11.). — De eodem scripsit, teste Sbaralea (loc. cit. pag. 147, col. 1.), Petrus Zaccarellus Meldulensis Min. Convent. librum inscriptum *Academia seraphica*, hoc est centum *tabulae* interpretantes hunc libellum, Montefalisco an 1730, in fol. typis Seminarii.

§ 3. **Etiam codices attestantur, opusculum esse genuinum.** — Plurimi eorum, etiam antiqui, ipsum attribuunt S. Bonaventurae, ut ex sequente elencho apparet.

I.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *Cortonae* in Tuscia, bibliotheca Publica, cod. 209, de quo vide supra pag. XXVII n. 1. — Post alia opera fol. 44. habetur rubrica his verbis efformata: *Incipit liber domini Bonaventure de Balneoregio ordinis minorum de luminibus sive de ortu scientiarum. Incipit prologus. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 52. his verbis: *veritatem. Cui cum Patre et eodem Spiritu sancto sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.* Vide infra n. 34. — In hac nostra editione signatur littera K.

2. *Florentiae*, bibliotheca Riccardiana, cod. CCCXLIX. chart. in 8. saec. XIV. exeunt. et XV. ineunt. Scriptum de Reductione artium etc. est saec. XV. — Incipit fol. 75. r., cui eadem manus praemisit: *Bonaventura de divisione scientiarum. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 79. r.: *qui docet nos omnem veritatem. Explicit de divisione scientiarum secundum dominum Bonaventuram. Deo gratias.* — Sign. L.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 2721, de quo vide supra pag. XXVIII n. 11. — Fol. 73. v. praefertur titulus his verbis: *Sermo fratris Bone venture de opere superiori. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 85. r. hoc modo: *omnem veritatem. Amen. Explicit sermo de opere superiori.* — Sign. A.

4. *Ibidem*, cod. 2657, de quo vide supra pag. XXVIII n. 10. — Est titulus huius operis fol. 220. r. sic expressus: *Sermo fratris Bone venture de opere superiori. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 224. v. ut in editis. — Sign. B.

5. *Ibidem*, cod. 7798. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Incipit fol. 174. r. hoc titulo: *Sermo Bonaventure de septem artibus mechanicis et unione Dei et anime et aliis multis. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 176. v.: *docet nos omnem veritatem. Amen.* — Sign. C.

6. *Ibidem*, cod. 7971, de quo vide supra pag. XXVIII n. 13. — Fol. 11. r. post Itinerarium mentis in Deum (sine nomine auctoris) sequitur: *Item sermo eiusdem. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 15. r.: *docet nos omnem veritatem.* — Sign. D.

7. *Ibidem*, cod. 23449, de quo vide supra pag. XXVII n. 7. — Fol. 149. r. huic operi praemittitur simpliciter: *Sermo.* Desinit fol. 154. r.: *omnem veritatem,* quin aliud addatur. — Sign. E.

8. *Ibidem*, cod. 23861, de quo vide supra pag. XXVIII n. 12. — Est titulus fol. 214. v. sic efformatus: *Incipit tractatus bonus trium graduum, quibus perducitur ad veram sapientiam. Omne datum* etc. Desinit fol. 219. v.: *docet nos omnem veritatem.* — Sign. F.

9. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. G. VII. 35, de quo vide supra pag. XVIII n. 17. — Opus de Reductione artium incipit fol. 86. r. sine titulo et sine nomine auctoris; desinit: *docet nos omnem veritatem. Amen.* — Sign. G.

10. *Romae*, bibliotheca Principum Burghesiorum, cod. 30. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 35. r. sine ullo titulo praemittitur quaedam introductio anonyma, quam omittendam esse putavimus. Desinit fol. 37. r.: *docet nos omnem veritatem, qui cum Patre et Filio regnat Deus. Amen. Explicit tractatus fratris B. de divisione scientiarum.* — Sign. H.

11. *Ibidem*, cod. apud D. Spithoever asservatus, olim Assisiensis, membr. in fol. saec. XIII. — Post alia et aliorum opera habetur opus Reductionis artium ad theologiam fol. 104. sub hac rubrica: *Incipit tractatus de divisione scientiarum. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 105. v. ad verba: *et verbum incarnatum. Rationes vero* (nostrae editionis n. 20.). In tabula praefixa opusculum attribuitur S. Bonaventurae. — Sign. I.

II.

Codices a nobis non collati.

12. *Basileae* in Helvetia, bibliotheca Publica, cod. B. VIII. 29, de quo vide supra pag. XXVIII n. 18. — Post opus Itine-

raru sub nomine *fratris Bonaventure* etc. sequitur fol. non numerato r.: *Incipit tractatus eiusdem de divisione artium et scientiarum nuncupatus. Omne datum optimum* etc. Desinit verbis: *docet nos omnem veritatem.*

13. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 3052. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 19. r.: *Incipit libellus sancti Bonaventure de reductione artium ad theologiam.* Desinit fol. 25. r. verbis: *docet nos omnem veritatem, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.*

14. *Darmstadii* in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. 696, de quo vide supra pag. XX n. 66. — Post alia opuscula habet hanc rubricam fol. 84. r.: *Sequitur eiusdem venerabilis doctoris devoti Banaventure libellus de reductione artium ad theologiam.* Desinit fol. 90. r. ut in editione.

15. *Düsseldorpii*, bibliotheca Civitatis, cod. sine nota, chart. in 8. saec. XV. — Dicitur in initio: *Liber Cruciferorum in Düsseldorp, scriptus a fratre Iordano. Requiescat in pace. Amen.* Incipit fol. 2. r. verbis: *abstrahibilium secundum rationes intelligibiles* (in nostra edit. n. 4.); praecedentia desiderantur. Desinit fol. 18. v. et clauditur: *Explicit libellus sancti Bonaventure ordinis fratrum minorum de reductione artium ad theologiam.*

16. *Giessae* in Hassia, bibliotheca Universitatis, cod. 678, de quo vide supra pag. XXIX n. 44. — Opus de Reductione artium incipit fol. 164. v. col. 1. sine titulo et nota auctoris. Desinit fol. 167. v.: *docet nos omnem veritatem. Explicit.*

17. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. B. B. Tab. 145. n. 17, de quo vide supra pag. XXI n. 93. — Incipit fol. 104. r. absolute: *Omne datum optimum* etc., et desinit fol. 106. r.: *docet nos omnem veritatem*, sine alia additione.

18. *Medelcii*, cod. N. 7, de quo vide supra pag. XXX n. 67. — Post Itinerarium sub nomine *Bonaventure* sequitur fol. 12. r. haec rubrica: *Sermo eiusdem.* Desinit fol. 16. r. ut in editis.

19. *Moguntiae*, cod. chart. 421. progress. 232., qui est in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 31. r. in superiore margine haec habet: *Incipit tractatus, qui dicitur Itinerarius mentis in Deum de triplici via;* sed immediate post scriptor se corrigit hoc modo: *Vel aliter, incipit parvum bonum fratris Bonaventure;* et iterum: *Vel incipit tractatus de divisione scientiarum et reductione ad sacram scripturam. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 37. v.: *docet nos omnem veritatem.*

20. *Ibidem*, cod. chart. 545. progress. 306. in 8. saec. XV. ineuntis. — Ante medietatem voluminis, cuius folia numeris vacant, legitur fol. r.: *Incipit tractatus de divisione scientiarum et reductione ad sacram scripturam, editus a fratre Bonaventura.* Incipit et desinit ut in editis.

21. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 7505, de quo vide supra pag. XXX n. 73. — Opus de Reductione artium incipit fol. 234. r. et desinit fol. 238. r.: *docet nos omnem veritatem etc.*

22. *Ibidem*, cod. 18651, de quo vide supra pag. XXX n. 75. — Expleto opusculo Itinerarii Bonaventurae tributo, sequitur fol. 154. r.: *Incipit alius sermo eiusdem.* Desinit ut in editis, fol. 160. verso.

23. *Ibidem*, cod. 2701. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 30. r. legitur: *Sermo bonus et utilis. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 35. r.: *docet nos omnem veritatem.*

24. *Ibidem*, cod. 17837, de quo vide supra pag. XXVII n. 5. — Fol. 270. r. post *Explicit Itinerarius* etc., sequitur sine ulla nota opus de Reductione artium, cuius initium: *Omne datum optimum* etc. Desinit ut in editis, fol. 274. recto.

25. *Ibidem*, cod. 21232, de quo vide supra pag. XXVII n. 6. — Opusculum de Reductione artium incipit sine nomine auctoris sub hoc titulo fol. 173. v.: *De illuminatione artium;* decurrit usque ad verba: *lumen philosophie rationalis, lumen philosophic* (n. 6.). Cetera desiderantur, quia folia sunt deperdita.

26. *Ibidem*, cod. 5014, de quo vide supra pag. XXX n. 72. — Expleto Itinerario mentis in Deum fol. 57. r. sub nomine Bonaventurae, sequitur parte versa: *Sermo eiusdem. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. 70. v. ut in editis.

27. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 3, de quo vide supra pag. XXXI n. 81. — Praemittitur titulus fol. 53. v. his verbis: *Tractatus domini Bonaventure de quadruplici lumine, reducens in theologiam omnes artes et scientias.* Desinit fol. 58. r. cum hac additione: *Explicit tractatus venerabilis domini Bonaventure.*

28. *Oxonii* in Anglia, cod. canonic. 284, de quo vide supra pag. XXIII n. 149. — Fol. 77. v. col. 2. est rubrica his verbis expressa: *Incipit tractatus fratris B. de divisione scientiarum. Omne datum optimum* etc. Desinit ut editi, fol. 81. v. col. 2. cum additamento: *Explicit tractatus de divisione scientiarum.*

29. *Sancti Floriani* in Austria, bibliotheca Monasterii Canonicorum Regular., cod. XI. 160, de quo vide supra pag. XXXII n. 104. — Opus de Reductione artium est fol. 133. sub sequente titulo: *Incipit luminarius Bonaventure.* Hinc idem repetitur fol. 139. post *Explicit*, ubi manus posterior ante nomen *Bonaventure* suffecit *sancti.*

30. *Suessonibus* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 118, de quo vide supra pag. XXXII n. 109. — Fol. 13. r. praemittitur haec rubrica a prima manu exarata: *Incipit tractatus de divisione scientiarum.* Desinit fol. 18. r.: *docet nos omnem veritatem. Explicit tractatus de divisione scientiarum Bone adventure.*

31. *Treviris*, cod. 584, de quo vide supra pag. XXXII n. 115. — Opusculum de Reductione artium incipit sine titulo et nota auctoris fol. 41. v. col. 1; deficit ibidem col. 2. in fine verbis: *Denominatur autem ab unius parte solum* (in edit. n. 2.). Sequentia folia codicis fuerunt abstracta.

32. *Vindobonae*, bibliotheca P[illegible], cod. 5086, de quo vide supra pag. XXXIII n. 125. — Reductio artium incipit sine ulla inscriptione fol. 66. r. et desinit ut in editis fol. 71. r. similiter sine ulla additione.

33. *Voravii* (Vorau) in Stiria, bibliotheca Canonicae, cod. CLXXIII. membr. in 8. saec. XIV. — Post alia opuscula fol. non numerato incipit opus de Reductione artium sub titulo: *De quadruplici illuminatione. Omne datum optimum* etc. Desinit fol. v., sed incomplete.

34. *Zwolliae*, in archivo Civitatis, cod. IX. membr. in 4. — Opusculum de Reductione artium subiungitur Centiloquio nomine *Bonaventure* exarato; titulus fol. 105. sic est expressus: *Incipit tractatus eiusdem de quatuor luminibus, qui et prima pars Itinerarii dicitur. Omne datum optimum* etc. Hic codex habet cum codice K tabulam capitulorum seu luminum diversimode dispositam ab aliis codicibus post verba: *possumus tamen distinguere diversa lumina.*

De lumine artis mechanice. I. cap. Primum (in nostra editione n. 2.).

De lumine cognitionis sensitive. II. cap. Secundum (n. 3.).

De lumine cognitionis philosophice. III. cap. Tertium (n. 4.).

De lumine cognitionis philosophie rationalis. IV. cap. Et quoniam (n. 4.).

De lumine cognitionis philosophie naturalis. V. cap. Rursus (n. 4.).

De lumine cognitionis philosophie moralis. VI. cap. Postremo (n. 4.).

De lumine sacre scripture. VII. cap. Quartum (n. 5.).

Reductio illuminationis cognitionis sensitive ad lumen sacre scripture. VIII. cap. Videamus (n. 8.).

Reductio luminis artis mechanice ad lumen sacre scripture IX. cap. Secundo vid. (n. 11.).

Reductio luminis rationalis philosophie ad lumen sacre scripture. X. cap. Iuxta (n. 15.).

Reductio luminis naturalis philosophie ad lumen sacre scripture. XI. cap. Secundum etiam (n. 19.).

Reductio luminis moralis philosophie ad lumen sacre scripture. XII. cap. Penes modos (n. 23.).

Desinit cum hoc capitulo fol. 113. v. prope finem his verbis: *docet nos omnem veritatem. Ipsi una cum Patre sit honor et gloria. Amen. Deo gratias. Explicit prima pars Itinerarii Bonaventure, anno Domini MCCCCLXXX. feria secunda post dominicam palmarum.*

CAP. VI.

In Collationes in Hexaëmeron.

Praemittimus quasdam observationes circa has Collationes et duas, quae sequuntur, scilicet de septem donis Spiritus S. et de decem praeceptis.

Primo haec tria opuscula non sunt a S. Doctore scripto edita, sed ex ore dicentis ab auditoribus excepta, sive, ut illa aetate dicebatur, *reportata* aliisque communicata. Ipsa orationis forma hinc inde imperfecta et in ordine sententiarum abrupta hoc satis indicat ei qui stili Bonaventuriani gnarus est. Stilus enim eius, licet compendiosus et sententiis singulari modo refertus, stringenti ordine logico procedit. Insuper non desunt documenta historica, quae nostram assertionem quoad singula confirmant.

Secundo, hoc primum opusculum foede corruptum et interpolatum hucusque prodierat; hinc lectiones variantes etiam magni momenti e codicibus a nobis collectae ita modum excesserunt, ut sine taedio lectoris non potuissemus hic observare morem nostrum, locos editionis Vaticanae correctos ad calcem notandi. Raro et solummodo propter speciales rationes traditum textum et discrepantes codicum lectiones ad calcem posuimus. Idem dicendum de Collationibus de decem praeceptis.

Tertio, pro incriptione *Sermones* in Hexaëmeron secundum monitum P. Bonelli (Prodrom. col. 628) substituimus *Collationes* in Hexaëmeron, quem terminum, utpote rei consentaneum, etiam quoad duo alia opuscula retinuimus, licet his nomen *sermonum* satis bene conveniat et reapse in nonnullis manuscriptis antiquis tribuatur. *Collationes* enim ea aetate vocabantur discursus illi magis familiares, qui per modum conferentiarum et saepe in loco non sacro, ut in refectorio ad collationem vel in aulis scholarum recitabantur, praesertim, quando de eadem re plures discursus habebantur. Ipse Bonaventura utitur nomine *collationum* quoad Hexaëmeron et opusculum de septem donis Spiritus sancti (Collat. 2. n. 1, 3. n. 1. et 16. n. 6.), et etiam S. Bernardinus infra § 1. citatus nominat ipsas *collationes* in Hexaëmeron, non *sermones*. — Quarto, haec tria opuscula Parisiis recitata sunt hoc ordine temporis: primo Collationes de decem praeceptis in Quadragesima an. 1267, vel, ut alius cod. habet, an. 1268; deinde iterum in Quadragesima Collationes de septem donis Spiritus S., quae (collat. 1. n. 2.) praecedentes de decem praeceptis commemorant his verbis: « Alias dixi vobis de lege decalogi, et modo dico vobis de gratia », ipsae autem ut antea habitae commemorantur in Hexaëm. collat. 2. n. 1. et 3. n. 1. Satis etiam certum est, ultimas habitas esse Parisiis 1273 post Pascha.

§ 1. **Collationes in Hexaëmeron ex ore S. Bonaventurae ab auditoribus exceptae sunt.** — Inscriptio operis certe nec est a Bonaventura nec rem tractatam bene exprimit nec in ipsis collatis a nobis codicibus invenitur, quorum solus B titulum habet, sed a praedicto diversum (vide infra pag. 329, nota 1.). Cod. Senensis inscribit opus sic: « Incipiunt illuminationes Bonaventure de operibus VII dierum Parisius edite ». In prima editione (Argentina an. 1495) inscribitur: « Liber.... qui *Luminaria Ecclesiae* intitulatur *sive Illuminationes* sive de quinque visionibus »; in Vaticana: « Liber inscriptus *Illuminationes Ecclesiae in Hexaëmeron* »; quae insuper opusculum inepte ponit inter opera exegetica. Neutra inscriptio est nec potest esse secundum mentem S. Bonaventurae. — Rei tractatae magis conveniret titulus: Collationes de septem visionibus sive illuminationibus. Propositum enim auctoris fuit exponere in his collationibus septem gradatim ascendentes illuminationes, quas vocat *visiones*, quarum tantum quatuor reapse tractavit. Quod has illuminationes comparet operi sex vel septem dierum in Genesi, et ex hoc libro in principio collationum sumat textum Scripturae, est res, ut ita dicam, accidentalis. Sed ne mutando titulum operis iam frequenti usu receptum confusioni occasionem daremus, retinuimus verba *in Hexaëmeron*, addentes sive *Illuminationes Ecclesiae*.

Ipsa forma orationis non satis perfecta insinuat, ut iam diximus, verba S. Doctoris ab aliis esse *reportata*. Hoc manifeste probant etiam plures formulae dicendi, quibus scribentes indicant, se non referre ipsa dicentis verba, sed breviter tantum sensum, ut pag. 356, n. 13: *Et dicebat*, scil. Bonaventura; pag. 390, n. 14: *Et dixit hic;* pag. 405, n. 15: *Et dixit, quod iam venerat... Et frequentissime inculcabat* etc. In seqq. collationibus passim idem occurrit; et mirum est, quod editores Vaticanae in istis locis frustra quaesierint alium horum verborum auctorem.

Non desunt testimonia historica, quae praedicta confirmant. Anonymus auctor illorum Chronicorum, quae vocantur XXIV Generalium, scribit (in cod. Assisiensi fol. 100. r. col. 2.): « Tunc enim vernali tempore Generalis [Bonav.] Parisius existens legit et exposuit primum capitulum libri Genesis, multis hinc inde quasi innumerabilibus ad lectionem confluentibus, et inde reportatus est et confectus libellus, qui de VII visionibus vel luminibus intitulatur. Sed antequam quintam visionem seu expositionem quinti diei complevisset, ad dictam praelationem [i. e. secundum auctorem ad archiepiscopatum Eboracensem] electus, dictum librum dimisit ». — Recte monet Bonelli (Prodrom. col. 223), *dictam praelationem* referendam esse non ad illum

archiepiscopatum, quem Clemens IV. an. 1265 Bonaventurae obtulit, sed ad electionem eiusdem ad cardinalatum, a Gregorio X. die 3. Iunii an. 1273 factam. Nam illa Clementis IV. electio non acceptata nequivisset impedire, quominus S. Doctor sequentibus octo annis opus complevisset. Insuper ex codicibus nostris supra citatis constat, Collationes de septem donis non esse habitas ante annum 1268, vel 1269; et cum in collat. 2. et 3. in Hexaëmeron illae citentur, patet, easdem diu post mortem Clementis IV. recitatas esse. Eadem Chronica (fol. 107. v. col. 1.) de altera promotione habent: « Anno vero Domini MCCLXXIIII [est error, fuit 1273] tempore vernali idem generalis Minister Parisius existens vocatus fuit a domino Gregorio praedicto, qui ipsum recipere cardinalatum et episcopatum Albanensem coegit. Et tunc fuit in Lugduno generale Concilium celebratum in mense madio inchoatum ».

Promotionem memoratam ad cardinalem dignitatem causam fuisse interrumpendi inceptas collationes, clare indicat illud cuiusdam anonymi additamentum a nobis ad calcem positum (pag. 449), quod habetur in omnibus quidem editionibus, sed tantum in duobus codicibus non collatis. Anonymus hic deplorat, quod « superveniente statu excelsiori et vitae exitu [1274] domini et magistri, huius operis prosecutionem prosecuturi non acceperint ». Deinde affirmat, se cum duobus sociis notasse quae « de ore loquentis rapere poteram in quaterno »; se exemplar suum correxisse, et ipsum doctorem operis et quamplures alios de suo exemplari rescripsisse. Porro, quod notandum est, dicit, « se elapsis multis diebus », favente *et libros ministrante* fratre « Thoma, ministro Alemanniae superioris » sive Provinciae Argentinae, iterum respexisse quod veloci manu scripsisset et denuo *ex memoria* emendasse, nihil tamen se apposuisse, quod orator non dixisset, nisi quasdam auctoritates. In fine asserit, praesentes istis collationibus astitisse aliquos magistros et baccalarios theologiae et 160 fratres.

Quaeritur igitur, utrum hoc additamentum sit genuinum, sive utrum qui hoc scripsit sit unus idemque cum eo qui Bonaventuram praedicantem audivit et eius verba scripto, quantum poterat, excepit, an vero alius anonymus, qui, cum aliunde has Collationes accepisset, mentitus sit, se ex *memoria* eas in quibusdam rebus mutasse. — Waddingus, Bonelli aliique affirmant vel supponunt, illud esse genuinum. Ut nostram sententiam de hoc dicamus, opinamur, quod cum iam exploratum sit, has Collationes, ut sunt editae, praesertim tres priores, fuisse ab aliquo postea interpolatas et mutatas, parum intersit quoad ipsam rem, utrum hoc factum sit ab illo primo scriptore anonymo, an ab alio, vel accedente etiam tertio. In ipsis enim verbis additamenti habemus confessionem, quod « elapsis multis diebus », alia manus, adhibitis etiam aliorum auctorum libris, laboraverit pro textu in scriptis tradito corrigendo et aliquatenus mutando. Quicumque igitur sit scriptor anonymus huius additamenti, confessio ipsius sufficit ad explicandam differentiam inter textum editarum Collationum et eum quem habent codices.

Pro eo, quod hoc additamentum sit suppositilium, afferri posset primo ille error, quem habet circa annum, cum scribatur in omnibus editionibus antiquis ac Vaticana et etiam in codice Senensi, hoc opusculum lectum esse Parisiis an. MCCLXXIV (quem errorem manifestum in nostra editione correximus), cum certissimum sit, S. Bonaventuram anno 1273 electum esse cardinalem et a Parisiis recessisse. Sed cum nihil frequentius sit in codicibus quam error in numeris scribendis, haec ratio parum urget. Maioris momenti est alia res, quod scilicet, cum nominetur quidam « frater *Thomas*, minister Alemanniae superioris », in catalogo Provincialium Provinciae Argentinae nullus inveniatur Pater huius nominis, qui ipsi praefuerit, ut videri potest ex isto catalogo, quem accuratissime publicavit cl. P. Conradus Eubel Min. Conv. in libro: Geschichte der oberdeutschen Minoriten-Provinz, Würzburg 1886, tom. I. pag. 157 seqq. Sed neque hic error rem reddit prorsus exploratam.

Hanc igitur quaestionem de uno, vel pluribus anonymis relinquentes integram, certissimum esse contendimus, S. Bonaventuram esse *auctorem*, non autem scriptorem et editorem harum Collationum. Praeter tot editiones et plures codices pro Bonaventura auctore testantur Chronicon XXIV Generalium; Bartholomaeus Pisanus (l. Conformit. fruct. 8. p. 2.), qui opusculo tribuit titulum: Librum de operibus sex dierum; anonymus Stronconiensis, eandem habens inscriptionem; S. Bernardinus Senensis, qui in Operum suorum tom. II. pag. 28, col. 1. scribit: « Hoc sentit Bonaventura in suis Illuminationibus, visione prima et collat. 2. »; Robertus de Licio « super Genesim opus, quod intitulatur de Septem Visionibus; Trithemius dicens: « *Illuminationum* insigne opus, liber unus », aliique posteriores multi (vide infra c. 12).

De multitudine et pondere gravissimarum sententiarum, quibus refertum est hoc opusculum, et earum concordia perfectissima cum doctrina Bonaventuriana multa verba facere coram illis qui nostram editionem et subnexum scholion examinare voluerint, superfluum esse videtur. Iam Sixtus Senensis Ord. Praed. (*Bibliotheca sancta*, S. Pio V. dedicata, et ultimo edita Neapoli 1742 tom. I. pag. 346) haec de his Collationibus scripsit: « Hic inter multa piissima opera, quae verbis ardentissimis et altissimis sensibus ad illuminandos animos et inflammandas voluntates legentium divino accensus amore composuit, nobile quoque opus in Hexaëmeron scholastico dictionis genere dictavit, cui de *Luminaribus Ecclesiae* sive de *Illuminationibus* sive de *quinque* [sic] *Visionibus* idcirco titulus est, quia in eo potissimum exponuntur quinque illae visiones Dei, comprehensae in ea sententia Moysi: *Vidit Deus, quod esset bonum* etc., quinquies in principio Geneseos repetita. Initium operis est: *In medio Ecclesiae aperuit os eius* etc. Dividitur autem universum opus in sermones viginti tres, tropologicis sensibus, flagrantibus sententiis et abstrusis scholasticae mysticaeque theologiae arcanis refertissimos ». — Plura de praestantia doctrinae in his Collationibus contentae et eiusdem convenientia cum Bonaventuriana in aliis operibus expressae habet Bonelli (Prodrom. col. 624 seqq.). Idem apparet ex nostris notis et adiecto scholio.

§ 2. **Restat diluere rationes, quibus Casimirus Oudinus, editores Veneti et Sbaralea inducti sunt, ut hoc opus Bonaventurae abiudicarent.** — Venia danda est praedictis, quod taedio corruptarum editionum affecti et in verborum superficie haerentes, ipsum opus leviter et negligenter examinaverint. Audiamus, quid opponant praedicti, praesertim Sbaralea, qui post alios duos scripsit et maioris in hac re diiudicandus est auctoritatis.

Oudinus et Veneti editores ut signum suppositionis irridentes afferunt vocem *trifurcatur*, quae legebatur in antiquis editionibus (collat. 2. et in edit. Vat. pag. 15, col. 1.). Sed hic locus est interpolatus et sumtus ex collat. 1. n. 15. opusculi de septem donis Spiritus S., et ibi vox illa non invenitur, nec in ullo codice nec in nostra editione; praeterea, Sbaralea ostendit, vocem *bifurcare* usurpatam esse ab alio auctore saec. XII!

Hoc profecto editores Veneti nesciebant, cum scripserunt: « Indocti sumus, si Arabicam vocem *trifurcatur* tribuere velimus scriptoribus saeculi XIII ». — Secundo iidem urgent iam notatum errorem circa numerum anni 1274 pro anno 1273, et Veneti accusant Waddingum, quod corrigens errorem, contra editiones posuerit annum 1273; deinde concludunt: « Id si ita est, vel nobis tacentibus, facile quisque perspicit, nihil hac epocha validius, quo suppositum Bonaventurae opus esse dicamus ». Sed e contrario facile quisque perspiciet, nihil hoc argumento esse infirmius. Nam non Bonaventura, sed quidam anonymus scripsit hoc additamentum, et dubium remanet, utrum error numeri imputandus sit auctori additamenti, vel alii librario. Deinde, etiamsi totum illud additamentum (quod deest in omnibus antiquis codicibus) sit spurium, nihil per hoc praeindicatur auctoritati harum Collationum, quae non tam illo additamento quam aliunde certis monumentis probatur.

Sbaralea (Supplem. etc. pag. 256) primo opponit locum in collat. 22. n. 18. et putat, quod ibi auctor ita historiae ignarum se ostendat, ut S. Ambrosium faciat consiliarium Constantini, nec distinguat *Saracenum* a catechumeno. Sed quoad primum Sbaralea falso intellexit illum locum. Nam ibi sermo est tum de malis et bonis principibus, tum de malis et bonis consiliariis principum. Pro exemplo *boni principis* adducitur Constantinus, pro exemplo *boni consiliarii* S. Ambrosius; sed nullatenus asseritur, Ambrosium fuisse consiliarium *Constantini*. Quod attinet vocem *Saracenus*, cod. noster A in margine addit *seu paganus*, et vox *catechumenus* non intelligenda est, ut exprimat eundem sensum ac *Saracenus*, sed ut addat novam proprietatem. Cum autem illa aetate in Europa vix alii pagani noti essent praeter Saracenos, ille terminus in lingua vulgari accipere poterat sensum genericum. — Denique idem scandalizatur eo quod sequitur: « Sed modo principes sunt socii furum et consiliarii in munere consulunt » (Isai. 1, 23.), et dicit: « Quis feret [Ecclesiae Doctorem] tam pravis moribus [!], ut universis principibus detraheret ». Sed ista applicatio verborum propheticorum non est detractio *universorum* principum, et auditores saeculi illius assueti erant liberiore reprehensione vitiorum, qua praedicatores nec magnis principibus nec praelatis publice peccantibus parcere solebant. — Idem vituperat ut minus prudenter dictum locum in collat. 5. n. 21: « Similiter logici cum suis sophismatibus et suis falsis positionibus fecerunt mundum insanire »; et addit: « Quasi Bonaventura, Thomas aliique doctissimi ac piissimi viri in ea facultate non se exercuerint » etc. Sed mira est hallucinatio doctissimi viri. Postquam Bonaventura in collat. 4. et 5. de novem bonis scientiis locutus est et eorum *bonum usum* commendavit, in hoc n. 21. paucis verbis singularum *abusum* commemorat: « Sed in his omnibus luxuriata est ratio: luxuriata est *metaphysica* » etc. Num soli *logici* bona sua scientia turpiter nunquam abusi sunt? Quid sentit egregius auctor ille de usu logicae, quem fecerunt non pauci inde a sophistis Graecis et dialecticis tempore Abaelardi usque ad Buridanum, immo usque ad dies nostros? Et praecise eo tempore, quo Bonaventura haec dixit, Stephanus Tempier, episc. Parisiensis, condemnavit 219 theses, quarum multae et insanissimae a logicis inventae erant (cfr. Chartul. Univers. Parisiens. pag. 486 et 543 seqq.). — Subinde obiicit, quod « auctor sectatur fabulas », quia in collat. 5. n. 19. narrat, quod Romani per artem diaboli elegissent Diocletianum. Sit fabula haec narratio, ut multae aliae res historicae illa aetate communiter creditae. Sed referre unam talem narratiunculam ab aliis auctoribus acceptam pro *exemplo* in sermone, minime est *sectari* fabulas.

Ultima censura est, quod « verbosior est, quam oporteat, et quam soleat deceatque doctorem gravem et seraphicum ». Mira censura! Verius diceretur: est nimis brevis, et scriptum ita immensis sententiis est repletum, ut hinc inde lector plura verba vel sententias debeat supplere. Sufficit legere nostra summaria vel etiam additum scholion, ut quisque facile sibi persuadeat, vix alium inveniri posse librum, in quo tot argumenta et sententiae profundae in paucis paginis sint coarctatae.

Bonelli (Prodrom. col. 627) his addit aliam obiectionem sumtam ex collat. 2. (edit. Vat. pag. 15, col. 1.), qui locus interpolatus reapse sumtus est ex opusculo de septem donis Spiritus S., collat. 1. n. 12, ubi legitur: « *Gratis accepistis, gratis date.* O sol, quare non vendis lumen tuum? Et tu, *Rhene* [sic habet Vat.], quare non vendis guttas tuas »? Unde obiicitur, hunc locum indicare non Parisiis, sed potius ad ripam Rheni praedicantem. Superflua sunt verba P. Bonelli hoc refellere conantis. Nam codices et nostra editio habent hanc lectionem: « Et tu, *Sequana* » etc.

Omnes igitur rationes praedictae vel penitus non tangunt verum textum opusculi, vel nullius sunt roboris. — Accedit, quod ratio habenda est modi imperfecti, quo verba S. Doctoris per alios nobis tradita sunt. Si igitur legens incidat in propositiones imperfecte, obscure vel ambigue expressas, culpa non est subito attribuenda auctori, sed potius audita imperfecte scribentibus. Unde etiam sequitur, ut verba scripti non sint premenda, sed potius in obscuris locis benigna interpretatio adhibenda.

§ 3. **Nunc dicendum est, quomodo se habuerit textus harum Collationum in praecedentibus editionibus, et qua ratione eum emendaverimus ope septem codicum.** — Typis primo impressum est hoc opusculum in collectione opusculorum Argentina an. 1495; in sequentibus editionibus, si praescindimus a paucis et exigui momenti lectionibus variis et a vitiis typographicis, idem textus reimpressus est. Cum locus primae editionis ad *Rhenum* positus sit, facile explicatur, quod nomen *Sequana* mutatum sit in *Rhenum*. Habita autem ratione saepius memorati additamenti, etiam si sit posteriore tempore scriptum; verisimile videtur, interpolationem et mutationem textus a quodam fratre Ordinis Minorum Provinciae Argentinae originem habere. Quando hoc acciderit, et quis hoc fecerit, non determinare possumus, et parum refert hoc scire.

Conferentes codices infra relatos cum editione Vaticana, vidimus, in tribus prioribus collationibus, esse magnas interpolationes, scilicet in n. 33. collationis primae et in n. 1. collationis 2. et 3. (vide ibi notas). Invenimus autem, in 2. collat. interpolata sumta esse ex collat. 1. et 9. de septem donis Spiritus S., in seq. vero ex collat. 8. Textus harum interpolationum paulo brevior et multo corruptior est, quam ille quem in hoc tomo publicamus, sed diffusior, quam qui legitur in Supplemento P. Bonelli.

Praeterea, in aliis partibus 2. et 3. collationis tanta differentia in ordine et in verbis sententiarum se offerebat, ut paginas integras codicum transcribere debuerimus. In sequentibus collationibus non sunt ita longae interpolationes nec transpositiones vel omissiones sententiarum tanti momenti; nihilominus farrago variarum et non levium lectionum ita abundabat, ut scriptae implerent 361 paginas in quarto.

Luce clarius apparuit, textum antiquorum codicum, licet repraesentet formam sermonis ex ore dicentis non perfecte ex-

cepti, praestantia multo superare hucusque editum. Relictis igitur editionibus, in reformando textu standum erat auctoritati codicum meliorum.

I.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *Brunopoli* (Braunschweig) in Germania, bibliotheca Civitatis, codex 44. chartaceus in folio, saeculi XV. circa medietatem. — Inter alia continet duo opera notata, in chartula asseri exteriori affixa, hac rubrica: *Ternarius et luminaria Bonaventure*. Hinc fol. 15. r. col. 1. incipit sine alio titulo: *In medio ecclesie aperuit* etc. Desinit fol. 72. v. sic: *et descendere ad inferiora. Expliciunt luminaria Bonaventure ordinis fratrum minorum.* — In hac nostra editione signatur littera F.

2. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. XXVII. dext. cod. 9, de quo vide etiam supra pag. XVII n. 6. — Pars codicis, quae complectitur Collationes in Hexaëmeron, est saec. XIV. ineuntis; incipit pag. 123, col. 1. sine titulo: *In medio ecclesie* etc. Desinit pag. 200, col. 2. verbis: *et descendere ad inferiora.* — Sign. A.

3. *Ibidem*, cod. (olim Conventus sanctissimae Annuntiatae, ordinis Servorum B. M. V. 192.) nunc 25. super portam membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Folia 1. et 2. continent tabulam Collationum ab alia manu eiusdem aevi exarata; fol. 3. r. est inscriptio haec: *Incipiunt visiones fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum. In medio ecclesie* etc. Desinit fol. 89. v.: *et descendere ad inferiora. Explicit. Benedictus Deus. Amen. Amen. Amen.* — Sign. B.

4. *Giessae* in Hassia, cod. 673, de quo vide supra pag. XXI n. 84. — Collationes incipiunt fol. 169. r. sine ulla rubrica: *In medio ecclesie*, et decurrunt usque ad fol. 240. v.: *et descendere ad inferiora. Expliciunt luminaria Bone venture. Deo gratias.* — Sign. G.

5. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 18653. chart. saec. XV. — Fol. 1. r. manus posterior notavit: *Liber sancti Bonaventure de sex generibus visionum intelligentie, sive liber illuminationum. In medio ecclesie* etc. Desinit fol. 130. v.: *descendere ad inferiora et ad superiora ascendere. Amen. Deo gratias.* — Sign. E.

6. *Regimontii*, bibliotheca Regia, cod. 1200. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Incipit fol. 1. r. sine titulo: *In medio ecclesie* etc. Desinit ut praecedens, fol. 90. r. Post *Amen* additur: *Finis adest scripto, sit laus et gloria Christo. Anima scriptoris pinguescat pneumate roris.* — Sign. D.

7. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 923. membr. in 8. saec. XV. — Folio 1. r. legitur: *Incipiunt illuminationes sancti Bonaventure cardinalis ordinis fratrum minorum. In medio ecclesie* etc. Desinit folio 112: *Per hunc enim ascenditur ad superiora et descenditur ad inferiora. Expliciunt illuminationes venerabilis inceptoris Bonaventure. Deo gratias. Amen.* — Sign. C.

Antiquiores codices constituunt unam familiam distinctam ab altera, scilicet a codd. B C. In prima familia maioris auctoritatis, licet non maioris correctionis, est A, qui ad marginem habet paucas correctiones, quae tantum respiciunt errata librarii. Correctior, saltem in prima parte, est D, qui plerumque convenit cum A; tamen in locis obscuris et depravatis ostendit interdum conatum non semper felicem, coniectando textum corrigendi. Manifestius et frequentius hoc observatur in E, minus in G, qui saepe est corruptus, et F, qui passim vitiis scatet. Praedicti tamen codices ex eodem primario fonte fluxerunt.

Ab his distinguuntur B et C, qui ita conveniunt, ut alter alterius apographum esse possit; unde ubi citatur B, quem in corrigendo opusculo habuimus ad manus, etiam C addi potest, exceptis duobus vel tribus locis. Hi a prima vero familia in multis differunt, ita ut P. Fidelis a Fanna suspicaretur, hos repraesentare textum ab alio scriptore reportatum. Sed instituto accurato examine, invenimus esse fere certum, quod aliquis anonymus conatus sit, traditum textum mutando reddere facilius intelligibilem et magis politum. Primo enim in tot locis, ubi sunt membra divisionis, haec scribit per modum cuiusdam schematis, et ad hunc finem constanter immutat vel omittit aliqua verba vel etiam integram propositionem. Hoc certe non convenit scriptori, qui audita velociter rapit, sed iam scripta revisenti et examinanti. — Secundo, ubi propositiones non erant inter se bene connexae, sed quasi abruptae, ille addit aliquam particulam orationis, ut *igitur, autem, praeterea*, praesertim voculam *enim*, aliaque verba addit vel mutat, et non raro satis infeliciter. — Tertio, difficiliores et obscuros locos saepe prorsus omittit; ubi vero oratio bene currit, rarissime a prima familia recedit, exceptis illis locis, quos primo notavimus.

His consideratis, praescripta nobis erat via in emendando textu tenenda. Duo antiquiores codd. A D, se invicem corrigentes et interdum supplentes, fere totum textum nostrum exhibent, tribus aliis eius familiae ipsum confirmantibus. In locis corruptis aliquoties ex E nonnulla verba supplevimus. Particulas illas orationis partes connectentes, ut *et, igitur, autem, enim, vero, est*, non raro ex B C, rarissime, urgente congruitate sermonis, ex nostra sententia supplevimus. In locis plane corruptis bis vel ter ex Vaticana unum alterumve verbum transtulimus. Paucissimi remanserunt loci, quae nos coegerunt invitos ad coniecturam confugere, de qua in notis rationem reddidimus. Operoso labore hoc assecutos nos esse opinamur, ut qui magis sententiarum gravitatem quam loquendi artem in his Collationibus respiciat, sine offensa eas percurrere et salutaris doctrinae fructus percipere possit.

II.

Codices a nobis non collati.

8. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 11874; qui non integras Collationes continet, sed potius excerpta ex eisdem.

9. *Monachii*, bibliotheca Universitatis, cod. 31; qui est recentioris aetatis, scilicet saec. XV. exeuntis. — In fine habetur illud *additamentum*, quod non est nisi in editionibus et etiam in sequente codice Senensi.

10. *Senis*, bibliotheca Civitatis, cod. U. V. 6. in 8. saec. XV. exeuntis. — Collationes in ipso sunt contractae, et etiam forma orationis passim mutata.

Antiquitus hoc opusculum fuit etiam in bibliotheca Conventus fratrum Minorum *Luneburgi* (nunc Civitatis) in Germania, ut testatur fragmentum exiguum 1. collat. in cod. theol. 9. in 4. parvo. Fol. 83. v. in margine superiore legitur: *Sermo primus*, et col. 1: *In medio ecclesie* etc. — Item, *Assisii* in bibliotheca s. Conventus, teste Sbaralea (Supplem. pag. 156,

col. 1.), et quidem disertis verbis ibi Bonaventurae tribuebatur (cfr. de hoc valde antiquo codice infra c. VII. § 2.).

CAP. VII.

In Collationes de septem donis Spiritus sancti.

§ 1. **Primo agendum est de quodam libro idem argumentum tractante, qui falso tributus est Bonaventurae.** — In collectione opusculorum Argentina an. 1494 primo prodiit opusculum in posteriores collectiones communiter receptum, quod inscribitur: *de Septem Donis Spiritus S.* et incipit: *Omne datum optimum.* Editiones illae et (quod sane mirandum) etiam editores Veneti illud opusculum attribuunt S. Bonaventurae, Oudino vero est *dubium.* Sed Sbaralea (Supplem. pag. 157 seq. et 641) ac Bonelli (Prodrom. col. 695 et 706) recte dicunt, illud esse certo *spurium* et habere eundem auctorem cum alio opusculo, quod inscribitur: *de Septem Itineribus aeternitatis*, qui fuit *Fr. Rodolphus de Bibraco* sive Biberaco (Bibaco, Biberach), oppido quodam vicino civitati Ulm, filius Provinciae fratrum Minorum Argentinae. Hic floruisse dicitur circa annum 1360. Etiam Oudinus et Veneti editores confitentur, alterum eiusdem opus falso Bonaventurae attribui. Sed auctor opusculi primi sive de Septem Donis c. 3. allegat ut suum opus praedictum librum de Septem Itineribus aeternitatis his verbis: « De his sensibus spiritualibus plenius dicitur in tractatu de Itineribus aeternitatis c. 6 ». — Praeterea iidem opponunt, quod nec stilus conveniat Bonaventurae nec, ut dicit Bonelli, doctrina quoad timorem *servilem.* Nam ille auctor (c. 1.) negat, istum timorem esse donum Spiritus S., dum S. Bonaventura (III. Sent. d. 34. p. II. a. 1. q. 1.) docet: « Absque dubio timor servilis est donum Spiritus sancti ». Insuper urgent, quod citata sumta sint ex scriptoribus Bonaventurae coaevis, v. g. ex abbate Vercellensi, ex Lincolniensi et ex ipso Ioan. Pechamo, discipulo S. Doctoris, quem ille citasse videtur sub nomine *Cantuariensis* super Cantica.

Confirmatur hoc iudicium a P. Fidele a Fanna, qui 18 codices vidit et annotavit, quorum nullus ante medium saec. XIV. scriptus est, et tantum sex illo saeculo post medium, reliqui saeculo XV. Omnes hi sunt anonymi praeter tres. Horum antiquior invenitur *Pragae,* bibliotheca Universitatis, cod. III, scriptus an. 1379 cum titulo: *Tractatus de septem donis S. S. magistri Iohannis R. de bibiaco.* — Alius saeculi XV. est *Wratislaviae,* bibliotheca Universitatis, cod. I. class. 4. 6. chart., qui in fine habet: « *Explicit tractatus Huberti de septem donis* ». — Nomen Bonaventurae solus habet eiusdem saeculi codex Parisiensis, bibliotheca Nationalis, cod. 17276. chart., qui sic explicit: *Tractatus editus a fratre Bonaventura ordinis fratrum minorum.*

Obiter notamus, quod *Berolini,* bibliotheca Regia, Ms. Germ. 164. in 4. saec. XV. est codex, qui praeter aliorum auctorum opuscula germanice translata habet etiam versionem plurium librorum asceticorum S. Bonaventurae, in specie cuiusdam Tractatus de donis Spiritus S. Sed ex praefixis verbis translatoris apparet, hunc tractatum excerptum esse ex nostri Doctoris Commentario in III. librum Sententiarum.

Animadvertendum est etiam, codices illos de donis Spiritus S. fere omnes inveniri in bibliothecis Germaniae et Austriae, exceptis quatuor, scilicet dicto *Parisiensi;* altero *Hagae Comitum* in Hollandia, cod. 283. chart. saec. XV; tertio *Traiecti* ad Rhenum, cod. 362. membr. saec. XV; quarto *Oxoniae,* Canonic. 52. membr. saec. XIV. Hoc non leve indicium est, auctorem in Germania librum istum composuisse.

§ 2. **Collationes de septem donis Spiritus S. genuinas esse, probatur testimonio ipsius S. Bonaventurae et antiquorum codicum.** — Superfluum est recurrere ad indiculos Trithemii aliorumque auctorum saeculi XV. et XVI, quorum aliqui non satis indicant, *quale* opusculum de donis Spiritus S. significare voluerint. Nam ipse S. Bonav., Collat. in Hexaëmeron, in collat. 2. n. 1. et 3. n. 1, clare indicat tres harum Collationum et rem, de qua tractant. — Has Collationes, sed non integras, primus edidit Bonelli (Supplem. III. col. 418 seqq.). Idem (Prodrom. col. 740) easdem Bonaventurae feliciter vindicavit. Ad edendas eas usus est exemplari, quod ei communicaverunt PP. Conventuales sacri Conventus Assisiensis, transcriptum ex cod. membr. in 4. n. 102, qui, iudice P. Sbaralea, fuit saec. XIII. In ipso inter alia opera scripta et Bonaventurae tributa erant quatuor opuscula in hoc V. tomo a nobis edita. Primum inscribitur: « Decem praecepta praedicata Parisius a fratre Bonaventura. Incipit: *Si vis ingredi in vitam* ». In fine: « Expliciunt decem praecepta praedicata Parisius a fratre Bonaventura ». Secundum est: « De operibus sex dierum ». Incipit: « *In medio Ecclesiae aperuit os eius* ». Finis: « descendere ad inferiora et ascendere ad superiora ». Tertium: « Septem dona Spiritus sancti praedicata a fratre Bonaventura ». In characteribus rubris: *Hortamur vos* (hoc est scriptum, quod primus edidit Bonelli). Quartum: « Expositio parabolarum evangelicarum de regno caelorum ». Incipit: « *Simile factum est* », de quo sermone infra c. 9. agitur.

Iam monuimus, opusculum ex isto codice sumtum non exhibere integras has Collationes, sed fere ad dimidiam partem contractas. Desiderantur exordia, et etiam integer sermo secundus de fortitudine. Nos easdem exhibemus, ut habentur in tribus codicibus saec. XIII. Etiam hae Collationes non sunt scriptae ab auctore, sed *reportatae* ab auditoribus. — P. Bonelli bene observat, tres harum Collationum, sed paulo diffusius legi iam in Hexaëmeron; ast deficientibus ei codicibus, non intellexit, eas ibi esse positas *per interpolationem*, sed putavit, S. Bonaventuram bis easdem res extensas fere eisdem verbis tractasse, quod incredibile est. Quo motus est, ut assumeret inanem laborem per auctoritatem illarum partium Hexaëmeron probandi, etiam has de donis Spiritus S. Collationes esse genuinas. — Textus Collationum apud Bonelli et illarum trium in Vaticana editione Hexaëmeron a nobis consultus est, sed non servivit nisi ad confirmationem quarundam lectionum, exceptis paucissimis locis, quos in notis notavimus.

De hoc opusculo et de duobus codicibus principalibus P. Fidelis a Fanna tractavit in suo libro: Ratio novae collectionis operum omnium S. Bonaventurae, Taurini, 1874, p. II. c. 8, ibique pag. 194-198 ad latus cuiusdam fragmenti editionis a Bonelli factae ponit respondens fragmentum codicis Parisiensis, ut uno intuitu conspici possit, quae sit differentia inter utrumque textum. Hi codices antiqui nomen Bonaventurae a prima manu scriptum habent et sunt testes idonei pro vero auctore.

§ 3. **Recensentur codices, quae habent Collationes de septem donis Spiritus sancti.**

1. *Oxoniae* in Anglia, bibliotheca Bodleiana (Asmoleana), cod. 757. membranaceus in 4. saeculi XIII. — Folio 188. r.

col. 1. prima manus exaravit hunc titulum: *Incipiunt sermones fratris Bonaventure de donis Spiritus sancti.* Inde prosequitur: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus, Deus tuus in eternum. Verbum secundo propositum* etc. — Desinit fol. 191. v. col. 2: *det nobis dona Spiritus sancti, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat* etc.

Collatio secunda incipit ibidem sub hac rubrica: *Sermo Bonaventure de dono timoris Domini. Venite filii; audite me, timorem Domini docebo vos. Audi tacens et pro reverentia accedet tibi bona gratia. Verbum ultimum scribitur* etc. — Desinit seu prosequitur usque ad verba: *Quantum autem ad gratie ortum* (nostrae editionis n. 1.). Deinde interseruntur sermones plurimi usque ad folium 278, ubi haec eadem resumitur collatio a verbis: *Requiescet super eum spiritus* etc. (nostrae edit. n. 2.). — Explicit fol. 286. r. col. 1: *ad quam nos perducat qui cum Patre* etc.

Collatio tertia sequitur ibidem cum hoc titulo: *Sermo Bonaventure de dono pietatis. Exerce temetipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vite que nunc est et future. Verba ista sunt* etc. — Desinit fol. 290. v. col. 1: *quam nobis prestare dignetur qui cum Patre* etc.

Collatio quarta sequitur immediate, hac praemissa rubrica: *Sermo fratris Bone fortune de dono scientie Dei. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientie claritatis Dei in facie Xpi Iesu. Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam? Psalmus David* etc. — Desinit fol. 295. r. col. 1: *Istam scientiam nobis prestare dignetur qui cum Patre* etc.

Collatio quinta sequitur his verbis: *Sermo fratris Bone fortune de dono fortitudinis. Mulierem fortem quis inveniet?* usque: *manuum suarum. Sicut turris David* usque: *armatura fortium. Verbum ultimum scribitur* etc. — Desinit fol. 298. r. col. 1: *Rogabimus Dominum* etc.

Collatio sexta sequitur immediate: *Sermo fratris Bone fortune de dono fortitudinis. Mulierem fortem quis inveniet* etc. *Ora pro nobis, quia mulier sancta es. Verbum ultimum fuit* etc. — Desinit fol. 303. r. col. 1: *quam nobis prestare dignetur qui cum Patre* etc.

Collatio septima prosequitur ibidem hoc titulo: *Sermo de dono consilii fratris Bone fortune. Mulierem fortem quis inveniet* etc. *Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentie? Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium. Iob facit questionem* etc. — Desinit fol. 306. v. col. 2: *ad quod nos perducat qui cum Patre* etc.

Collatio octava sequitur hac rubrica: *Sermo de dono intellectus fratris Bonaventure. Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Audiens sapiens sapientior erit et intelligens gubernacula possidebit. In secunda verbo* etc. — Desinit fol. 310. r. col. 1: *Rogabimus Dominum* etc.

Collatio nona praecedenti immediate subiicitur hac formula: *Sermo de dono sapientie fratris Bone fortune. Si consurrexistis cum Xpo* usque *super terram. Fili concupiscens sapientiam, conserva iustitiam, et Deus prebebit illam tibi. Verba ultima* etc. — Desinit fol. 314. v.: *Que sursum sunt debemus desiderare, videre et facere, ut ad ea possimus pervenire; quod nobis prestare* etc. — In hac nostra editione signatur littera B.

2. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 970. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — In superiore parte fol 1. r. recens manus exaravit *Bonaventura;* hinc sine alio titulo sequitur ab antiqua manu: *Hortamur vos ne in vacuum* etc, ut in praecedente codice. — Desinit collatio prima fol. 15. r.: *Incipiamus igitur ab ultimo, scilicet de timore.*

Deinde rubrica secundae collationis: *Sermo de timore Domini. Venite filii* etc. — Desinit fol. 33. v.: *ad benedictionem ad quam* etc.

Deinde rubrica tertiae collationis: *Sermo de dono pietatis. Exerce temetipsum* etc. — Desinit fol. 50. r.: *quam nobis* etc.

Deinde rubrica quartae collationis: *De dono scientie. Deus qui dixit de tenebris* etc. — Desinit fol. 68. v.: *Istam scientiam nobis prestare dignetur* etc.

Deinde sequitur rubrica collationis quintae: *De dono fortitudinis. Mulierem fortem* etc. — Desinit fol. 79. v. in fine: *Prestante ipso qui est trinus* etc.

Deinde rubrica collationis sextae fol. 80. r. in initio: *Sermo in annuntiatione dominica. Mulierem fortem* etc. — Desinit fol. 98. r.: *Dabo tibi coronam* etc.

Deinde ibidem incipit septima *collatio de beata Maria. Mulierem fortem* etc. — Desinit fol. 101. verbo: *purgatorium* (nostrae edit. n. 18.). Cetera desunt.

Deinde sequitur rubrica collationis octavae: *De dono consilii. Quesivit lanam* etc. — Desinit fol. 112. v.: *gaudium in eternum · ad quod* etc.

Sequitur nona et ultima collatio: *De dono intellectus. Benedicam Dominum* etc. — Desinit fol. 124. v.: *longum esset dicere. Rogabimus* etc. — Sign. A.

3. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 951. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Post alias collectiones sermonum habet a fol. 70. r. usque ad fol. 81. v. collationes de donis Spiritus sancti. Incipit ut alii codices et desinit in collatione 5. n. 15. verbis: *Tertio datur donum fortitudinis ad perferendas mundiales tribulationes.* Codex convenit cum Parisiensi, ex quo videtur esse exscriptus, unde collatio fuit inutilis.

4. *Venetiis*, ex bibliotheca adm. rev. Patris Morchio presbyteri Oratorii, cod. 14. alias 386. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 57. v. habet collationem 5. de fortitudine. Hoc codice usi sumus in corrigenda 5. collatione. — Sign. C.

5. *Rothomagi* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. A. 584. $\frac{546.}{549.}$ membr. in 8. saec. XIV. — Post multos aliorum sermones fol. 87. v. tres habet collationes de donis Spiritus sancti, hac rubrica indicatas: *Sermo Bone fortune de dono Spiritus sancti. Hortamur vos* etc. — Desinit: *Sed incipiamus ab ultimo, scilicet a timore Domini.*

Fol. 91. est rubrica: *De dono timoris. Venite filii, audite me* etc. — Desinit: *benedictionem glorie, ad* etc.

Fol. 95. est rubrica: *Sermo de dono intellectus. Benedicam Dominum* etc. — Desinit fol. 97: *in omnibus hominibus. Rogemus.* — Non est a nobis collatus.

Fauste evenit, ut duo priores codices satis evidenter repraesentent scripta a duobus distinctis auditoribus excepta. In plerisque propositionibus conveniunt, sed passim, quando alter omittit aliqua verba vel etiam integram propositionem, alter supplet omissa. In primis collationibus cod. Parisiensis (A) correctior et completior est, sed in octava et praecipue in nona collatione plura in ipso sunt contracte et confuse scripta. Semel in loco valde corrupto ex alio scripto S. Bonaventurae pauca verba supplevimus, ut planior fiat oratio. Generatim ex utroque codice tex-

tum ita ordinare potuimus, ut sensus facile intelligi possit, quin aliquid a nobis additum sit, nisi interdum quaedam particulae (ut *enim, igitur, autem*), quae propositiones inter se nectunt. In collatione quinta adhibuimus etiam tertium cod. (C), sed fere tantum ad confirmanda lectiones a nobis electas.

Collatio 6. tractat principaliter quidem de B. Virgine Maria, tamen non potuit separari a reliquis de septem donis Spiritus S., quia utraque collatio, scilicet quinta et sexta, intime sunt connexae, ut patet inspicienti.

Collationes istae dignissimae sunt seraphico Doctore et perfecte conformes doctrinae, quam alibi profitetur, ut satis ostendunt notae a nobis ad calcem positae. Sunt tamen faciliores intellectu quam aliae in Hexaëmeron, tum propter rem tractatam tum propter modum loquendi. Unde ipse auctor (collat. 1. n. 3. in fine) dicit: « Nolo dicere nisi planiori modo, quo potero, ut quilibet capere possit ». Refertae tamen sunt sententiis minime vulgaribus; unde praedicatoribus etiam nostrae aetatis passim subministrant apta pro sermonibus argumenta, sententias, divisiones et auctoritates Scripturae et sanctorum Patrum.

Ceterum habemus in hoc opusculo luculentum testimonium pro diligentissimo studio, quo S. Doctor, licet negotiis regiminis gravissimis disteutus, praedicando verbo Dei incubuit. Tres sermones satis extensos fecit duobus diebus sibi succedentibus. Nam in collat. 5. n. 2. ait: « De dono fortitudinis dicemus nunc; de privilegio fecunditatis cras in mane, et de dono consilii cras in sero » (cfr. collat. 6. n. 2. et 7. n. 2.).

CAP. VIII.

In Collationes de decem praeceptis.

§ 1. **Hae collationes editae sunt in duplici forma.** — In illa forma, quam exhibent collectiones operum ante et post Vaticanam, editae sunt primo in collectione Coloniensi an. 1486, quae in calce annotat, eas praedicatas esse a S. Bonaventura *Parisius ad Clerum.* In codicibus Parisiensi et Trecensi infra descriptis etiam *tempus* indicatur, scilicet in Quadragesima anni 1268, vel, ut ultimus habet, anni 1267.

Praeter editiones plurimas huius opusculi in forma sermonum habemus eiusdem editionem in forma libelli, qui dividitur in 12 capitula et ex quodam codice Cortonensi publicatus est a P. Benedicto Bonelli (Supplem. III. col. 344 seqq.). Sed hic libellus breviter extractus est ex illis Collationibus, non addit ullam sententiam novam, omittit introductiones collationum et praeter alia etiam illa exempla, quae, ut videbimus, valde offenderunt Oudinum et editores Venetos. Bonelli opinatur, ipsum Bonaventuram, cui praedictus codex hanc opellam tribuit, sermones illos ita mutatos edidisse; non enim insolitum ipsi fuisse brevius perstringere ea, de quibus alias latius disseruerit. Pro qua assertione tria exempla adducit, scilicet *Breviloquium* respectu quatuor librorum Sententiarum, *Centiloquium* respectu Breviloquii, et *Legendam minorem* S. Francisci (ad usum in divino officio compilatam) respectu *Legendae maioris.* Sed superfluum est probare, quod haec exempla non sunt ad propositum. Econtra facile explicari potest, quod sermones sive collationes ab auctore non scriptae, sed ab aliis utcumque *reportatae*, occasionem dederint, ut aliqui imperfecte scriptis formam darent ipsorum usui magis convenientem. Ita factum est de Collationibus in Hexaëmeron, quarum extractum exstare in duobus codicibus observavimus supra c. 6. § 3.; item etiam de Collationibus de septem donis Spiritus S., quarum extractum ab ipso Bonelli editum est; ita erit etiam de his quae decem praecepta declarant. Nam praeter editionem memoratam invenitur in nostris codicibus infra referendis alterum extractum editione illa paulo diffusius et antiquis codicibus vicinius, quod eodem iure S. Doctori attribui posset. Inconveniens igitur est attribuere S. Bonaventurae duo de decem praeceptis opuscula.

§ 2. **Hoc opusculum certo attribuendum est S. Bonaventurae, non ut ab ipso scriptum, sed ut Parisiis viva voce praedicatum.** — Auctorem eius esse Bonaventuram, testantur coaevus Henricus Gandavensis, Trithemius aliique multi cum illo catalogo bibliothecae Assisiensis, scripto an. 1381, cuius mentionem fecimus supra c. 7. § 2. Sed rem prorsus conficiunt inscriptiones plurimorum codicum antiquorum. Collationes igitur hae pro concione dictae ad sensum popularem et communem intelligentiam sunt accommodatae, tamen minime indignae tanto Doctore, cuius ingenii et doctrinae vestigia non obscura passim apparent.

Iure igitur Sbaralea et Bonelli eas iudicant esse certum seraphici Doctoris opusculum. Econtra Oudinus et editores Veneti illud opus proclamant esse spurium, immo Oudino est *opus propudiosum!* Tamen quoad rem in eo contentam nihil aliud producere possunt nisi duo *exempla* sive narrationes, quae pro more illius aetatis in sermonibus popularibus ad doctrinam illustrandam et memoriae imprimendam referuntur. Indignis verbis ea explodit Oudinus. Sed attendendum est, S. Bonaventuram ipsa non adinvenisse, sed aliunde sumsisse, ut in notis nostris indicavimus, et secutum esse in hoc consuetudinem praedicatorum suae aetatis, qui similes narratiunculas recipiebant, ut eisdem quasi quibusdam parabolis *doctrinam* utiliter illustrarent et inculcarent. Concedendum est, quod nec praedicatores nec auditores illius aetatis fuerint quoad veritatem ipsius *facti miraculosi* scrutandam ita solliciti neque ita haesitantes, ut critici nostrae aetatis. Quicumque paululum novit mores, opiniones et scripta medii aevi, simulque scriptorem aliquem iudicat ex conditionibus temporis, in quo vixit, mirabitur potius de imbecilli iudicio illorum criticorum, qui, nulla temporum habita ratione, ex proprio et vulgari conceptu tanquam ex tripode Pythiae sententias suas pronuntiant non raro ineptissimas. — Hoc accidit etiam in hac quaestione. Secuti Oudinum editores Veneti (Diatriba pag. 110) audacter pronuntiant de his sermonibus: « Auferendi sunt Bonaventurae et legitimo auctori Gotschalco Hollen, Germano, Eremitarum S. Augustini alumno, scriptori saeculi XV. restituendi » etc. Citant etiam huius operis editionem factam Coloniae an. 1481 apud Ioan. Guldenschaeff. Revera hic liber incipit eisdem verbis Prologi: *Si vis ad vitam ingredi,* quae habet Bonaventura; etiam sequentem primam propositionem aliaque plura sumsit ex opusculo Bonaventurae, addens multa de suo, ita ut sit opus diversum, satis diffusum, ut iustum volumen in 4. componat. Hoc testatur Bonelli, qui librum impressum vidit, inscriptum: « Praeceptorium Domini Gotschalci Hollen Heremitarum S. Augustini ». Exstant adhuc plures codices, qui hunc tractatum Gotschalci Hollen, plerumque unitum cum alio eiusdem de Sacramentis habent. P. Fidelis a Fanna illos codices examinans observavit, auctorem in secundo tractatu multa extraxisse ex Commentario S. Bonaventurae in IV. Sententiarum, sicut in primo tractatu in proprium usum multa sumserit ex Collationibus illis de decem praeceptis. Sed non iuvat verba perdere,

ut probemus, has collationes non esse istius, sed Bonaventurae, cum textum nostrae editionis sumserimus ex codicibus scriptis saec. XIII.

§ 3. **Manifestum tamen est, textum opusculi in Vaticana et praecedentibus editionibus esse nimis corruptum et vere foedatum.** — Scatet corruptelis, habet multas lacunas, et longior ille locus in collat. 3. n. 2-14. in illis editionibus inepte positus est in fine collat. 2. Ope codicum passim sententias omissas supplevimus et fere tot correctiones magni vel parvi momenti fecimus, quot sunt lineae in editione Vaticana, quam qui velit conferre cum nostra editione facile colligere poterit, quantum laborem in corrigendo hoc opusculo consumserimus.

I.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *In Collegio S. Bonaventurae*, nobis ad tempus a possessore benevole mutuatus, cod. membranaceus in folio parvo, saeculi XIV. ineuntis. — Inter alia continet Collationes de decem praeceptis, quae incipiunt sine ullo titulo et auctoris nomine fol. 74. v.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. Hec sunt verba Salvatoris nostri* etc. Desinunt fol. 91. r.: *ut perveniamus ad eternam refectionem, quam nobis prestare dignetur qui benedictus est in firmamento celi, laudabilis et gloriosus et superexaltatus in secula. Amen.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Bodleiana, collectio cod. Laudianorum 181. (quondam fratrum Montis sancti Michaelis prope Moguntiam ord. Carthusianorum 779.) membr. in 4. saec. XIV. circa medium, — Ponitur titulus fol. 142. r. col. 1. sic expressus: *Incipit liber vite Bona venture. Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinit fol. 154. v. col. 2: *ut perveniamus ad refectionem eternam. Quod nobis prestare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto. Amen.* — Sign. B.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 8084. chart. in 4. — Collationes de decem praeceptis incipiunt fol. 70. v.: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinunt fol. 81. v.: *ut perveniamus ad eternam illam refectionem, ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Finivi in octava sancti Laurentii anno 1480.* — Sign. C.

4. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15034. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 93. r. in superiore parte a prima manu exaratum legitur: *Tractatus fratris Bonaventure de X preceptis legis. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Mat. XIX. Verba ista scripta sunt in Mattheo et sunt* etc. Desinunt Collationes fol. 106. ut in editione. — Sign. D.

5. *Ibidem*, cod. 16499, de quo vide supra pag. XVIII n. 19. — Collationes incipiunt fol. 326. r. col. 1, quibus praemittitur simpliciter: *Ave Maria.* Hinc: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinunt fol. 330. r. col. 2. his verbis: *et cum Xpo perveniamus ad eternam illam refectionem, ad quam nos perducat qui vivit et regnat. Hic est verborum consumatio. Expliciunt sermones de X preceptis. Anno Domini M.CC.LXVIII.* — Sign. E.

6. *Trecis* in Gallia, cod. 951, de quo vide supra pag. XLI n. 3. — Fol. 34. v. (sed notato numero 38.) incipiunt Collationes his verbis: *Assit principio sancta Maria meo. Si vis ad vitam ingredi* etc. Finem habent fol. 43. v.: *ut perveniamus ad eternam refectionem, quam nobis prestare dignetur* etc. Deinde grandioribus litteris eadem manus addit: *Explicit expositio decalogi secundum fratrem Bonaventure ministri generalis* (sic) *ordinis minorum, quam predicavit Parisius anno Domini M.CC.LX. septimo in sacra quadragesima, prout potuit notari, dum ipse predicabat. Deo gratias. Amen.* — Sign. F.

Primatum inter hos tenet cod. A, qui est satis antiquus et bene correctus, quem plerumque secuti sumus. Ipsi ut plurimum suffragantur Parisiensis D et Trecensis F, sed D interdum nonnulla mutavit. — Cod. B, licet sit recentior, convenit valde cum praecedentibus, sed in locis difficilioribus plerumque quaedam addit vel commutat substituendo saepe lectiones bonas; sed non desunt indicia, quod pleraeque ab aliquo correctore posteriore eo fine factae sint, ut oratio interdum male reportata efficeretur melior. Unde non facile recipiendae erant in textum, nisi urgente gravi ratione. — Cod. C magis convenit cum extracto a Bonelli publicato quam cum textu Vaticanae, dividit etiam opusculum in capitula, omittit introductiones sermonum et repetitiones praecedentium, vel eas et etiam exempla tantum paucis verbis indicat; habet tamen idem in principio capitulorum *alterum* textum Scripturae in editione Bonelli omissum. Praeterea, interdum aliquam propositionem vel pauca verba addit, quae nec in editis nec in aliis nostris codicibus inveniuntur. — Cod. E Collationes has non habet integras, sed contractas, aliter tamen contractas, quam exhibent in editione Bonelli, cum textus sit diffusior et propius accedat ad nostram editionem. — Ex praedictis apparet, codd. C E nobis vix alicuius utilitatis fuisse, sed standum fuisse auctoritati codicum A B D F.

II.

Codices a nobis non collati.

7. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, cod. olim sign. XXX. A. 2. membr. in 8. saec. XIV. — Post medium volumen est sequens rubrica: *Sermo de decem preceptis Dei. Si vis ad vitam ingredi* etc. Collationes complectuntur duodecim folia, desinunt: *quam nobis prestare dignetur qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

8. *Ibidem.* — In collectione quadam plurium fasciculorum, qui indigent compactore, inter alia continentur Collationes de decem praeceptis sancti Bonaventurae, in uno fasciculo membr. in 8. saec. XIV. ineunt. sine titulo et nomine auctoris. Incipiunt fol. signato numero 406 et desinunt ut in editis.

9. *Basileae* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. A IX. 9. chart. saec. XV. — Folia numeris vacant, collationi primae praemittitur hic titulus: *Incipit primum preceptum Dei. Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinit decimum praeceptum his verbis: *Assumpsit in generis humani redemptionem. Ipsi gloria et gratiarum actio in secula seculorum. Amen.*

10. *Berolini*, bibliotheca Regia, cod. Fol. 153. chart. saec. XV. — Collationes incipiunt fol. 172. r.: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Mat. 19. Ista sunt verba nostri Salvatoris, in quibus explicatur summa totius nostre salutis quantum ad duo* etc. Sunt ipsae eaedem Collationes sancti Bonaventurae, sed fusiores redditae a Gotschalco Hollen ordinis Eremitarum sancti Augustini, de quo vide supra § 2. huius

capituli. — Idem opus invenitur etiam *Hannoverae*, bibliotheca Civitatis, cod. 5. chart. in fol. saec. XV. sine nomine auctoris; — *Monasterii* in Westphalia, bibliotheca Paulina, cod. 109. chart. in fol. exaratus anno 1470. — Codex Berolinensis est in fine mutilus; collationes vero a Gotschalco auctae ita expliciunt in codice Hannoverano fol. 326: *Sic etiam debet separari a consortio bonorum mulierum eternaliter, a quo nos preservet ille qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

11. *Cantabrigii* in Anglia, bibliotheca Collegii sancti Ioannis Baptistae, cod. B. 17. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. v. non numerato legitur: *Incipit tractatus Bonaventure de decem mandatis.* Desinit: *Debemus modo celebrare pascha et proficisci cum Christo sepulta, et sic tandem perveniamus ad perfectionem* (sic) *eternam, quod nobis prestare dignetur qui cum Patre* etc. *Explicit tractatus Boneventure de decem mandatis.*

12. *Ibidem,* bibliotheca Aulae Pembrochianae, cod. II. 12. membr. in fol. parvo, saec. XIII. exeunt. — In parte superiore 1. fol. r. prima manus exaravit hunc titulum: *Sermones Bonaventure super precepta decalogi.* Desinit: *ad eternam refectionem; quod nobis prestare dignetur* etc. *Hec est consummatio verborum.*

13. *Ibidem,* bibliotheca Collegii Caii, cod. 408. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit fol. 194. a collatione secunda (n. 9.) verbis: *Per hoc quod dicit: Deus, insinuat sapientiam Filii* etc. Advertendum tamen, in hoc codice sermones falso ordine esse dispositos; folio enim 197. ipse scriptor mittit lectorem ad fol. 210, deinde videtur reversus ad fol. 198, ubi finem facit his verbis: *viri gravius puniendi sunt quam mulieres.*

14. *Cisae* (Zeitz in Saxonia), bibliotheca Gymnasii, cod. 37. chart. in fol. saec. XV. — Est rubrica fol. 290. r.: *Sermones Bonaventure de mandatis.* Desinit ut in editione, fol. 319. verso.

15. *Erfordiae,* bibl. Reg. collectio Amploniana, cod. 94. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. — Opus de decem praeceptis incipit post medietatem voluminis sine titulo: *Si vis ingredi ad vitam* etc. Desinit in collatione quarta (n. 12.) ad verba: *psallendo et sacrificium offerendo et divinum.*

16. *Ibidem,* cod. 51. membr. in 8. saec. XIV. — Collationes incipiunt fol. 37. r. sub hoc titulo: *Epilogicum de decem preceptis editum. Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinunt verbis: *ut perveniamus ad eternam refectionem, quod nobis prestare dignetur qui plus habet quam sibi detur.*

17. *Gottwicii,* bibliotheca Monasterii, cod. 343. chart. in in fol. exaratus anno 1401. — Collationibus praemittitur titulus: *Tractatus de decem preceptis. Si vis ingredi ad vitam* etc. Collationes in hoc codice aliae breviores exhibentur quam editae, aliae fusiores. Est finis fol. r. non numerato sub rubrica: *De decem plagis* ad verba: *unde Ioseph, qui caste vixit in Egypto, factus est princeps fratrum suorum* (collat. 7. n. 14.). — Collationes de decem praeceptis, simili modo abbreviatae, inveniuntur etiam *Monachii* in bibliotheca Regia, cod. 11430. chart. in fol. saec. XV, de quo iam locuti sumus supra pag. XXII n. 127. — *Ferrariae,* cod. 212. N. B. 1. membr. in 8. saec. XIV. — *Tuderti,* cod. 145. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis.

18. *Graecii,* bibliotheca Universitatis, cod. 1015. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Collationes incipiunt fol. 23. r. sine ullo titulo, decurrunt usque ad verba: *De tribus negativis dictum est. Sequitur modo de aliis* (collat. 7. n. 3.). Cetera desiderantur.

19. *Hamburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. theol. II. pag. 61. n. 5. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 142. v. est rubrica sic efformata: *Sermones sancti Bonaventure de decem preceptis.* Incipiunt et desinunt (fol. 178. v.) ut in editis.

20. *Heidelbergae,* bibliotheca Universitatis, cod. Schrank IX. n. 17. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Titulus Collationum notatur fol. 117. v. his verbis: *De decem preceptis;* et finis est fol. 124. r.: *In cuius signum manducatur pascha, ita quod nunc in presenti reficiamur in Xpo et cum Xpo perveniamus ad eternam illam refectionem, ad quam nos perducat* etc. *Expliciunt decem precepta a fratre Bonaventura.*

21. *Lipsiae,* bibliotheca Paulina, cod. 167. membr. in fol. saec. XIV. — Collationes habent initium fol. 104. r. sine ullo titulo et finem fol. 111. r. ut in editione. Post *Amen* additur: *Hec est consumatio verborum.*

22. *Londini,* bibliotheca Regia, collectio Cottoniana, cod. Nero A. 13. chart. in 8. saec. XVI. — Fol. 237. r. complectitur tantum partem primae collationis, a numero scilicet 2: *Notandum, quod quatuor sunt que debent nos movere ad observanda mandata Dei.*

23. *Luxemburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. 96. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Collationibus praemittitur rubrica ab alia manu: *De preceptis decalogi secundum fratrem Bonam fortunam.* Inde prima manus: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Finis exprimitur his verbis: *Sicut agnus paschalis illos Egypto liberavit, sic nos per agnum paschalem assumimur ad vitam eternam per mare huius mundi sicut in clipeo per mare rubrum adducit. Rogemus dominum ut det nobis istum agnum sumere sine macula transgressionis maiestatis Dei, ut possimus pervenire ad eternam patriam, quam nobis et vobis prestare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit de preceptis fratris Bonaventure.*

24. *Moguntiae,* cod. chart. 230. progress. CXL. in 4. — Circa medietatem voluminis foliis non numeratis incipiunt Collationes de decem praeceptis sine titulo: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinunt his verbis (collat. 6. n. 19.): *Ex isto patet quod homo debet proximum suum precavere a damno quantumcumque potest. Et sic est finis huius* [operis?] *in X preceptis. Anno Domini MCCCCXIV*

25. *Oxonii,* bibliotheca Bodleiana, collectio Rawlinsoniana, class. A cod. 423. membr. in 4. saec. XV. — Opus de decem praeceptis incipit fol. 45. r. verbis: *Si vis ad vitam ingredi* etc. Desinit in collatione 2. n. 2. Post enumerationem decem praeceptorum additur: *Qui vitare necem velit hanc quae fine carebit — Hic precepta decem semper servare studebit.*

26. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, cod. 3149. chart. exaratus anno 1460. — Opus in principio est mutilum, incipit enim verbis: *Mandata Dei per rationem ostensivam, quia* etc. (collat. 1. n. 13.). Desinit: *ut sic tandem perveniamus ad eternam refectionem* etc.

27. *Turonis* in Gallia, cod. 403. miscell. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Collationum initium est fol. 166. v. sub titulo: *Bonaventura super decem precepta decalogi.* In collatione 7. n. 9. post verba: *se negare potest,* subiicitur haec rubrica: *Explicit liber de mandatis compositus per fratrem Bona ventura* (sic). Hinc additur: *Et sequitur de decem plagis. Modo*

videte quod homines etc. Desinit fol. 189. r.: *quod nobis prestare dignetur*, ut in editione. Post *Amen* iterum rubrica: *Explicit de decem plagis Bonaventure.*

28. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1026. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 134. r. est exaratus titulus his verbis: *Tractatus de decem preceptis.* Desinit fol. 142. r. ut in editis sine alia additione nec nota auctoris.

29. *Ibidem*, cod. 486. membr. in 4. saec. XIV. — Collationes incipiunt fol. 1. r. ut in editis, sed sine ullo titulo. Desinunt fol. 20. v.: *Qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Hic codex exhibet transpositionem quandam inter partes secundae et tertiae collationis, sed textus sequitur editionem.

CAP. IX.

In Sermones selectos de rebus theologicis.

Praeter sermones in editione Vaticana editos, quorum non pauci sunt spurii, magnus ineditorum et genuinorum numerus in codicibus exstat, de quibus P. Fidelis a Fanna (in cit. libro *Ratio novae collectionis* etc., pag. 81-160 et pag. 290-312) non paucas notitias ignotas publicavit. Ex illis selegimus quinque sermones, qui aliquo modo ad hunc tomum pertinere videbantur secundum rationem in praefatione nostra expositam, scilicet vel quia ipsa res in eis tractata eidem prorsus convenit, vel quia ad alia quinti voluminis opuscula specialem relationem habent. Sermo igitur secundus *de regno Dei* et tertius *de Ss. Corpore Christi* adeo doctrinae copia abundant et ingenium auctoris manifestant, ut de loco ipsis hic concedendo nulla potuerit oriri haesitatio. Sermo quartus de *Christo uno omnium magistro* tum quaestioni disputatae 4 de scientia Christi perfecte respondet et eam aliquatenus complet, tum ipsum spiritum seraphici Doctoris ita exprimit, ut non inepte quasi quoddam exordium poni potuisset in capite totius voluminis. Sermo primus *de triplici testimonio Ss. Trinitatis* connectitur cum quaestione disputata 2. *de mysterio Ss. Trinitatis* (cfr. infra pag. 535, nota 1.). Ultimum opusculum *de plantatione paradisi*, quod est minoris momenti, sententias suas fere omnes ex Collationibus in Hexaëmeron habet depromptas, sed aliter applicatas.

Pro auctoritate sincera uniuscuiusque horum sermonum documenta singillatim afferenda sunt. — Praenotamus tamen arduam quaestionem de sermonibus Bonaventurianis sive recipiendis, sive respuendis non posse hoc loco pro dignitate tractari, sed hunc laborem ultimae parti editionis reservamus, quando de tot sermonibus editis et ineditis ex proposito examen instituetur. In recentioribus enim codicibus non raro multi sermones falso Bonaventurae tribuuntur, et plurimi genuini sunt anonymi, quorum auctor tamen ex aliis documentis probari potest. Sed requiritur, ut plurimi codices descripti aliaeque notitiae a P. Fidele collectae inter se conferantur.

Sermo I.

Hic sermo primus est de *triplici testimonio Ss. Trinitatis*, hucusque ineditus, quem sumsimus ex duobus antiquis codicibus.

Primus est cod. *Tudertinus*, olim Conventus S. Fortunati, qui habet sermones certo genuinos S. Bonaventurae, membr. saec. XIV. ineuntis, de quo vide supra pag. XXVIII n. 15. Incipit fol. 258. v. col. 2, desinit 260. r. col. 1. — Sign. A et seq. B.

Secundus est *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. Lat. Ms. 7776. (olim Monasterii Indersdorfensis 376.), membr. in 4. saec. XIII. exeuntis et XIV. ineuntis. Ligatura est recentioris temporis; in dorso legitur: *Sermones de tempore et de Sanctis.* Post duo folia vacua sequitur Indiculus Sermonum, scriptus a manu posteriore an. 1487; continet 249 folia numerata, quae, exceptis foliis paucis, ab una eademque manu exarata sunt. Continet sermones plurium auctorum, praesertim Bonaventurae. Fol. 1. in inferiore margine legitur: *Sermones festivi et feriales Luce Bituntini* (ultimum verbum est a manu recentiore). — Sermo noster primus habetur fol. 227. v. col. 2. sine titulo et nomine auctoris; incipit: *Tres sunt* etc.; desinit fol. 229. r. col. 1. — In eodem est sermo 2. *de regno Dei*, fol. 234. v. col. 1: *Simile est regnum celorum* etc., et sermo 4: *Unus est magister vester Christus*, qui incipit fol. 119. v. col. 2. et desinit fol. 221. v. col. 2. ut in editione. Hic sermo ibi est anonymus; sed omnia *criteria interna*, scilicet doctrina, stilus et methodus huius sermonis, attestantur, ipsum attribuendum esse Bonaventurae.

Sermo II.

Hic agit de *regno Dei descripto in parabolis evangelicis* et primo editus est a P. Bonelli (Supplem. I. col. 375-415) sub titulo *Sermo de Seminante* seu expositio parabolarum evangelicarum de regno caelorum. Pro primo titulo parum conveniente substituimus nostram inscriptionem. — Bonelli usus est duobus codicibus. Primus adhuc exstat *Florentiae*, bibliotheca Laurentiana, infra (n. 6.) a nobis descriptus, cuius apographum triplex habuit (cfr. Prodrom. col. 414), in quo et in altero (n. 7.) sermo tribuitur Bonaventurae. Alter fuit Assisiensis n. 102, qui plura Bonaventurae opera continebat, de quo iam locuti sumus c. 7. § 2. et c. 8. § 2.

Adhibitis aliis quinque codicibus, multos defectus et errores primae editionis potuimus emendare. Inter sequentes codices duo meliores sunt A C, qui inter se plerumque conveniunt, et quorum paulo correctior est C. Cod. B vero fere semper convenit cum codice Florentino (n. 6.), cuius apographo usus est Bonelli.

I. Codices a nobis collati cum Supplemento a Bonelli edito.

1. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 182, de quo vide supra pag. XXVIII n. 15. — Sermo de regno Dei incipit folio 112. r. sine titulo et nomine auctoris: *Simile est regnum celorum* etc. *Detinebant illum ne* etc.. Desinit fol. 117. r.: *Hec breviter de parabolis dicta sufficiant.* (n. 42. nostrae editionis, vide ibi pag. 551, nota 8.). — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XVII. sin. cod. 8. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — Sermo ille Incipit fol. 30. v.: *Simile est regnum celorum* etc. Desinit fol. 35. r. ut in editione. — Sign. B.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, Latin. Ms. 7776. de quo vide supra in hoc cap. — Initium sermonis est fol. 234. v. sine titulo: *Simile est regnum celorum* etc. Desinit fol. 237. v. verbis: *Hec autem breviter de parabolis dicta sufficiant* Cetera desiderantur ut in codice A. — Sign. C.

4. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. E. VI. 1017. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. — Incipit fol. 64. v., ubi in summitate folii prima manus parvis litteris exaravit: *Dominica*

V. post epyphaniam. Deinde col. 2: *Simile est regnum celorum* etc. *Quia nulle rerum similitudines* etc., ut legitur in nostra editione n. 3; nam verba antecedentia omittuntur. Desinit fol. 65. v. in fine verbis: *Concupiscentia sapientie deducet ad regnum perpetuum* (in nostra editione n. 35.). Cetera fuerunt avulsa. — Sign. D.

5. *Trecis* in Gallia, cod. 2052. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. — Sermo de regno Dei incipit fol. 23. v.: *Simile est regnum celorum* etc. *Quia nulle similitudines rerum*, ut cod. praecedens. Desinit fol. 29. r.: *Minimum quantitate et maximum virtute. Rogemus ergo* etc. (in nostra editione n. 42.). — Sign. E.

II. Codices a nobis non collati.

6. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XX. cod. 26. membr. in 8. saec. XIII. — Folio 200. r. col. 1. est rubrica: *Sermo fratris Bonaventure. Simile est* etc. Desinit fol. 207. r. Hoc codice usus est P. Benedictus Bonelli in editione huius sermonis, ut supra innuimus.

7. *Oxoniae*, bibliotheca Bodleiana, cod. Canonic. 284, quem supra descripsimus pag. XXIII n. 149. — Folio 93. v. est rubrica: *Sermo fratris Bonaventure. Simile est regnum.... Detinebant illum* etc. Desinit fol. 98. r.: *nos liberatos perducat Filius Dei ad regnum celorum. Quod nobis prestare dignetur* etc.

8. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, I. class. cod. 217. chart. in fol. saec. XV. — Sermo de regno Dei incipit fol. 310. r. ut in editione, et desinit fol. 317. r. verbis: *quod nobis prestare dignetur* etc.

Sermo III.

Hic agit *de Ss. Corpore Christi.* Hunc Bonelli (Supplem. III. col. 952-984) primus publicavit, usus apographo ex quodam codice saec. XV. sumto, quod ei communicavit P. Urbanus Schaukegl, Prior Monasterii Gottvicensis in Austria. Codex est chart. sign. D 6. Ad calcem apographi ita subscripsit: « Ita cum codice manuscripto ex integro concordare, attestor Gottvici die 8 Iulii 1765 P. Urbanus Schaukegl, Prior Gottvicensis manu propria ». Sed cum ante plures annos idem cod. cum editione P. Benedicti Bonelli a quodam nostro collaboratore conferretur, inventi sunt saltem 200 loci, in quibus codex ab editione discedit. Pluries cod. habet unam vel duas lineas, semel integrum divisionis membrum, quae desiderantur in editione aliasque lectiones variantes magni momenti, quae conveniunt cum nostra editione, non cum illa prima. Hi defectus certe non sunt attribuendi diligentissimo P. Bonelli, sed potius ei qui fecit apographum. Hinc non est mirum, quod prima editio sit valde imperfecta. In catalogo Trithemii (infra c. 12.) invenitur (n. 17.) ut opus Bonaventurae *de Excellentia eucharistiae,* lib. 1. Non possumus determinare, num ille hunc sermonem significare voluerit.

I. Codices a nobis collati cum Supplemento a Bonelli edito.

1. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 9612. membranaceus in 8. saeculi XIV. ineuntis. — Sermo de sacratissimo Corpore Christi est fol. 182. r. sub hac rubrica: *Incipit sermo de corpore Xpi. Confiteantur Domino misericordie eius* etc. usque: *et umbra mortis. Istud verbum scribit David* etc. Desinit fol. 191. r. verbis relatis pag. 566, nota 1. — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. 9598. membr. in 8. saec. XIV. — Hic sermo incipit fol. 4. r., cui manus saec. XV. ineuntis praemisit haec verba: *Nota diligenter de sacratissimo corpore Xpi sermonem pulcherrimum.* Deinde: *Confiteantur* etc. Desinit fol. 10. v. his verbis: *Et sic impletur in sacramento quod in figura dicitur de mannate, quod in omni transfiguratu omnium virtuti gratie deserviebat ad voluntatem eorum qui adeo desiderati sunt.* Hic finis est in hac nostra editione n. 40, ut innuimus pag. 565, nota 11. — Sign. B.

3. *Ibidem*, cod. 2657, de quo vide supra pag. XVIII n. 13. — Fol. 229. v. est titulus: *Incipit sermo de corpore Xpi. Confiteantur* etc. Desinit fol. 236. r. ut cod. A, sed hic post *Amen* subiicitur: *Explicit.* — Sign. C.

4. *Ibidem*, cod. 7012. chart. in fol. — Fol. 94. r. in summitate legitur: *Sermo bonus de corpore Xpi. Sex legales figure.* Hinc: *Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 99. r. his verbis: *Quod nobis prestare dignetur qui est trinus et unus in secula Deus. Explicit sermo de corpore Xpi. Anno Domini M.CCC.LXXXV.* — Sign. D.

5. *Ibidem*, cod. 9617. membr. in 8. saec. XIV. — Sermo de sacratissimo corpore Christi incipit fol. 171. r. sine titulo et desinit fol. 176. r. verbis infra relatis pag. 566, nota 6. huius nostrae editionis. Fini additur simpliciter: *Explicit.* — Sign. E.

Codices A et C sunt magis completi et multo meliores quam cod. Gottwicensis. Ipsi fere semper inter se conveniunt, et ubi differentes lectiones habent, ordinarie C praeferendus est. Cod. E omittit duas figuras, sed in quatuor, quas habet, communiter confirmat lectiones illorum. Ultimi duo numeri sermonis non habentur nisi in D E (cfr. pag. 566, nota 1.). Sed etiam B D favent plerumque nostro textui, licet non raro quaedam a posteriore manu mutata, vel contracta esse videantur.

II. Codices a nobis non collati.

6. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 117. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 139. r. habetur titulus sic expressus: *De corpore Christi.* Desinit fol. 143. r. cum cod. E: *contra cor ferreum id est obstinatum. Rogemus ergo Dominum* etc. In hac bibliotheca asservatur sub n. 258. etiam codex, quo usus est P. Bonelli, de quo, quia iam locuti sumus supra col. praecedente hic alia addere non refert.

7. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. chart. 74. progress. XLVII, in fol. saec. XV. — Fol. 97. r. est rubrica: *Sermo pulcherrimus de sacramento. Confiteantur* etc. Desinit fol. 104. v. in fine ad haec verba: *venerunt in Marat ad potum amarissimum, quem cum pre amaritudine* (in nostra editione n. 41.). Cetera desunt, quia sequens fol. fuit decisum.

8. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 18642. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r. praemittitur: *Sermo domini Bonaventure de corpore Christi. Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 12. v. ut in editione.

9. *Ibidem*, cod. 18248. chart. in fol. saec. XV. — Titulus est fol. 263. r. his verbis: *Sermo de corpore Xpi Bone venture. Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 269. v.: *Sub figura mannatis quam ipse prestare dignetur.*

10. *Ibidem*, cod. 7684. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 61. r.

legitur: *Sermo de corpore Xpi Bone venture.* Desinit fol. 71. r. ut praecedens.

11. *Ibidem*, cod. 3737. chart. in fol. saec. XV. post medietatem. — Post sermones de Sacramento eucharistiae fol. 103. r. legitur haec rubrica: *Sermo domini Bonaventure de corpore Xpi.* Deinde fol. 104. in principio: *Confiteantur* etc. Desinit fol. 108. r. ut in editione.

12. *Ibidem*, cod. 21232, de quo vide supra pag. XXVII n. 6. — Sermo de sacratissimo Corpore Christi incipit fol. 164. v. sub hoc titulo: *De efficacia communionis et qualiter se debeat homo preparare, ut utiliter communicet. Confiteantur Domino* etc. Explicit fol. 169. r.: *Quere tuam mellificationem in hoc sacramento sub figura manne, quod nobis prestare* etc.

13. *Claustro-Neoburgi*, bibliotheca Monasterii, cod. 251. chart. in fol. exaratus anno 1378. — Fol. 61. r. est rubrica: *Incipit sermo bonus de corpore Xpi. Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 66. r.: *Si in umbra mortis iacentem, quere reconciliationem agni paschalis* etc.

14. *Ibidem*, cod. 1137. membr. in 8. saec. XIII. — Fol. 17. v. est sequens rubrica: *De corpore Domini in cena Domini. Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 25. r.: *Quarto sub figura mannalis, et hoc ad medicinam mollificacionis contra cor ferreum, id est obstinatum, quia homo vinctus erat ferro, id est corde obstinato. Rogemus ergo Dominum.* Cfr. codd. sub n. 5. et 6.

15. *Oeniponte*, cod. 504. membr. in 4. saec. XIV. — Sermo de sacratissimo Corpore Christi incipit fol. 118. v. ut in editis, sine ullo titulo, et desinit fol. 130. r. verbis: *quod nobis prestare dignetur* etc.

16. *Sancti Galli*, cod. 329. chart. in fol. — Pag. 221. est sequens rubrica: *Sermo bonus et utilis de sacramento corporis Xpi. Confiteantur Domino* etc. Desinit fol. 228. (n. 41. nostrae editionis): *Egyptum spiritualiter exeat, opera tenebrarum abiiciat et cum gratiarum actione sumat. Amen. Scriptum per me fratrem Evaristum* (?) .... *anno Domini 1455 in die decem millium militum.*

Sermo IV.

Egregius sermo de *Christo uno omnium magistro* a nobis descriptus est ex eodem codice Monacensi, qui primum illum sermonem habet et quem distinximus littera B, et editus est in opusculo *de Humanae cognitionis ratione anecdota quaedam* etc. Ad Claras Aquas 1883 pag. 72-84. — Quod ibi in Prolegomenis (pag. XIII) diximus iuvat hic repetere: « Hunc (sermonem) transcripsimus ex codice Regiae bibliothecae *Monachii*, sign. Lat. Ms. 7776. (olim Monasterii Indersdorfensis n. 376.), membr. in 4. fol. 249. In catalogo huius insignis bibliothecae codex tribuitur saec. XIV; P. Fidelis a Fanna vero indicavit, ipsum esse potius saec. XIII. In eo continetur magna collectio sermonum, inter quos multi, tacito nomine auctoris, sunt S. Bonaventurae, ut ex aliis certis documentis probari potest. Etiam sermo, de quo agimus, est anonymus, et nondum habemus in promptu alios codices, quorum testimonio probare possimus, auctorem eius esse S. Bonaventuram. Attamen tanta est conformitas tum doctrinae, tum stili, tum methodi in sermonibus a S. Doctore usurpatae cum aliis genuinis eius operibus, et totus sermo ita sapit excelsum et profundum spiritum seraphici Doctoris, ut nullatenus de eius authenticitate dubitandum sit. Ita iudicavit P. Fidelis a Fanna, cuius iudicium eo maioris est faciendum, quia speciali studio et diligentia et per multos annos *Sermones* S. Bonaventurae perscrutatus est. Poterit quidem aliquis in doctrina S. Bonaventurae multum versatus ex eius operibus varia fragmenta doctrinae colligere et copulare; sed minime probabile est, quod compilator, qui aliena mutuatur, vastissimam materiam modo tam apto et sublimi componat, ut cernitur in isto sermone; nec quod qui tantam in componendo capacitatem manifestat, indigeat ex alio auctore divisiones et etiam verba depromere ».

Novam nostram editionem locupletavimus summario et pluribus notis, ut magis appareat, totam doctrinam esse Bonaventurianam.

Tractatus ultimus.

Ultimum locum reservavimus tractatulo *de plantatione paradisi*, qui primo editus est a Bonelli (Supplem. I. col. 1-22). Idem (Prodrom. col. 726) eum genuinum esse, pluribus probare nititur. Invenitur scriptus in cod. Tudertino Conventus S. Fortunati supra pag. XXXII n. 120. notato. Codex est membr. saec. XIV. ineuntis et praeter alia quatuor opuscula Bonaventurae quarto loco et fol. 118. r. habet hunc tractatulum sine titulo. In primo non exarato folio est indiculus contentorum, scriptus saec. XV., qui quarto loco habet: *Eiusdem* [Bonaventurae] *tractatus qui incipit: Plantaverat autem dominus Deus paradisum.*

Opusculum hoc quoad totam doctrinam est sumtum ex operibus S. Bonaventurae, praecipue ex Collationibus in Hexaëmeron et Itinerario, ut notae nostrae ostendunt. Nihilominus haesimus aliquantulum, utrum recipiendum esset ut genuinum, quia inveniuntur plures propositiones, quarum stilus a consueto dicendi modo S. Doctoris recedere videtur. Sincere confitemur, non esse improbabile, anonymum quendam ex aliquo S. Doctoris sermone sententias extraxisse et hoc opusculum composuisse, simili modo, quo ex Collationibus de donis Spiritus S. et de decem praeceptis tractatus contracti et a Bonelli publicati sunt, ut suo loco ostendimus. Sed licet hanc suppositionem nolimus reprobare, tamen opusculum eodem iure visum est esse recipiendum, quo illae *reportatae* Collationes. Sententiae enim opusculi omnes et etiam pleraeque loquendi formulae sunt Bonaventurianae, unde hoc sensu tractatulus nostro auctori non potest abiudicari. Cum autem antiquus codex insignis bibliothecae Tudertinae, quae bonis codicibus multorum operum S. Doctoris abundat, tractatulum expressis verbis eidem attribuat, et iam impressus sub ipsius nomine quoddam ius possessionis acquisiverit, putavimus, ipsi competere locum habere in hoc tomo, sed ultimum.

CAP. X.

De quibusdam opusculis non genuinis.

Exclusimus ab hoc tomo plura alia opuscula, quae in editionibus ut genuina Bonaventurae opera impressa sunt, quibus argumenta tractata locum hic vindicare videntur. Huius exclusionis ratio quoad singula reddenda est.

Praemittimus observationem non inutilem. Postquam magni illi magistri saeculi XIII, Scoto non excluso, praeclara sua opera

scripserunt, incepit aetas *compendiorum*. Extrahebantur sententiae primorum auctorum, additis hinc inde novis opinionibus. Ex quatuor libris Commentarii Bonaventurae in Sententias quot libelli extracti sint et *Bonaventurae* plerumque inscripti, videri potest ex Prolegomenis nostris ad tom. I. pag. LXIV seqq. Idem evenit etiam respectu aliorum operum. Hinc facile accidere potuit, ut postea ipsa compendia, licet facta sint ab aliis saepe anonymis, tribuerentur auctori, qui opus originale composuit. Reapse hoc accidit respectu *Centiloquii* et libelli *Declaratio terminorum theologiae*.

§. 1. **Centiloquium, quod communiter ut genuinum et Bonaventura dignum opus receptum est, ab ipso non est compositum.** — Impressum est sine indicatione anni Zwollis in Hollandia. In fine legitur: *Explicit Domini Bonaventurae Centiloquium. Opus perutile, Zwollis impressum. Deo gratias.* Hanc editionem vidit P. Fidelis in bibliotheca Camberiaci, edit. n. 6621. Invenitur libellus etiam in prima collectione opusculorum S. Bonaventurae (sine loco et anno), deinde in sequente anni 1484 et aliis posterioribus. Inde a saeculo XV. communiter ei tributum est, praesertim a duobus insignibus viris, scilicet S. Bernardino Senensi et Trithemio (cfr. infra c. 12.), qui sine ullo dubio habuerunt codices, qui opus Bonaventurae inscripserant. Quomodo hoc facile fieri potuerit, et non sine aliqua ratione, subinde dicetur. — Prologus incipit: *Ecce, descripsi eam tripliciter.*

Oudinus, editores Veneti, Sbaralea et Bonelli in hoc conveniunt, ut ipsum opusculum *certo* Bonaventurae tribuendum esse putent, sed cum quadam restrictione. Primo enim dubitant de Prologo nimis insulse scripto. In ipso enim leguntur haec: « In adminiculum itaque parvulorum rudis rogatus a rudibus rudem tractatum rudibus compilavi, in quo rudium ruditas circa generalia theologiae saltem ruditer poterit erudiri et ex lacte infantiae ad cibum solidum, praevia Dei gratia, cum sensus industria praeparari ». Ad haec recte dicunt editores Veneti (Diatriba, pag. 70): « Ab hoc certe rudi scribendi genere prorsus abhorruit Bonaventura ». Et cum Trithemius, hunc Prologum omittens, tractatum incipere indicet verbis: *Malum considerare occurrit;* Bonelli (Prodrom. 531. n. 7. 87.) suspicetur, S. Doctorem edidisse opus sine Prologo; postea vero hic et fortasse quaedam alia additamenta accessisse opera « fratris Marchesini de Regio, Lectoris sacrae theologiae », quippe cui tribuatur hoc scriptum in quodam codice bibliothecae Casanatensis (Romae) sign. G VI, qui, teste Bonelli (Prodrom. col. 462), incipit ibi fol. 85. verbis Prologi: *Ecce, descripsi eam tibi tripliciter,* et post indicem capitulorum et quandam orationem S. Ambrosii habet: *Incipit Centiloquium* [litteris rubris] *fratris Marchesini de Regio, Lectoris sacrae theologiae.* In fine: *Explicit Centiloquium F. Marchesini. Amen.* — Secundo, idem Bonelli dicit (col. 531 n. 6.), non convenire doctrinam Centiloquii cum Bonaventuriana quoad duo, scilicet quoad institutionem Sacramentorum (Centiloq. p. III. sect. 47, et IV. Sent. d. 23. a. 1. q. 2.) et usum matrimonii, utrum sit veniale, si praecise fiat vitandae fornicationis causa (Centiloq. p. I. sect. 32, et IV. Sent. d. 31. a. 2. q. 2.). Sed haec differentia doctrinae ex citatis locis non potest concludi. Quoad institutionem Sacramentorum nihil dicitur, nisi quod communissime et etiam a S. Bonaventura receptum est; quoad alteram rem locus nimis brevis facile in sensu Bonaventurae intelligi potest.

Verumtamen, instituto diligenti totius opusculi examine, prorsus persuasi sumus, S. Doctorem minime hoc opus composuisse et edidisse, simulque animadvertimus rationem, quare aliquo modo eidem potuerit attribui.

Longe enim maior pars eiusdem (ita ut vix *quarta* vel *quinta* pars aliunde sumta sit) excerpta est ex operibus S. Bonaventurae, ita quidem, ut *ipsa verba et loquendi modi* originalis in brevi excerpto retineantur, quantum fieri potuit, interiectis tantum illis verbis, quae propositiones coniungunt, et interdum mutato ordine sententiarum. — Reliqua pars eodem modo *ad verbum* extracta est ex scriptis aliorum quinque doctorum illius aetatis. Unde si praescindimus ab eo, quod in Prologo et in p. III. sect. 48. de quarto Angelo *Uriel* habetur, difficile erit, vel *unam* sententiam ostendere, quae non sit transcripta. Remanserunt vix tres paginae opusculi, doctrinam vulgarissimam continentes, quarum primum auctorem non invenimus; sed secundum regulam inductionis etiam has transcriptas esse praesumendum est.

Verum igitur est quod auctor in Prooemio huius opusculi dicit: « Collegi autem hoc ex dictis *proborum*, quae hinc inde decerpens in unius opusculi angustiam coarctavi ». Nam praeter *Bonaventuram* invenimus *Petrum Lombardum* (Magist. Sentent.), *Gulielmum Antissiodorensem*, *Alexandrum Halensem*, *Ioannem de Rupella* et *Gulielmum Peraldum*, quorum dicta in huius opusculi angustiam coarctantur.

1. Longe maior pars, ut diximus, est S. Bonaventurae, ita quod regula videatur fuisse compilatoris, doctrinam Doctoris seraphici excerpere et tantum iis in locis, in quibus ipse deficit, ex aliis praecitatis magistris defectum supplere. Sententiae S. Bonaventurae, quas compilator proponit, habentur in duobus operibus ipsius, scil. in Commentario super IV libros Sententiarum et in Breviloquio; et hae sententiae fere semper ad verbum allegantur. Superfluum nobis videbatur, hic in specie ponere omnes locos ex Bonav. sumtos, quos plurimos notavimus, cum facile in ipso inveniri possint, adhibito indice rerum.

2. Illas partes opusculi, quae ex operibus S. Bonaventurae *non sunt sumtae*, indicamus in sequentibus.

a) Quae in I. parte Centiloquii de peccatis in *speciali* sive de specialibus peccatis dicuntur, fere omnia sumta sunt ex *Alex. Halensis* Summa p. II. q. 113. seqq. Excipiuntur ea quae a sectione 14-16 habentur; haec siquidem sunt ex Bonav., II. Sent. d. 42. a. 1. q. 1, dub. 3. et 4, ex quo etiam quae in sect. 27. 28. et 33. de excommunicatione et de passionibus peccatorum exhibentur. — In sect. 18. et 19. compilator, tractans de opposito inanis gloriae et invidiae, a doctrina Alex. Halensis aliquatenus divergit, quia non ipsum, sed *Gulielmum Antissiodorensem,* S. p. II. tr. 20. c. 1. q. 3. et tr. 21. c. 2, sequitur; sic v. g. ultimo loco cit. Antissiodorensis ait, quod invidia sit contraria pietati « mediante caritate, quae misericordiam, quae est in largitione bonorum, generat, sicut dicitur, quod timor est contrarius superbiae, scilicet mediante humilitate, quam generat ». Compilator Centiloquii (p. I. sect. 19.) refert: « Opponitur autem timor Domini superbiae ratione humilitatis, quam generat; et pietas invidiae ratione caritatis, ex qua generatur ». — Notatu etiam dignum est illud quod sect. 32. ponitur de quinque modis, quibus coitus coniugalis iudicatur peccatum mortale; idem siquidem occurrit etiam in Compendio theologicae veritatis, lib. III. c. 21; communis vero fons est Alex. Halensis, S. p. II. q. 148. m. 2, ubi in initio de hac re quinque modi recensentur, qui eisdem verbis in utroque opusculo transcripti sunt.

b) Quae in p. III. sect. 18. de quadruplici defectu ab hominibus per custodiam Angelorum excludendo et de quarto Angelo (Uriel) dicuntur, non invenimus in alio auctore. — Ibid. sect. 19-23. agitur de definitionibus animae et de divisione potentiarum ipsius; sect. 19. 21. et 23. sumtae sunt ex *Ioan. de Rupella*, Summa de Anima (cfr. Alex. Hal. Sum. p. II. q. 59. seqq.), et quidem sect. 19. ex p. I. c. 2, sect. 21. ex p. II. c. 16. seqq., sect. 23. ex p. II. c. 4. et 25. — Demum definitiones virtutum cardinalium (sect. 41-44.) sumsit compilator ex *Gulielmo Peralda*, Summa virtutum ac vitiorum, tom. I. fol. 144. seqq. et sect. 53, proponens septiforme exemplum Christi pro septem ordinibus sequitur Petr. Lombard. IV. Sent. d. XXIV. c. 5. seqq.

3. Duo ex praedictis colligi possunt: primo, quo sensu Bonaventurae hoc opusculum tribui possit. Cum accidens sequatur principale, et cum longe maior pars (incipiendo a p. I. sect. 1, extracta ex Bonav. II. d. 37. a. 2. q. 1. in corp., d. 34. a. 1, d. 35. a. 1, usque ad ultimam sectionem sumtam ex IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5.) quasi ad verbum ab ipso sit mutuata; opus Bonaventurianum dici potest quoad res in eo contentas. Hinc explicatur etiam, cur non pauci codices nomen Bonaventurae opusculo inscripserint, et docti viri eidem ipsum tribuerint. — Secundo patet, auctorem huius scripti esse *compilatorem* secundum strictum verbi sensum, quem determinat S. Bonaventura (I. Sent. Prooem. q. 4.): « Aliquis scribit aliena, addendo, sed non de suo, et iste *compilator* dicitur ». — Verum est, quod humilitas et modestia ipsi suggesserunt haec verba: « Hoc enim sentio et fateor, quod sum pauper et tenuis compilator » (II. Sent. Praelocutio, in principio); sed econtra omnia ipsius opera genuina luculenter testantur, quod ipse magnus fuerit doctor evangelicus, *qui profert de thesauro suo nova et vetera* (Matth. 13, 32.). Si quis nihilominus insistere voluerit inveteratae opinioni, quod ipse compilaverit hunc librum; viderit, num consulat honori tanti Doctoris, cum faciat eum revera « pauperem et tenuem compilatorem » et coaevorum auctorum transcriptorem.

Sed videamus testimonia codicum. Praeter illum codicem bibliothecae Casanatensis et alterum *Mantuanum* in Conventu Minorum Conventualium et tertium *Murbaci* in Alsatia Bonelli allegat ex quodam catalogo codicem *Collegii Lovaniensis*, qui habeat *Centiloquium* Bonaventurae tributum. Sed P. Fidelis (*Ratio* etc. pag. 57), qui codicem vidit, attestatur, ibi non haberi *Centiloquium*, sed *Incendium amoris*, cuius Prologus incipit eisdem verbis: *Ecce descripsi* etc. — Ipse P. Fidelis notavit et descripsit alios 18 codices, qui hoc opusculum habent. Horum sunt *quindecim* scripti saec. XV. et tantum *tres* in fine saeculi XIV., nullus primo saeculo post mortem Bonaventurae. Unus solus antiquiorum tribuit opus Bonaventurae, qui est *Budapestini* in Hungaria, bibliotheca Szechenyana sign. cod. 73, qui inscribitur: *Centiloquium angelici viri Bonaventure*. Alii duo sunt *anonymi*, scilicet *Cortonae*, bibliotheca Civitatis, cod. 33. membr. saec. XIV. exeuntis, et *Venetiis*, bibliotheca Seminarii Patriarch., cod. N. III. 11. membr. in 8. eiusdem aetatis. Sed codices saeculi XV. habent nomen *Bonaventurae*. Notandum est etiam, communiter eundem Prologum inveniri in codicibus, quem Bonelli attribuere vult fratri Marchesino.

Hoc igitur testimonium recentiorum codicum et editionum, deficientibus omnino testibus primi saeculi post mortem S. Doctoris, non probat efficaciter, ipsum Bonaventuram excerpta Centiloquii fecisse et publicasse, cum, habita ratione rerum excerptarum, facile explicari possit, cur libellus tributus sit Bonaventurae.

Bonelli (Prodrom. col. 532. n. 8.) suspicionem, quod Fr. Marchesinus a Regio scripserit Prologum et quaedam additamenta Centiloquii, alio argumento fulcit, quod scilicet iste Prologus non levem affinitatem habent cum Prologo operis, quod ab isto fratre editum est et in editione Veneta Petri de Quarengiis an. 1511, quam ad manus habemus, inscribitur *Mamotrectus* [alias Mammotrepton vel Mammotrectus] *super Bibliam*, et in fine: « Expliciunt expositiones et correctiones vocabulorum libri, qui appellatur *Mamotrectus* ». Prima editio prodiit Moguntiae an. 1470 per Petrum Schoiffer in folio, et praeter hanc aliae 12 editiones ante an. 1500 factae referuntur a Sbaralea (Supplem. pag. 509). Prologus incipit: « Impatiens proprie imperitie ac ruditati compatiens pauperum clericorum » etc.; porro dicit: « velim insinuare lectori pauperculo, secundum quod pro captu intelligentie *colligere potero ex laboribus aliorum* », et concludit: « Et quia morem geret talis decursus pedagogi, *Mamotrectus* poterit appellari ». Reapse uterque Prologus sapit eundem stilum et idem ingenium scriptoris.

Nec negligendum nobis videtur aliud indicium non leve, quod facit pro Marchesino. *Tuderti*, bibliotheca S. Fortunati, est cod. 129. membr. in 8. parvo, folior. 250, saec. XIV. ante vel circa medium, in quo fol. 1. r. est rubrica: *Sermones fratris Marchesini super omnia festa nostri Kalendarii, id est Ordinis fratrum Minorum*. — Fol. 154. r. *Sermo de Angelis*, ubi legitur: « In signum huius inflammationis et ferventis dilectionis tam ad proximum quam ad Deum unum Angelum proprio nomine explicamus, scilicet *Uriel*, de quo habetur in quarto apocrifo et non alibi invenimus. Interpretatur autem *Uriel* lucens Deo vel ignis Dei ad innuendum, quod per angelicum beneficium ardemus in Deum, per fervidam dilectionem et lucemus Deo, id est ad honorem Dei per placidam proximi edificationem. Amen ». Cum igitur Angelus Uriel, quod scimus, a nullo antiquo Scholastico ita explicetur nisi in Centiloquio (p. III. sect. 18.) et in isto sermone Marchesini, confirmantur praefata indicia, quae ipsum esse compilatorem Centiloquii insinuant. De eiusdem scriptis vide Sbaralea loc. cit., qui contra alios recte asserit, eum scripsisse in principio saec. XIV. Meminit eiusdem etiam Bartholomaeus Pisanus, Conformit. XI. p. II.

§ 2. **Opusculum de Ecclesiastica Hierarchia** primo impressum est in collectione opusculorum *Argentina* an. 1495. Primus omnium testis, qui illud Bonaventurae attribuit, est Marianus Florentinus in suis Chronicis saepe minus certis, qui dicitur obiisse an. 1523 die 20. Iulii (Prodrom. col. 267). Nihilominus Oudinus, editores Veneti, Sbaralea et Bonelli censent, hunc libellum esse *certum* S. Bonaventurae scriptum. Principalem illorum rationem Oudinus (Comment. de scriptor. ecclesiast. III. dissert. singular. c. 13. col. 424.) ita profert: « Opusculum certum eiusdem, cum sub operis initium allegat alia a se scripta, quae reperiuntur in opusculis *Breviloquii* et *Centiloquii* absque dubio ad S. Bonaventuram spectantibus. Praeterea istud opusculum ex lectione grave simul et eruditum est » etc. — In Prologo autem opusculi legitur: « Huius rei gratia praesens opusculum, etsi laboriosum mihi, tamen et aliis parvulis in Christo lac petentibus, ut spero, non infructuosum, offero ad aedificationem domus Domini... In quo agitur de proprietatibus rerum naturalium, quas secundum parvitatem meam nunc tropologice,

nunc allegorice, nec non quandoque anagogice rebus spiritualibus comparavi... Et cum rerum naturalium proprietates ipsarum sequantur substantiam, secundum ipsarum distinctionem substantiarum et ordinem erit distinctio et ordo proprietatum, quas *in alio opusculo per se positas et distinctas poteris per ordinem reperire* ». — Auctores Vaticanae editionis in praefixa operi animadversione illud *aliud opusculum* intelligunt esse *Breviloquium*, vel alium tractatum iniuria temporum non exstantem; sed cum tribus aliis viris supra memoratis Bonelli (loc. cit. col. 533) contendit, illud esse *Centiloquium*, cuius partem III. sect. 13-18. ad hoc probandum allegat. Pro similitudine doctrinae ostendenda recurrit etiam ad Itinerarium mentis in Deum et de Reductione artium ad theologiam, ut sic opusculum vindicet Bonaventurae.

Nobis autem minime certum esse videtur, quod per illam tam generalem et ad aliorum auctorum opera applicabilem allegationem reapse indicetur *Centiloquium*. Sed quidquid sit de hoc, nihil inde concludi potest pro istorum sententia, quod libellus sit Bonaventurianus. Nam si reapse citatio illa refertur ad *Centiloquium*, ut unus utriusque operis sit auctor; cum Bonaventura non sit proprie auctor *Centiloquii*, per consequens nec libellum istum scripsit. Si vero verba illa indicant alium librum ignotum, tum evacuatur argumentum principale, quo illi pro sua opinione innituntur.

Bonelli pro eadem opinione affert etiam duos codices opusculi, qui illud Bonaventurae inscribunt. Primo ex catalogis Oxonii an. 1697 in Theatro Sheldoniano impressis transcribit haec (ibi pag. 78): « Bonaventura de triplici Hierarchia, cod. 1630. inter libros Kenelmi Digbei ». — Secundo nominat codicem bibliothecae Monasterii Salem in Suevia Ord. Cisterc., qui habeat opusculum inscriptum: « De triplici actu hierarchico »; quin tamen nomen auctoris aliaque a Bonelli addantur, ut iudicari possit, num istud opusculum sit idem cum illo edito, et num Bonaventurae inscribatur. Eadem libri inscriptio habetur etiam in catalogo indiculi XXV. infra c. 12. impresso.

Primum vero codicem, qui adhuc exstat *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, accuratius descripsit et examinavit P. Fidelis a Fanna. Est enim ibi S. cod. 33. (olim equitis Kenelme Digby) in 8. membr. folior. 127, miscellan., a diversis manibus saec. XIV. et XV. scriptus. — Fol. non numerato quarto est indiculus contentorum ab alia manu saec. XV. scriptus, qui incipit: « In isto volumine continentur: primo Bonaventura *de triplici hierarchia*. Item, sermo scholasticus » etc. Fol. numerato 1. r. in superiore linea grandioribus litteris: « *Bonaventura de triplici hierarchia. Nunquid nosti ordinem celi et pones rationem eius in terra?* (Iob 38.). Secundum beatum Dionysium ecclesiastica hierarchia ordinata est ad instar et similitudinem angelice hierarchie ». Desinit fol. 16. r.: « Tertie hierarchie, scilicet ecclesiastice, correspondere ternarius penultimus... et ipsi soli ab illis sacramentaliter absolvuntur ». — Fol. 9. v. legitur: « Ideo secundum doctorem fratrem Thomam de Aquino in secunda secunde [q.] 188. [a. 6. 7. 8.] Religio aliqua tanto est perfectior » etc.

Ex his patet, nec titulum opusculi in codice contenti, nec materiam ad tractandum assignatam, nec initium nec finem convenire cum edito. Titulus de *triplici hierarchia* indicare videtur, quod auctor agere vult non tantum de *ecclesiastica* (ut libellus editus), sed etiam de *angelica* et *divina* hierarchia. Editus liber incipit: *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt* etc.; codex vero a loco ex Iob, qui invenitur in editione Vaticana inferius circa finem c. 1. — Porro citatur in codice locus ultimi et non perfecti operis Angelici Doctoris; quo iam satis indicatur, libellum non esse Bonaventurae, ut bene ibi annotat P. Fidelis. Praeter hunc codicem Oxoniensem, *simile* quoddam opusculum habentem, *nullus alius codex* in tot bibliothecis ab eodem Patre diligentissime perscrutatis inveniri potuit.

Evacuatis igitur argumentis his, non remanet pro opinione a nobis reiecta nisi testimonium nullius fere auctoritatis, quod ferunt editio Argentina an. 1495 et posteriora Chronica Mariani Florentini, qui, ut infra (c. 12.) dicemus, post hanc editionem et etiam Venetam an. 1505 vivens, probabiliter ex eisdem editionibus suam opinionem hausit.

Nec *interna criteria* favent praedictae opinioni. Opus in se quidem non esset indignum Bonaventura et passim habet sententias, quae aliquatenus conveniunt cum ultimis collationibus in Hexaëmeron. Sed desiderantur particularia Bonaventuriani ingenii et stili vestigia, quae in genuinis eius operibus se offerunt, et interdum aliquae propositiones ei minus convenire videntur.

Omnibus his consideratis, non potuimus hoc opusculum ponere inter genuina S. Bonaventurae opera.

§ 3. **Opusculum de quatuor virtutibus cardinalibus.** — Hoc perexiguum scriptum, quod in editione Vaticana non implet nisi unam paginam et mediam, primo impressum fuit in illa collectione Argentina an. 1495, nec memoratur nisi in duobus catalogis saec. XVI, scilicet Mariani Florentini et anonymi Pistoriensis. Oudinus putat, illud non esse Bonaventura indignum, editores Veneti vero, esse dubium, Sbaralea, esse spurium, Bonelli, esse verisimile.

Plene assentimur Sbaraleae illud respuenti. Est enim *mera compilatio*. Quae de virtutibus his in *genere* dicuntur, leguntur etiam in *Compendio theologicae veritatis*, lib. V. c. 33, posita tamen ordine diverso, exceptis paucis propositionibus ex Seneca et Gregorio sumtis. — Exigui momenti sunt sententiae de ipsis *in specie*; et quae de qualibet virtute, prout est *politica, purgatoria, purgati animi* et *exemplaris*, habentur sunt verba Macrobii, ex quibus quadruplex gradus cuiuslibet virtutis statuitur, adiuncta quadam sententia Senecae. Definiuntur primae tres virtutes cum enumeratione incompleta partium *integralium*, ita ut *prudentiae* partes cum *definitionibus* et *actibus* recenseantur, quae quoad tres alias omittuntur. — Insuper maior pars opusculi invenitur in Collat. in Hexaëmeron, collat. 6. n. 27-33, ut in nota ad calcem dictum est. — Accedit, quod ne unus quidem codex, qui scriptum hoc habeat, a P. Fidele potuerit inveniri, quod etiam de sequenti opusculo dicendum est.

§ 4. **Declaratio terminorum theologiae.** — Etiam haec brevissima opella trium paginarum primo impressa est in eadem Argentina collectione; ipsi, ut praecedenti, suffragantur tantum praedicti duo testes parum idonei saec. XVI. Oudinus et editores Veneti libellum Bonaventurae abiudicant, ast rationibus levibus ducti; Sbaralea et Bonelli illud indicant esse genuinum, pro quo Bonelli affert etiam testimonium cuiusdam codicis, qui illo tempore fuit in Conventu Minorum Observ. S. Mariae Gratiarum prope Mantuam (cfr. Prodrom. col. 430). — Titulus libelli parum rei respondet, cum non declarentur *termini* theologici, sed potius *doctrina theologica* compendiosissime ex Breviloquio Bonaventurae et aliis eius libris extracta sit, fere semper eisdem verbis. Unde iustiore iure quam *Centiloquium* quoad *rem con-*

tentam tribui potest Bonaventurae. Sed cum quilibet alius theologus modice eruditus talem opellam extrahere et aliqun iure Bonaventurae inscribere potuisset, nec ullus testis pro Bonaventura auctore inveniatur ante finem saec. XV; non videmus rationem, quam afferre potuerint Sbaralea et Bonelli, ut *certum* hoc opusculum seraphici Doctoris esse decernerent.

Restat loqui de quibusdam opusculis, quae primo in Supplemento Bonelli edita et Bonaventurae tributa sunt.

§ V. **Sermones triginta duo de eucharistia**, editi in Supplem. III. col. 756-951, qui incipiunt his verbis: « De sacrosancto Corporis Domini locuturi Sacramento » etc. Post Indiculum de re in quolibet sermone tractanda sequitur sermo 1. incipiens: *Venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis* [Prov. 25, 9.].

Bonelli scivit, in codicibus et antiquis editionibus hoc opusculum tribui non raro S. Thomae de Aquino, vel B. Alberto. Cum autem Echardus (Scriptores etc., pag. 340 col. 2.) illud S. Thomae abiudicandum esse censeat, et B. Alberto tribuendum, et hoc Oudinus neget; Bonelli hos Sermones potius Bonaventurae tribuendos esse opinatur. Ad hoc probandum affert (Prodrom. col. 674 et 427) unum codicem Monasterii Lunaelaci in Austria, qui habet hos 32 Sermones, sign. Z. n. 298. membr. in 8. Sermones ipsi sunt ibi anonymi, sed in exteriore operimento ligneo scriptum est a manu saec. XV: *Sermones sancti Bonaventure*. Idem hoc confirmare nititur pluribus indiciis levissimi momenti, in notis autem ad calcem opusculi saepius citat S. Bonaventuram, ut ostendat concordiam doctrinae cum Bonaventuriana. Sed revera illi loci sunt fere omnes nimis communes. Nobis autem videtur, illos Sermones, licet sint boni, parum sapere indolem S. Bonaventurae.

Auctoritas autem *codicum* minime favet opinioni praedicti Patris, sed valde S. Thomae. Inter 102 codices hos sermones habentes (quorum 42 sunt saec. XIV, reliqui saec. XV.) quos P. Fidelis vidit et descripsit, 51 inscripti sunt S. Thomae, plerumque prima manu; B. *Alberto* inscripti sunt tres saec. XV. prima manu, et quartus secunda manu, dum prima manus nominet S. *Thomam*. Unus cod. (*Wratislaviae*, bibliotheca Regia, collect. P. Bernard. XII. E. 4. membr. saec. XIV. exeunt.) nominat (a secunda manu) magistrum *Aegidium;* alter (*Treviris*, cod. 694. saec. XV.) habet a secunda manu *Bertrandi ord. Minor. sive secundum alios Alberti*. Unus (*Vindobonae*, bibliotheca Palat., cod. 1707. membr. in 8. saec. XIV.) habet in exteriore operimento a manu posteriore nomen *Bonaventure;* et hic videtur esse ille Lunaelacensis, quem supra Bonelli ut testem citavit. In ceteris codicibus opusculum est anonymum, et numerus sermonum in nonnullis non excedit 28.

Et notandum, quod nomen S. *Thomae* invenitur saltem in 13 codicibus saeculi XIV. a prima manu et duobus eiusdem saeculi a secunda manu; hi omnes tamen scripti sunt post medium saec. XIV. Tres alii codices his sunt antiquiores, sed anonymi. — Ceterum patet, Oudinum errasse, dum contendit, auctorem opusculi fuisse saeculi XV.

Quaestionem de vero auctore horum sermonum determinare non spectat ad nos, cum indubitatum sit, eos non posse tribui S. Bonaventurae. Iam saec. XV. auctor ignorabatur, ut patet ex quodam scripto Bartholomae Clarthusiani, quod in codice Moguntino chart. n. 74. (progressivo XLVII.) supra pag. XLVI n. 7. descripto sequitur sermonem Bonaventurae de corpore Christi. Ibi fol. 105. r. legitur: « Incipit tractatus optimus de Sacramento altaris. — Quarundam religiosarum ersonarum » etc. Incipit fere eisdem verbis ut Prologus orum Sermonum: « Locuturus de divinissimo eucharistie Sacramento, a causis institutionis eius exordium institui. Sunt autem duodecim rationes institutionis ». — Opusculum dividitur in 15 capitula; refellit argumenta Hussitarum, citat *Albertum, Thomam, Petrum de Palude* et hos sermones de Sacramento, « quem [librum] aliqui Alberto, aliqui S. Thomae attribuunt » (fol. 116. r.), et etiam *Albertum de Padua in sermone de cena Domini*, « *Doctorem solemnem Zachariam Chrysopolitanum* » et *Cancellarium in libro de Sacramentis*. Desinit fol. 130. v.: « Explicit tractatus utilis et bonus de Sacramento, compilatus per R. magistrum fr. Bartholomeum Carthusianum priorem et magne litterature ».

§ 6. **Tractatus de studio divinarum litterarum. — Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.** — Hic tractatus quoad sententias magna ex parte sumtus est ex collat. 19. in Hexaëmeron. Editus est a Bonelli (Supplem. I. col. 24-48), qui usus est duobus codicibus. Primus fuit tunc *Venetiis* in Conventu fratrum Minorum Reform. et describitur ab eodem (Prodrom. col. 488. seq.). Inscriptio erat: *S. Bonaventura de intelligentia socre Scripture;* erat chart. et saec. XV. — Alter est adhuc in bibliotheca *Vaticana*, cod. 918. membr. miscellan., qui primo habet postillam Bonaventurae in *Ecclesiasten* cum nomine auctoris scriptam a manu, quae est, ut videtur, saec. XIV. et antiquior quam ea quae scripsit cetera, et quidem in membrana minoris formae; quod indicat, hanc partem postea compaginatam fuisse recentioribus, qui habent Commentarium in *Cantica* (Petri Ioannis Olivi), *quinque opuscula* eadem, quae habuit codex Venetus, et Commentarium in *Apocalypsim*. Quinque illa opuscula ibi sunt anonyma, et nomen *Bonaventurae* in primo illo Commentario scriptum sine ratione attribuitur partibus posterioribus.

Ex his igitur codicibus edidit Bonelli tum primum Tractatum *de studio divinarum litterarum* (Supplem. I. col. 24-48), tum quatuor alios, scilicet: a. in illud Apocalypsis 5: *Vidi in dextera sedentis* etc. (ibid. II. col. 1053-1113). — b. In illud Apocalypsis 4: *Quatuor animalia, singula eorum habebant* etc. (ibid. II. col. 1038-1052). — c. In illud Ezechielis 1: *Cum essem in medio captivorum* etc. (ibid. I. col. 282-347). — d. In illud Ezechielis 10: *Ingredere in medio rotarum* etc. (ibid. I. col. 348-374).

Eadem opuscula habentur etiam Parisiis, bibliotheca Nationalis, cod. 15588, membr. in folio (olim Sorbon. 120.). — Fol. 1. r. in superiore margine admodum parvis litteris ab altera manu saec. XIV. circa medium legitur: *Postilla Ioan. Petri, et huius postille tabula questionum 71 de Lemovicis bancha ad volumen 9.* — Fol. 181. v. habetur a manu saec. XIII: *Iste liber est pauperum magistrorum de Sorbona ex legato Magistri Petri de Lemovicis, quondam socii domus huius, in quo continentur postille super Mattheum et super epistolam ad Romanos et super Cantica. Pretium X librarum. Cathenàbitur.* Et antea fol. 179. v. est praedicta tabula alphabetica a manu saec. XIV. scripta. — Memoratus Petrus mortuus est an. 1306 (Recueil des Historiens des Gaules et de la France, Paris 1855, pag. 756). Monet P. Fidelis, concludi inde posse, aetatem codicis ascendere ad saec. XIII. — Praeter praedicta quinque opuscula in illo codice habentur Petri Ioannis Olivi Comment. in Matthaeum, in Epistolas Pauli et in Cantica. Omnia ista

opuscula esse reapse huius Petri Ioannis Olivi, P. Fidelis ibi annotavit.

Hoc iudicium approbat et magis confirmat cl. P. Fr. Ehrle S. I. (Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte etc., Band III. pag. 495) loquens de praedictis quinque opusculis. Certum argumentum ab eo sumitur ex catalogo bibliothecae pontificiae scripto 1369 sub Urbano V, in quo (n. 381.) illa quinque opuscula, inscripta *Principia generalia super sacra Scriptura*, attribuuntur Fr. Petro Ioannis Olivi.

CAP. XI.

De variis editionibus opusculorum S. Bonaventurae.

Non raro citandae sunt antiquiores collectiones *opusculorum* S. Bonaventurae, quae factae sunt ante Vaticanam *omnium operum* collectionem, quorum conspectus habetur tom. I. Praefat. pag. XIII-XXI. Hinc praedictae collectiones, quae omittunt Commentarios in Lombardum et Scripturam, secundum ordinem aetatis hoc loco describendae videntur.

I. Editio, a Bonelli vocata anonyma, et secundum eius descriptionem 15 opuscula complectens, sub oculos nostros non venit.

II. Prima edit. Coloniensis an. 1484, quae secundum L. Hain ex officina Barthel de Unckel prodiit, ab eodem L. Hain describitur sub n. 3463. Collectionis tabulam, 16 opuscula indicantem, Bonelli affert absque nota loci et nomine typographi. Nostrum exemplar, ad Conventum fratrum Recoll. Bietbergae in Westphalia spectans, est mutilum, exhibens 5 tantum opuscula, quae cum 12 opusculis 2. edit. Colon. an. 1486 et cum Ambrosii libro Hexaëmeron colligata sunt.

III. Secunda edit. Coloniensis an. 1486, cuius tabulam Bonelli profert sine nomine typographi, qui fuit Ioannes Coelhoff de Lubeck, Coloniae civis, continet 23 opuscula. Describitur a L. Hain sub n. 3464. In exemplari, quod prae manibus habemus, et quod est Conventus fratrum Reform. Bulsani, 14 opuscula bis producuntur.

IV. Prima edit. Argentina an. 1489, quae debetur curis et praelis Martini Flach, 22 opuscula exhibet. Describitur a L. Hain sub n. 3465. Exemplar nostrum, quod ad Conventum S. Bernardini Tridenti pertinet, quoad numerum et qualitatem opusculorum prorsus respondet tabulae, a Bonelli absque nomine typographi prolatae.

V. Secunda collectio Argentina an. 1495, sine nomine typographi in lucem edita, 71 opuscula habet in duas partes et duo volumina divisa, quorum tabulam Bonelli profert. Secundi tantum voluminis exemplar inspicere potuimus, cuius argumentum cum tabula Bonelli plane concordabat. Recensetur a L. Hain sub n. 3468. Ut ex infra posita tabula generali videri potest, haec collectio praecedentibus addidit 48 opuscula. Nihil dicitur in praefatione, unde haec opuscula sumta sint, nec qui vir doctus curam editionis habuerit. Constat autem, horum 48 opusculorum saltem 20 esse spuria vel dubia. Hinc respectu huius editionis non a vero aberrant editores Veneti (Diatriba pag. 51) asserentes, quod multa opuscula « absque delectu et solo typographorum iudicio Bonaventurae adscripta sint ». Haec opuscula nihilominus in posteriores collectiones recepta sunt.

VI. Brixiae prima collectio opusculorum iuxta Bonelli et Hain impressa est per Bernardinum de Misintis an. 1495, complectens 10 opuscula, quorum tabulam Bonelli exscripsit. Nos invenimus hanc primam editionem sine nota loci et anni et nomine typographi colligatam cum opusculis secundae editionis Brixien.; sed in nostro exemplari, quod est Conventus fratrum Reform. Ecclesiae Novae Assisii, desunt tria ultima opuscula apud Bonelli nec non in ipsa editionis tabula indicata. Post finitum 7. opusculum (de Quatuor mentalibus Exercitiis) legitur: Finis. Deinde cum novo titulo sequuntur opuscula 2. edit. an. 1497, quae non sunt numero 6, ut ex tabula Bonelli colligi posset, cuius exemplar mutilum fuit, sed numero 20, uno minus quam quae tabula collectioni praefixa exhibet. Deest enim opusculum *Viginti passus*, quod ut pars secunda additum est primo opusculo (de informatione Novitiorum) editionis primae. L. Hain primam editionem recenset sub n. 3467, secundam sub n. 3466.

VII. Editionis Parisiensis an. 1499 tabulam Bonelli affert, adiungens, volumen in 12. impressum esse per magistrum Petrum Le Dru pro Ioanne Petit anno Dni 1499 die XI. Novembris. Non recensetur a L. Hain.

VIII. Non vidimus nisi primum volumen 1. edit. Venetae, in 2 vol. divisae, quod inscribitur: Seraphici doctoris sancti Bonaventure de balneo regio episcopi albanensis, sacrosancte romane ecclesie Cardinalis ex ordine minorum assumpti: parvorum opusculorum Pars prima. In fine voluminis in fol. (fol. CCXIX): Finiunt tractatus quamplurimi sancti Bonaventure de volumine prime partis. Impressi Venetiis anno Domini MCCCCCIIII. — Continet eadem opuscula ac edit. 2. Argentina, ut ex tabula apud Bonelli videri potest. — L. Hain hanc editionem, quae 71 opuscula exhibet, quia est saec. XVI, non describit. Impressa est per magistrum Iacobum de Leuco, impensis Lucae Antonii de Giunta Florentini.

IX. Altera quoque edit. Veneta, an. 1564 per Dominicum Nicolinum iussu R. P. Fr. Zamorae, Ord. Min. generalis Ministri publicata, a L. Hain non recensetur. Exhibet 77 opuscula, in duos tomos distributa, quorum tabulam dat Bonelli.

Ordo opusculorum diversus est in diversis editionibus. In sequenti tabula sub uno conspectu posuimus opuscula parva, quae in singulis collectionibus habentur, et ordinem ipsorum numero arabico indicavimus. Numerus II significat alterum tomum.

CONSPECTUS OPUSCULORUM ANTIQUARUM EDITIONUM.

	EDITIO VATICANA	Anonyma	Coloniens. 1484	Coloniens. 1486	Argentina 1489	Argentina 1495	Brixiens. 1485	Brixiens. 1497	Parisiens. 1499	Veneta 1504	Veneta 1564
1	Principium sacrae Scripturae					1				1	1
2	Illuminationes Ecclesiae					2				2	2
3	Expositio in cap. VI. Matthaei (Pater noster).	13	14	5	22	6 (II)		19	6	6 (II)	15 (II)
4	De reductione artium ad theologiam. .	11		19	6	5		4		5	5
5	Breviloquium.		1	1	1	6		1	4	6	6
6	Centiloquium.	4	5	2	8	7		6	9	7	7
7	Pharetra			7	9	12		7		12	12
8	Declaratio terminorum theologiae. . .					41 (II)				41 (II)	48 (II)
9	Compendiosum principium in libros Sententiarum					3				3	3
10	Sententiae sententiarum carmine digestae.					4				4	4
11	De quatuor virtutibus cardinalibus . .					21 (II)				21 (II)	30 (II)
12	De septem donis Spiritus sancti . . .					13				13	13
13	De resurrectione a peccato ad gratiam.								2		11 (II)
14	De tribus ternariis peccatorum infamibus.	12	13	20	17	8		15		8	8
15	Diaeta salutis.								1		10 (II)
16	Meditationes vitae Christi					32 (II)				32 (II)	42 (II)
17	Lignum vitae		4	8	4	46 (II)	9		5	46 (II)	52 (II)
18	De quinque festivitatibus pueri Iesu. .			6	11	30 (II)		9		30 (II)	40 (II)
19	Officium de passione dominica . . .					12 (II)				12 (II)	21 (II)
20	Opus contemplationis.					33 (II)				33 (II)	43 (II)
21	Laudismus de sancta cruce.	15	16	23		16 (II)			7	16 (II)	25 (II)
22	Philomena.					35 (II)				35 (II)	45 (II)
23	De septem verbis Domini in cruce . .					34 (II)				34 (II)	44 (II)
24	Speculum B. M. Virginis					7 (II)				7 (II)	16 (II)
25	Officium de compassione B. M. Virginis.					13 (II)				13 (II)	22 (II)
26	Corona B. M. Virginis					11 (II)				11 (II)	20 (II)
27	Carmina super canticum Salve Regina .					14 (II)				14 (II)	23 (II)
28	Laus B. M. Virginis					39 (II)				39 (II)	46 (II)
29	Psalterium minus B. M. Virginis . . .					40 (II)				40 (II)	47 (II)
30	Psalterium maius B. M. Virginis . . .					10 (II)				10 (II)	19 (II)
31	Sermones de decem praeceptis . . .			22	20	44 (II)		17		44 (II)	51 (II)
32	Epistola viginti quinque memorabilium.	9	6	17	5	2 (II)		3		2 (II)	12 (II)
33	De regimine animae			12	12	4 (II)		10		4 (II)	13 (II)
34	Formula aurea de gradibus virtutum .					9				9	9
35	De pugna spirituali					28 (II)				28 (II)	38 (II)
36	Speculum animae						10				9 (II)
37	Confessionale.					10				10	10
38	De praeparatione ad Missam					8 (II)				8 (II)	17 (II)
39	De instructione sacerdotis ad se praeparandum ad celebrandam Missam . .					9 (II)				9 (II)	18 (II)
40	Expositio Missae					15 (II)				15 (II)	24 (II)
41	De sex alis Seraphim.					48 (II)				48 (II)	54 (II)
42	Collatio de contemptu saeculi					22				22	22
43	De septem gradibus contemplationis. .	14	15	21	18	29 (II)		16		29 (II)	39 (II)
44	Exercitia quaedam spiritualia					23				23	23
45	Fasciculari { p. I.					26 (II)				26 (II)	36 (II)
	Fasciculari { p. II. *Passio Christi breviter collecta*					27 (II)				27 (II)	37 (II)

	EDITIO VATICANA	Anonyma	Coloniens. 1484	Coloniens. 1486	Argentina 1489	Argentina 1495	Brixiens. 1495	Brixiens. 1497	Parisiens. 1499	Veneta 1504	Veneta 1564
46	Soliloquium	3	7	11	2	17 (II)	7		10	17 (II)	26 (II)
47	Itinerarium mentis in Deum	1	3	3	3	18 (II)		2	8	18 (II)	27 (II)
48	De septem Itineribus aeternitatis . . .					20 (II)				20 (II)	29 (II)
49	Incendium amoris	2	2	4	7	19 (II)	6	5		19 (II)	28 (II)
50	Stimulus amoris						8				8 (II)
51	Amatorium					43 (II)				43 (II)	50 (II)
52	De ecclesiastica Hierarchia					31 (II)				31 (II)	41 (II)
53	Legenda S. Francisci										
54	Expositio in regulam fratrum Minorum.					14				14	14
55	Determinationes quaestionum circa regulam S. Francisci					18				15	15
56	Quare fratres Minores praedicent et confessiones audiant					19				16	16
57	Libellus apologeticus in eos qui Ordini fratrum Minorum adversantur. . .					45 (II)				45 (II)	32 (II)
58	De tribus quaestionibus ad magistrum innominatum	6	9	13	13	5 (II)		11		5 (II)	14 (II)
59	De paupertate Christi contra magistrum Gulielmum			9	10	15		8		17	17
60	Quod Christus et Apostoli et discipuli eius discalceati incesserunt, sive de sandaliis Apostolorum	7	10	14	14	16		12		18	18
61	Apologia pauperum	5	8	10	21	17		18		19	19
62	Epistola ad quendam provincialem Ministrum	8	11 (?)	15	15	20		13		20	20
63	Epistola ad Ministros provinciales et Custodes.			16	16	21		14		21	21
64	Biblia pauperum										
65	Alphabeta religiosorum					23 (II)				23 (II)	33 (II)
66	Alphabeta religiosorum incipientium. .					24 (II)				24 (II)	34 (II)
67	Collationes octo.					22 (II)					31 (II)
68	Speculum disciplinae ad Novitios. . .					1 (II)	5			1 (II)	
69	De profectu religiosorum liber primus .						2		11		4 (II)
70	De profectu religiosorum liber secundus. (*De processu Religionis*). . .						3				5 (II)
71	De institutione Novitiorum p. I. . . .						1				2 (II)
	De institutione Novitiorum p. II. *Viginti passus*. .	10	12	18	19	3 (II)				3 (II)	
72	Regula Novitiorum.						4				3 (II)
73	Remedium defectuum religiosi. . . .					37 (II)				37 (II)	6 (II)
74	De perfectione vitae ad sorores . . .					38 (II)				38 (II)	7 (II)
75	Summa de essentia et invisibilitate et immensitate Dei					42 (II)				42 (II)	49 (II)
76	De sex alis Cherubim.					47 (II)				47 (II)	53 (II)
77	De modo confitendi et de puritate conscientiae					11				11	11
78	Mystica theologia					25 (II)				25 (II)	35 (II)
79	Compendium theologicae veritatis . .										
	Absunt ab edit. Vaticana, sed inveniuntur in nonnullis aliis editionibus:										
1	De vitiis et eorum remediis					36 (II)				36 (II)	
2	Meditatio de nativitate D. N. I. Chr. .								3		

CAP. XII.

Antiquiores indiculi et catalogi operum S. Bonaventurae.

Cum in Prolegomenis huius et etiam sequentium tomorum saepe ad auctoritatem antiquorum indiculorum et catalogorum recurrendum sit, opere pretium esse duximus, principales hoc loco quam brevissime referre. Usi sumus opere facto a P. Benedicto Bonelli (Prodrom. col. 214-278), qui collegit 35 indiculos et 7 catalogos, eosque copiosis notis commentatus est. Omisimus eorum plures, qui fere nullius pretii sunt, sed tres alios ultimo loco adiecimus. Brevitatis studiosi omisimus etiam adiectas notas, quae indicant locos, unde indiculi collecti sunt, et opera Bonaventurae, quae diversis titulis apud diversos auctores significantur. Ipsae enim inscriptiones tot codicum Bonelli ignotorum, quas referimus, plerumque illos indiculos satis explicant, vel etiam supervacaneos atque inutiles reddunt. Ubi in casu speciali explanatio requiritur, illam reservamus illis locis, ubi de singulis opusculis agitur.

INDICULUS I.

Ex Chronicis Fr. Salimbene Parmensis, scriptis an. 1282.

1. Legenda B. Francisci.
2. Lectura super totum Evangelium Lucae.
3. Super Sententias quatuor libri.
4. Sermones, quos habuit ad Clerum.
5. Conciones Bononiae habitae ad Fratres.
6. Constitutiones generales ordinatae.
7. Alii multi libri, qui habentur a multis.

II.

Ex Henrici Gandavensis (✝ 1293) libro de Scriptoribus Eccl.

1. Scripsit in quatuor libros *Sententiarum* Magistri Petri.
2. Opusculum magnae subtilitatis, quod sic incipit: *Flecto genua mea* etc.
3. Scripsit etiam aliud, quod vocatur *Itinerarium mentis in Deum*.
4. Scripsit *de decem praeceptis*.
5. Respondit etiam breviter calumniis magistri Wilhelmi de Sancto Amore.

III.

Ex Ptolomaei Lucensis (✝ 1327) lib. 23. Eccl. Hist. Novae, cap. 2.

1. Fecit scripta super Sententias.
2. Et postillavit aliquos libros Bibliae.
3. Sicut libros Salomonis,
4. Iob,
5. Et Epistolas Pauli.

IV.

Ex Ubertini de Casali Arbore vitae crucifixae script. an. 1305.

1. Lignum vitae, sive Arbor Crucifixi.
2. Itinerarium mentis in Deum.
3. Breviloquium.
4. De regimine animae.
5. Sermo de S. Francisco.
6. De paupertate Christi contra Gulielmum de sancto Amore etc.
7. Apologia Pauperum contra quendam Girardum, illius discipulum.
8. Legenda B. Francisci.

V.

Ex Chronicis XXIV Generalium Ministrorum (usque ad an. 1368), cod. Assis. (Sacri Conventus n. 29. membr. in fol.).

1. Eodem anno (scil. 1259)... in monte Alvernae libellum, qui *Itinerarium mentis in Deum* dicitur, idem Generalis devotissimus compilavit (fol. 99. r. col. 1.).

2. Et post fecit alium, quem *Itinerarium mentis in se ipsum* vocavit.

3. Iste frater Bonaventura, antequam esset Generalis, dum teneret Parisius cathedram, veritatem evangelicam clarissimis disputationibus et determinationibus defensavit.

4. Existens vero Generalis, libellum perniciosissimum, qui creditur fuisse Magistri Geraldi de Abbatis Villa, per Apologiam tam eleganter quam subtiliter confutavit.

5. Anno Domini 1260 idem Generalis Constitutionibus Ordinis formam et ordinem dedit (fol. 99. v. col. 1.).

6. Anno Domini 1261 idem Generalis Vitam B. Francisci stilo mirabili compilavit ipsamque diffusam ad compendiosiorem formam reducens, taxatis pro die qualibet novem lectionibus, per octavas eiusdem Sancti legendam ordinavit, in qua nihil posuit nisi certum et probatum testibus fide dignis.

7. Hic Generalis ad instantiam domini ac sancti Ludovici, regis Franciae, Officium devotissimum de Cruce composuit (fol. 100. r. col. 1.).

8. Tunc enim vernali tempore Parisius existens, legit exposuit primum capitulum libri Genesis, multis hinc in quasi innumerabilibus ad lectionem confluentibus; et inde reportatus est et confectus libellus, qui de *VII Visionibus* vel Luminibus intitulatur. Sed antequam quintam Visionem seu Expositionem quinti diei complevisset, ad praelationem electus dictum librum incompletum dimisit etc. (fol. 100. r. col. 2.).

9. Intellectus ipsius perspicaciam omnia opuscula eius redolent his qui in ipsis divinam scientiam requirentes, hanc libentius quam vanitatem Aristotelicam venerantur (fol. 98. v. col. 2.).

VI.

Ex Martini monachi Fuldensis Chronico perducto ad an. 1379. apud Ioan. Georg. Eccardum in Corp. Historico medii aevi tom. 1. col. 1711 seqq.

1. Hic (Bonaventura) multos libros fecit.
2. Multos libros Bibliae postillavit,

3. Sicut libros Salomonis,
4. Et Iob,
5. Et Epistolas Pauli,
6. Et alia multa.
7. Cuius scriptum super sententias a doctoribus sacrae Paginae multum approbatur et quasi pro authentico reputatur.

VII.

Ex Bartholomaei Pisani opere Quadraginta Conformitatum completo an. 1390.

1. Scripsit luculenter super quatuor libros Sententiarum.
2. Postillavit excellenter Evangelium B. Lucae.
3. Scripsit Apologiam Pauperum,
4. Librum de Operibus sex dierum,
5. Librum de Contemplatione,
6. Librum de sex Alis Seraphim.
7. Regulam Novitiorum.
8. Legendam B. Francisci maiorem et minorem ipse composuit.
9. Et multa alia, quibus sua doctrina, quam lata fuerit et alta, apparet.

VIII.

Ex cod. membr. bibl. Stronconiensis S. Francisci, a P. Theodoro de Gavatio an. 1765 recensito.

Frater Bonaventura de Balneo Regio, qui postea fuit Cardinalis primus Ordinis et Episcopus Albanensis,
1. Scripsit luculenter super quatuor libros Sententiarum.
2. Postillavit excellenter Evangelium B. Lucae.
3. Scripsit Apologiam Pauperum.
4. Librum de Operibus sex dierum.
5. Librum de Contemplatione.
6. Librum de sex Alis Seraphim.
7. Librum Pharetrae.
8. Legendam maiorem et minorem B. Francisci.
9. Et multa alia, quibus sua doctrina quam lata fuerit et alta, apparet... Hic fuit Magister in theologia clarissimus, XVI annis Generalis Minister Ordinis.

IX.

Ex Ioanne Gersone (clarnit saec. XIV. exeunte et XV. ineunte).

1. Super quatuor Sententiarum libros.
2. Lectura grandior.
3. Breviloquium.
4. Itinerarium mentis in Deum.
5. Stimulus amoris.
6. De modo confitendi et de puritate conscientiae,
7. Et alii Tractatus,
8. Et Opera.

X.

Ex S. Bernardino Senensi (✝ 1444).

1. In quatuor libros Sententiarum.
2. Breviloquium.
3. Centiloquium.
4. Illuminationes.
5. Legenda maior.
6. Legenda minor.
7. Concio habita in Capitulo generali Parisiensi de S. Francisco.

XI.

Ex S. Antonini archiepiscopi Florentini (✝ 2. Maii 1459) parte III. Historiarum tit. 24. cap. 8. ac 9.

1. Scriptum notabile et devotum edidit super quatuor Sententiarum.
2. Anno 1259 idem Fr. Bonaventura Generalis in monte Alverniae libellum, qui *Itinerarium mentis in Deum* dicitur, devotissimum compilavit.
3. Et post fecit alium, quem *Itinerarium mentis in se ipsum* vocavit.
4. Anno Domini 1260 idem Generalis Narbonae Capitulum generale celebravit, in quo Constitutionibus Ordinis formam et ordinem dedit, et Breviario sunt aliquae rubricae additae sub Urbano IV.
5. Sequenti anno idem stilo mirabili *Vitam B. Francisci* compilavit ipsamque diffusam ad compendiosiorem formam reduxit, in qua nihil posuit nisi certum et probatum testibus fide dignis.
6. Hic libellum perniciosissimum, qui traditur fuisse magistri Gerardi, contra Religiosos pauperes latrantem, per Apologiam tam eloquenter quam subtiliter confutavit.

XII.

Ex Gulielmo Vorrilongo (✝ 1464).

1. In quatuor libros Sententiarum.
2. Expositiones mirificae in textum Bibliae.
3. De Alis Seraphicis.
4. Itinerarium mentis.
5. Innumerabiles codices in speculativa et practica.
6. Legenda minor B. Francisci.
7. Compendium de adventu antichristi.

XIII.

Ex Iacobi Oddonis sive Oddi Perusini Speculo Minorum, cod. mss. a Waddingo recensito.

1. Scripsit super quatuor libros Sententiarum luculenter.
2. Postillam super Evangelium S. Lucae.
3. Apologiam Pauperum.
4. De Opere sex dierum.
5. De Contemplatione.
6. De sex Alis Seraphim.
7. Regula Novitiorum.
8. Legendam S. Francisci maiorem et minorem.
9. Officium devotum S. Crucis, rogante S. Ludovico rege Galliarum.
10. Et alia multa.

XIV.

Francisci Samsonis, Ordinis Minor. generalis Ministri (1475-1499), qui hunc indiculum apostolicae Sedi exhibuit pro obtinenda S. Bonaventurae canonizatione. Exscriptus est ex authentico tomo I. memorati processus. custodito in archivo sacri Conventus Assisii.

Opera seu libri per B. Bonaventuram compositi, de quibus in praesenti scitur:

1. In primis scriptum super primo Sententiarum.
2. Item scriptum super secundo Sententiarum.
3. Item scriptum super tertio Sententiarum.
4. Item scriptum super quarto Sententiarum.
5. Item scriptum metrice super libris Sententiarum.
6. Item scriptum super Evangelio Ioannis.
7. Item scriptum super Evangelio Matthaei.
8. Item elegantissime scriptum super Evangelio Lucae.
9. Item scriptum super Evangelio Matthaei (fortasse super oratione dominica?).
10. Item Compendium veritatis sacrae Scripturae.
11. Itinerarium mentis in Deum.
12. Itinerarium mentis in se ipsum.
13. Vita Domini nostri Iesu Christi, sive Arbor Crucis.
14. Item de septem Visionibus seu diebus super principio Genesis.
15. Item de sex Alis Seraphim.
16. Item Defensorium Ordinis pro pauperibus Christi adversus librum erroneum Geraldi de Abbatis Villa.
17. Legenda B. Francisci maior.
18. Alia Legenda eiusdem B. Francisci brevius reducta.
19. Officium B. Francisci, quod legitur in Ecclesia.
20. Officium Corporis Christi, licet illud quod in Ecclesia communiter legitur, fuerit B. Thomae de Aquino.
21. Officium sanctae Crucis ad instantiam regis Franciae.
22. Ordinationes Novitiorum.
23. De stimulo amoris.
24. Pharetra in auctoritatibus principalioribus Doctorum Ecclesiae secundum alphabetum in sacra Scriptura.

XV.

Octaviani de Martinis, in oratione coram Sixto IV. P. M. ac frequentissimo Patrum senatu habita quarto Idus Aprilis 1482.

1. In Capitulo generali, quod primum Narbonae tenuit, regulam B. Francisci reformavit atque exposuit.

2. Libellum contra Minores perniciosissimum, a Magistro Giraldo de Abbatis Villa (ut putant) editum, per Apologiam non minus eloquenter quam subtiliter confutavit.

3. Cum Parisiis legisset primum librum Genesis, nobile opus, quod *de septem Visionibus Bonaventurae* intitulatur, editum est.

4. In libros Sententiarum celebria Commentaria edidit, secundum et quartum praesertim.

5. Quos etiam metrice exstitit prosecutus, et incipiunt: *O fons splendoris, vas dulcoris et amoris.* Quibus ob sublime ingenium auctoris ibi inspersum *Sententiae Sententiarum Bonaventurae* titulus inditus est.

6. Super Evangeliis copiose et utiliter scripsit, Lucae praesertim, cancellarii piae Matris Iesu, quam pectori impressam assidua meditatione semper exstitit veneratus.

7. Rursus pro contemplatione S. Ludovici, regis Franciae, Officium de Cruce devotissimum edidit, quod ab Ecclesia, nullo immutato, receptum, in ea solemnitate ubique legitur.

8. Composuit et solemne Officium in honorem B. Francisci.

9. Et de ipsius Vita historiam serioso tractatu primum et secundo reductorie annotavit.

10. Composuit et libellum de sex Alis Seraphim.

11. In monte Alvernae duo nobilia opuscula edidit, piissimas contemplationes fragrantia, quorum alterum *Itinerarium mentis in Deum*, et alterum *in se ipsam* appellata sunt.

12. Composuit et libellum approbatorium Religionis Mendicantium, quod *Defensorium* appellant.

13. Composuit et libellum de Vita Christi, sive Meditationum passionum ipsius, quem *Arborem Crucis* nominant.

14. Composuit et Breviloquia.

15. Item et sermones dominicales super Evangeliis et Epistolis per totum anni circulum.

16. Item Compendium veritatis sacrae Scripturae.

17. Item libellum Ordinationis sive Institutionis Novitiorum.

18. Item et libellum de Stimulo amoris.

19. Libellum, quem appellant *Pharetram* in auctoritatibus principalibus Doctorum approbatorum, quem per alphabetum exstitit prosecutus.

20. Et alia plura opuscula usque ad tricenarium numerum, quae in partibus Galliarum frequentius habentur in manibus.

XVI.

Roberti de Licio Ord. Minorum, episcopi Aquilae Marsorum († 1495), in sermone, quem habuit de Laudibus S. Bonaventurae.

Multa scripsit laude digna et legentibus grata. Nam

1. Scripsit libellum Apologiae contra Giraldum de Abbatis Villa, qui multa falsa de Religiosis et Religionis statu disserebat; qui Giraldus tandem leprosus mortuus est.
2. Scripsit libellum de sex Alis Seraphim.
3. Et super Genesim opus, quod intitulatur *de septem Visionibus*,
4. Et Defensorium Religionis,
5. Et Regulam Novitiorum,
6. Et super quatuor libros Sententiarum,
7. Et expositionem Regulae FF. Minorum,
8. Et Breviloquium,
9. Et sermones dominicales per anni circulum,
10. Et super quatuor Evangelia, praecipue super Lucam,
11. Et de Arbore Vitae crucifixae.
12. Et plura alia opuscula edidit;
13. Inter quae omnia singularis fuit Legenda B. Francisci.

XVII.

Ex Alexandro Ariosto Ord. Min., qui floruit tempore Sixti IV, a quo nuntius ad Maronitas missus est an. 1475.

1. Scripsit super quatuor libros Sententiarum suavi et erudito sermone.

2. Super Evangeliis compendiosa Commentaria, prolixius vero super Lucam, quia prae ceteris Evangelistis secretiora multa gloriosissimae Virginis Mariae, cuius hic vir Sanctus (Bonaventura) devotissimus erat, veluti eius scriba praecipuus accuratius perscripsit.

3. Super libro Genesis Commentaria, quae *de septem Visionibus* inscribuntur.

4. Insignem quoque libellum, qui *de sex Alis Seraphim* praenotatur.

5. Egregium opus de Vita Christi.

6. Breviloquia.

7. Et sermones dominicales super Evangeliis et Epistolis totius anni.

8. Compendium veritatis Scripturae sacrae, quod mirificum opus est.

9. Librum de triplici statu Religiosorum.

10. Libellum, qui *Stimulus amoris* dicitur, igneis pene verbis atque caelestibus.

11. Itinerarium mentis in se ipsam.

12. Et Itinerarium mentis in Deum.

13. Opusculum aureum de Arbore vitae Christi.

14. Apologiae librum peregregium adversus Gerardum de Abbatisvilla, qui contra mendicantes Religiosos impudentissima audacia invehere et insectari temerarie praesumserat, qui non modo viri sancti Apologia ab infandis calumniis et obtrectationibus coercitus est, sed etiam divina censura mulctatus, paralysi lepraque percussus interiit.

15. Rogatu quoque regis Franciae devotissimum Crucis opus, quod etiam a Romana Ecclesia, nihil immutato, susceptum est.

16. Et B. Francisci vitam sermone compendioso descripsit, quae et Breviario inserta passim legitur in Ecclesia.

17. Aliam quoque eiusdem Sancti prolixiori sermone litteris demandavit.

18. Expositionem sive declarationem regulae Fratrum Minorum.

19. Opusculum, quod incipit: *Religio munda et immaculata.*

20. Epistolam toti Ordini missam.

21. Epistolam aliam, quam de consensu et definitione Capituli generalis misit per totum Ordinem etc.

XVIII.

Ex Ludovici Pruteni Ord. Min. Trilogio animae, impress. Norimbergae per Ant. Koberger an. 1498 (cfr. Analecta Francisc. II. Praef, pag. VI seqq.).

1. In quatuor libros Sententiarum.
2. Breviloquium.
3. Centiloquium.
4. Itinerarium mentis in Deum.
5. De Incendio amoris.
6. Libellus de Reductione artium ad theologiam.
7. Soliloquium.
8. Lignum Vitae.
9. De septem gradibus Contemplationis.
10. De Expositione orationis dominicae.
11. Legenda maior.
12. Legenda minor.
13. Laudatorium.
14. Diversa opuscula.

XIX.

Ex Bernardini de Bustis Rosario, edito Venetiis an. 1498.

1. In quatuor Sententiarum libros.
2. Libellus de triplici statu Religiosorum.
3. Liber de Imitatione Christi (?).
4. Declaratio orationis dominicae.
5. Expositio Regulae nostrae.
6. Legenda maior.

XIX.

Ioannis Trithemii, abbatis Spanheimiensis, qui complevit suum catalogum an. 1494.

1. Super Sententias, lib. 4.
2. Breviloquium, lib. 7.
3. Itinerarii mentis in Deum, lib. 1.
4. Lignum vitae, lib. 1.
5. Exhortatorius ad Fratrem, lib. 1.
6. De reductione artium etc., lib. 1.
7. Regimen conscientiae, id est Parvum bonum, lib. 1.
8. Itinerarii mentis in se ipsum, lib. 1.
9. Compendium Scripturarum, lib. 1.
10. De institutione Novitiorum, lib. 1.
11. Centiloquium, lib. 4.
12. Pharetra sive Scintillarium, lib. 4.
13. De paupertate Christi, contra Guil., lib. 1.
14. De quinque festis infantiae Christi, lib. 1.
15. De septem donis Spiritus S., lib. 1.
16. De excellentia eucharistiae, lib. 1.
17. De sex Alis Seraphim, lib. 1.
18. Ad Blancam ducissam, lib. 1.
19. Illuminationum insigne opus, lib. 1.
20. De tribus ternariis peccatorum, lib. 1.
21. De septem gradibus contemplationis, lib. 1.
22. De profectu Religiosorum, lib. 1.
23. De decem praeceptis, lib. 1.
24. Apologia Pauperum, lib. 1.
25. Super oratione dominica, lib. 1.
26. Legenda S. Francisci, lib. 1.
27. Constitutiones sui Ordinis, lib. 1.
28. In Genesim VII Visionum, lib. 1.
29. In Evangelium Ioannis, lib. 1.
30. In Evangelium Lucae, lib. 1.
31. De tribus quaestionibus, lib. 1. *Innominato Magistro.*
32. De sandaliis Apostolorum, lib. 1.
33. De passione Domini, lib. 3.
34. Sermones per annum, lib. 2.
35. Epistolae plures ad diversos.
36. Alia insuper nonnulla edidit, quae ad notitiam meam non venerunt.

XX.

Ex Bonifacii de Ceva Ord. Min. opere: Firmamenta trium Ordinum beatissimi Patris nostri Francisci, impress. Parisiis an. 1512.

1. Scripsit super quatuor Sententiarum libros valde egregie, praesertim super secundum.
2. Scripsit etiam pulcras Postillas super Lucam.
3. Item aliam egregiam super Iohannem.
4. Scripsit etiam Sermones super Evangeliis et Epistolis dominicalibus per totum annum.
5. Scripsit et super Genesim.
6. Item super Ecclesiasten.
7. Item Compendium theologiae.
8. Item plurima Quodlibeta.
9. Praeter haec autem scripsit circa trecenta parva opuscula, quae simul iuncta quasi quatuor volumina mediocriter magna efficerent.

XXI.

Gulielmi Eysengrenii, Canonici Spirensis. Impressus fuit catalogus an. 1565.

1. Scripsit graviter et copiose in primum, secundum, tertium et quartum Sententiarum.
2. Breviloquium.
3. Soliloquium.
4. De ligno vitae.
5. Centiloquium.
6. De passione Domini.
7. De illuminationibus.
8. De quinque festis infantiae Christi.
9. De septem donis Spiritus S.
10. De excellentia eucharistiae ad Fratres.
11. Compendium Scripturarum.
12. De septem gradibus contemplationis.
13. De decem praeceptis.
14. De sandaliis Apostolorum.
15. In Evangelium Lucae.
16. In Evangelium Ioannis.
17. In Genesim Commentarios.
18. Visionum libros septem.
19. Aliaque plura ingenii sui monumenta Ecclesiae Dei profutura reliquit.

XXII.

Ioannis Francisci de Pavinis.

Habetur in eius Relatione ad Sixtum IV. circa canonizationem B. Bonaventurae, part. I. art. 2.

1. Super libros Sententiarum.
2. Super quatuor Evangelia.
3. Compendium theologiae.
4. Libellus instructionis Novitiorum minor.
5. Libellus maioris introductorii Novitiorum.
6. Apologia.
7. Arbor vitae.
8. Ad Fratrem innominatum.
9. De partibus domus religiosae. Incip. *Religio munda.*
10. Dialogus (Soliloquium).
11. Centiloquium.
12. De vita Christi.
13. De passione Christi.
14. Epistola ad Michaelem Imperatorem (?).
15. Ad suam sororem de Philomena.
16. Aliud Compendium passionis Christi.
17. Epistola ad Sororem S. Clarae (De perfectione vitae ad Sorores).
18. De consideratione (Fascicular.?).
19. De meditatione.
20. Enchiridion seu Cumulus Orationum.
21. De divisione rerum universi.
22. De quatuor operibus Religiosorum.
23. Sermones.
24. Sophismata.
25. De decem praeceptis.
26. Super Ecclesiasten.
27. Super Lucam.
28. Itinerarius mentis in Deum et in se ipsum.
29. Pharetra.
30. De stimulo amoris.
31. Defensorium Ordinis Mendicantium.
32. Legendae.
33. Officia.
34. Arbor Crucis.
35. De septem visionibus.
36. De sex alis Seraphim.
37. Et quam plurima alia.

XXIII.

Ex Mariani Florentini († 1523) Fasciculo Chronicorum Ordinis Minorum, lib. II. cap. 25.

1. Legenda maior et minor S. Francisci.
2. Itinerarium mentis in Deum.
3. Itinerarium mentis in se ipsam.
4. Expositiones pulcrae in regulam Fratrum Minorum.
5. Apologia Pauperum adversus magistrum Giraldum de Abbatis Villa, Parisiensem doctorem.
6. Tractatus per modum Epistolae ad innominatum Magistrum super articulos Regulae. Incip. *Proponis, carissime.*
7. Libellus, in quo determinat 27 quaestiones super Regulam. Incip. *Cum inter alios Ordines.*
8. Tractatus determinans, quare fratres Minores praedicent et confessiones audiant.
9. Alius de paupertate Christi contra magistrum Gulielmum de Sancto Amore.
10. Quaestio, utrum Christus et Apostoli incesserint discalceati.
11. Commentarii super quatuor libros Sententiarum, quos luculenter exposuit, praesertim secundum et quartum.
12. Compendium metricum super eosdem libros Sententiarum.
13. Expositio copiosa et utilis super Evangelia, Lucae praesertim.

14. Principium in libros sacrae Scripturae.
15. Liber Illuminationum seu Visionum.
16. Optimum Principium in libros Sententiarum. Incip. *Gyrum caeli circuivi.*
17. Liber de reductione artium ad theologiam.
18. Declaratio terminorum theologiae.
19. Summa de essentia Dei.
20. Sermones dominicales super Evangelia et Epistolas totius anni.
21. Tractatus super salutationem angelicam.
22. Tractatus de nobilitate Sacramenti eucharistiae, et digna praeparatione ad eius susceptionem.
23. Tractatus de expositione Missae.
24. Tractatus de septem donis Spiritus S.
25. Meditationes vitae Christi.
26. Meditationes de septem verbis Domini.
27. Libellus de quinque festivitatibus pueri Iesu.
28. Cursus de Passione Domini.
29. Expositio orationis dominicae.
30. Laudismus Crucis.
31. Libellus de septem itineribus aeternitatis.
32. Mystica theologia.
33. Compendium veritatis sacrae Scripturae.
34. Libellus de stimulo amoris.
35. Breviloquium.
36. Centiloquium.
37. Soliloquium.
38. De sex alis Seraphim.
39. De sex alis Cherubim.
40. De septem gradibus contemplationis.
41. Fascicularius myrrhae.
42. Tractatus de quatuor virtutibus cardinalibus.
43. Libellus de gradibus virtutum.
44. De vitiis et eorum remediis.
45. De tribus ternariis infamibus.
46. De puritate conscientiae.
47. Speculum disciplinae.
48. Viginti quinque memorialia.
49. De viginti passibus bonorum Religiosorum.
50. De perfectione vitae. Incip. *Beatus homo.*
51. Remedium defectuum Religiosi.
52. Libellus apologeticus.
53. Libellus, cui titulus: *Lignum vitae.*
54. Alius, qui vocatur *Parvum bonum.*
55. Alius appellatus *Pharetra.*
56. Psalterium B. M. V.
57. Psalterium minus sive tres quinquagenae.
58. Laudes B. Virginis.
59. Corona B. Virginis.
60. Speculum B. Virginis.
61. Cursus de compassione B. Virginis.
62. Canticum Ss. Ambrosii et Augustini *Te Deum laudamus* adaptavit laudi B. Virginis.
63. Canticum nuncupatum *Philomena.*
64. Libellus de ecclesiastica Hierarchia.
65. Opus contemplationis metricum: *Iesus ineffabilis.*
66. Opus nuncupatum *Amatorium.*
67. Collationes. Incip. *Vide anima mea.*
68. Alphabetum Religiosorum. Incip. *Vias tuas, Domine.*
69. De regimine animae ad Blancam, Hispaniae reginam.
70. Multa praeterea opuscula usque ad numerum 300.
71. Et Epistolae multae eiusdem S. Doctoris inveniuntur.
72. Et officium de Cruce devotissime composuit ad contemplationem S. Ludovici, regis Franciae.

Praedictis addimus tres alios catalogos, quorum primum composuimus ex eis quae Bonelli (Prodrom. col. 378-388) de codicibus sacri Conventus Assisiensis diffusius refert. Duos sequentes catalogos sumsimus ex infra notatis codicibus.

XXIV.

In catalogo ms. antiqui tabularii sacri Conventus Assisii, confecto an. 1381, haec S. Bonaventurae enumerantur scripta ut ad istam librariam spectantia:

1. Arbor Crucis ac
2. Breviloquium Fr. Bonaventurae Ord. Minor.
3. Multi tractatus devoti Fratris Bonaventurae.
4. Itinerarium Bonaventurae.
5. Postillae super Evangelium Lucae Fratris Bonaventurae.
6. Apologia magistri Fratris Bonaventurae.
7. Ars sermocinandi Bonavent. et Breviloquium eiusdem.
8. Tractatus de Ligno vitae, sive de Christi Cruce, Fratris Bonaventurae, et
9. Vita minor et maior B. Francisci.
10. Arbor Crucis Fratris Bonaventurae (bis).
11. Tractatus Logicae Fratris Bonaventurae
12. Liber stimuli amoris et Breviloquium Bonaventurae.
13. Breviloquium Bonaventurae (bis).

In ipsis codicibus istius librariae haec inveniebantur S. Bonaventurae opuscula in editiones recepta.

a) In Cod. n. 102, membr. in 4. saec. XIII: 1. Decem praecepta praedicata Parisius a Fratre Bonaventura. — 2. De Operibus sex dierum. — 3. Septem dona Spiritus S. praedicata a Fratre Bonaventura. — 4. Expositio parabolarum Evangelicarum de regno caelorum, sive Sermo de Seminante. — 5. Tractatus de Cruce Fratris Bonaventurae. — 6. Itinerarium Fratris Bonaventurae. — 7. Meditatio, quam scripsit Fr. Bonaventura cuidam devotae dominae. — 8. Meditationes Fratris Bonaventurae. Incip. *Ecce descripsi eam* etc. — 9. Breviloquium. — 10. De septem gradibus contemplationis.

b) Cod. n. 2. chart. in fol.: Expositio in Cantica D. Bonaventurae.

c) Cod. n. 19. membr. in 4: Biblia Pauperum.

d) Cod. n. 4. membr. in 8: 1. Lignum vitae, seu Crucis, Bonaventurae. — 2. Stimulus amoris. — 3. Vita B. P. Francisci. — 4. Breviloquium.

e) Cod. n. 76. membr. in 8: Liber Fr. Bonaventurae de Veritate theologiae.

f) Cod. n. 80. membr. in grandiori 8: 1. Ars Fratris Bonaventurae. Incip. Omnis *tractatio Scripturarum.* — 2. Breviloquium.

g) Cod. n. 84. membr. in 12: Pharetra D. Bonaventurae adscripta.

h) Cod. n. 93. membr. in 8: Breviloquium.

i) Cod. n. 96. membr.: Pharetra.

k) Cod. n. 104. membr. in 8: Tractatus Fratris Bonaventurae super Arborem de compassione Christi.

l) Cod. absque num. membr. in 8: Lignum vitae.

m) Cod. absque num. membr. in 8: Breviloquium Fr. Bonaventurae in opera sacrae Scripturae.

n) Cod. absque num. chart. in 4. script. an. 1496: Fr. Bonaventura de mentali exercitatione. Incip. *Flecto genua mea.*

o) Cod. chart. absque num. et auctoris nomine: Liber meditationis vitae Christi.

p) Cod. absque auctoris nomine: Diaeta salutis.

q) Cod. absque num. partim membr. partim chart. in 16. script. an. 1406: 1. De Instructione sacerdotis ad se praeparandum ad celebrandam Missam. — 2. Speculum fratrum Minorum, verum etiam omnium Religiosorum (Epist. XXV. Memor.).

r) Cod. n. 5. membr. in fol. saec. XIII: 1. Legenda maior et — 2. Legenda minor beati Francisci.

s) Cod. n. 21. membr. in 4. probabiliter saec. XIII: Legenda maior et Legenda minor.

t) Cod. n. 149. membr. in 4. saec. XIII: Legenda minor.

u) In pluribus codicibus mss.: Vita S. Clarae.

v) Cod. absque num. chart. in 4: Sermones festivi et feriales et quaedam miracula.

w) Cod. membr. in 4. absque numero et nomine auctoris; videtur divo Bonaventurae esse coaevus: Sermones de Tempore, de B. V. Maria, de Angelis, de Sanctis.

x) Exstabant quondam in illa libraria etiam: 1. Postilla super Lucam. — 2. Commentarii D. Bonav. in Meteora Aristotelis, et — 3. Quaestiones super quatuor libros Topicorum, tractatuum Logicae aliaque; cfr. Prodrom. col. 387.

XXV.

Catalogus antiquus bibliothecae monasterii Mellicensis, sign. H. 38. chart. in 12. saec. XV. exeunt., haec indicat S. Bonaventurae opera:

1. Super libros sentenciarum 1. 2. 3. 4. cum textu.
2. Excerpta ex senenciis eius.
3. Breviloquium.
4. De Arbore crucis.
5. Questiones super primo et secundo sentenciarum per modum conclusionum.
6. Tabula per modum registri super 3. sentenciarum, super verbo: ego sum vitis.
7. Stimulus amoris.
8. Super 1. 2. 3. 4. cum textu.
9. De septem gradibus.
10. Super primo sentenciarum.
11. Itinerarius mentis in Deum.
12. De triplici actu ierarchico.
13. De quinque festivitatibus infancie Christi.
14. De corpore Christi.
15. Sermo: *Confiteantur.*
16. Pater noster.
17. De institucione noviciorum.
18. De informacione noviciorum, profectu vite religiose.
19. Apologia contra calumpniatorem evang. paupertatis.
20. De humilitate.
21. De laude melliflui nominis Iesu.
22. Imago vite.
23. Preparacio Misse.
24. Sermo: Omne datum optimum.
25. Epistola eiusdem. Sacramentis.
26. Utilis contemplac.
27. Peniteas cito.
28. Planctus anime.
29. De caritate.
30. De gradibus ad sapientiam et informacione iuvenum.

XXVI.

In cod. spectante ad bibliothecam Marcianam Venetiis, sign. Classe XXII. n. 130. saec. XIV. in 4. folior. 178, inter alia leguntur haec (fol. 155. v.):

« Hic Papa [Gregorius X.] fecit duos magistros in theologia cardinales; unus fuit de Ordine fratrum Predicatorum, scil. fr. Petrus de Tarantasia... Alius fuit pater Bona ventura vir bone vite et fecit scripta super IIII libros Sententiarum et fuit minister generalis Minorum et postea cardinalis Albanensis et postillavit aliquos libros biblie, sicut libros Salomonis et Iob et epistolas Pauli ».

Et fol. 159. r., loquens de scriptis S. Bonaventurae, auctor dicit: « Item multa alia que per modum reportationis, dum legeret, fuerunt habita, ut sunt postille super omnes epistolas preter epistolam ad Romanos, quam ipsa (!) propria manu scripsit, et postillam super Iohannem, super quinque capitula, sed totum aliud fuit reportatio ».

Supposita veritate huius notitiae, certum esset, quod non tantum sermones, sed etiam postillae sive explicationes librorum s. Scripturae ex ore dicentis ab auditoribus scripto exceptae sint. Ita facile intelligeretur, quod Sanctus pro suo in s. Scripturam amore, quem toties in Collationibus In Hexaëmeron testatur, plures libros eiusdem explicaverit viva voce, quam scriptis suis, et quod reapse suis fratribus explicaverit omnes illos libros Scripturae, quos antiqui testes referunt, nempe *viva voce,* aliis scripto excipientibus. Haec scripta, utpote ab auctore non edita, paucis innotescebant et postea plerumque oblita sunt. Porro, si etiam opuscula *reportata* eiusdem ipsi tribuuntur, non est incredibile id quod plures indiculi tradunt, qui ei tribuunt opuscula usque ad numerum 300. Soli sermones genuini, plerumque *reportati,* multo excedunt illum numerum.

Sed scrupulum inicit, quod ab antiquis scriptoribus, ut refert Echard (Script. Ord. Praed. I. pag. 325 col. 2.), eadem dicuntur de Postilla S. Thomae in Ioannem, praesertim a Ptolomaeo (lib. XXIII. c. 15.): « Item, Postillam super Ioannem, de qua ipse super quinque capitula proprio stilo notavit; totum aliud reportatum fuit, sed correctum fuit per ipsum ».

TABULAE

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

OMNIUM OPUSCULORUM QUINTI TOMI [1].

I. *Adhibiti pro Quaestionibus disputatis.*

A Cod. Romanus I. (bibliotheca Vaticana) 612. (n. 9.).
B » Tudertinus (bibl. S. Fortunati) 60. (n. 2.).
C » Parisiensis I. (bibl. Nationalis) 16405. (n. 3.).
D » Florentinus I. (bibl. Nationalis) D. IV. 27. (n. 4.).
E » Florentinus II. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXIX. dext. 8. (n. 5.).
F » Lugdunensis Batav. lat. XVIII. 191. A. (n. 6.).
G » Romanus II. (bibl. Burghesiana) 59. (n. 7.).
H » Assisiensis (bibl. sacri Conventus) 282. (n. 8.).
I » Parisiensis II. (bibl. Nationalis) 14557. (vide c. 2. § 5. n. 4.).
K » Romanus III. (bibl. Burghesiana) 271. (ibid. n. 5.).
L » Florentinus III. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXXVI. dext. 12. (pag. VII. col. 2.).
M » Collegii S. Bonaventurae (c. 2. § 5. n. 6.).

EDITIONES QUAESTIONIS DE PAUPERTATE.

1. Coloniensis an. 1486.
2. Argentina an. 1489.
3. Brixiensis an. 1497.
4. Veneta an. 1504.
5. Romana an. 1773.

II. *Pro Breviloquio.*

A Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 22273. (n. 8.).
B » Monacensis II. (bibl. Regia) 16067. (n. 9.).
C » Monacensis III. (bibl. Regia) 5950. (n. 10.).
D » Monacensis IV. (bibl. Regia) 2633. (n. 11.).
E » Monacensis V. (bibl. Regia) 2649. (n. 12.).
F » Monacensis VI. (bibl. Regia) 2657. (n. 13.).
G » Monacensis VII. (bibl. Regia) 14827. (n. 14.).
H » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 13102. (n. 15.).
I » Collegii S. Bonaventurae (n. 4.).
K » Tudertinus I. 137. (n. 21.).
L » Tudertinus II. 164. (n. 22.).
M » Tudertinus III. 113. (n. 23.).
N » Monacensis IX. (bibl. Regia) 17836. (n. 16.).
O » Florentinus I. (bibl. Nationalis) VII. B. 1166. (n. 5.).
P » Florentinus II. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. dext. 9. (n. 6.).
Q » Florentinus III. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. dext. 7. (n. 7.).
R » Parisiensis (bibl. Nationalis) 16499. (n. 19.).
S » Trecensis 1891. (n. 20.).

---

[1] Numeri parenthesi interclusi indicant numerum, quem in descriptione codicum supra (c. 1-9.) facta singuli habent.

T Cod. Assisiensis I. (bibl. sacri Conventus) 23. (n. 1.).
U » Assisiensis II. (bibl. sacri Conventus) 4. (n. 2.).
V » Assisiensis III. (bibl. sacri Conventus) 127. (n. 3.).
W » Neapolitanus I. (bibl. Nationalis) G. VII. 35. (n. 17.)
Z » Neapolitanus II. (bibl. Nationalis) F. VII. 37. (n. 18.)

EDITIONES.

1. P. Antonii Mariae a Vicetia, Friburgi, Herder an. 1881.
2. Augustae Vindelicorum, an. 1476.
3. Hefele, Tubingae, an. 1861.

III. *Pro Itinerario mentis in Deum.*

A Cod. Parisiensis (bibliotheca Nationalis) 14807. (n. 14.).
B » Monacensis I. (bibl. Regia) 665. (n. 3.).
C » Monacensis II. (bibl. Regia) 8439. (n. 4.).
D » Monacensis III. (bibl. Regia) 17837. (n. 5.).
E » Monacensis IV. (bibl. Regia) 21232. (n. 6.).
F » Monacensis V. (bibl. Regia) 23449. (n. 7.).
H » Monacensis VI. (bibl. Regia) 2633. (n. 8.).
I » Monacensis VII. (bibl. Regia) 13102. (n. 9.).
K » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 2657. (n. 10.).
L » Monacensis IX. (bibl. Regia) 2721. (n. 11.).
M » Monacensis X. (bibl. Regia) 23861. (n. 12.).
N » Monacensis XI. (bibl. Regia) 7971. (n. 13.).
O » Cortonensis (bibl. Communalis) 72. (n. 1.).
P » Tudertinus (bibl. S. Fortunati) 182. (n. 15.).
Q » Magdeburgensis XII. oct. 25. (n. 2.).

EDITIONES.

1. An. 1484, sine loco.
2. » 1486, Coloniae (Ioan. Coelhoff).
3. » 1489, Argentinae per Martinum Flach. (alia est ibid. an. 1495).
4. » 1495, Brixiae (Bernardi de Misintis).

IV. *Pro Opusculo de reductione artium ad theologiam*

A Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 2721. (n. 3.)
B » Monacensis II. (bibl. Regia) 2657. (n. 4.).
C » Monacensis III. (bibl. Regia) 7798. (n. 5.).
D » Monacensis IV. (bibl. Regia) 7971. (n. 6.).
E » Monacensis V. (bibl. Regia) 23449. (n. 7.).
F » Monacensis VI. (bibl. Regia) 23861. (n. 8.).
G » Neapolitanus (bibl. Nationalis) G. VII. 35. (n. 9.)
H » Romanus I. (bibl. Burghesiana) 30. (n. 10.).
I » Romanus II. (dom. Spithoever) (n. 11.).
K » Cortonensis (bibl. Communalis) 209. (n. 1.).
L » Florentinus (bibl. Riccardiana) 349. (n. 2.).

EDITIONES.

1. An. 1484, sine loco.
2. » 1486, Coloniae.
3. » 1489, Argentinae.

V. *Pro Collationibus in Hexaëmeron.*

A Cod. Florentinus I. (bibliotheca Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. dext. 9. (n. 2.).
B » Florentinus II. (bibl. Mediceo-Laurentiana) 25. super portam (n. 3.).
C » Vaticanus 923. (n. 7.).
D » Regimontanus (bibl. Regia) 1200. (n. 6.).
E » Monacensis (bibl. Regia) 18653. (n. 5.).
F » Brunopolitanus (bibl. Civitatis) 44. (n. 1.).
G » Giessensis (bibl. Universitatis) 673. (n. 4.).

VI. *Pro Collationibus de septem donis Spiritus S.*

A Cod. Parisiensis (bibliotheca Mazzarinea) 970. (n. 2.).
B » Oxoniensis (bibl. Bodleiana) 757. (n. 1.).
C » Venetus (bibl. P. Morchio) 14. (n. 4.).

VII. *Pro Collationibus de decem praeceptis.*

A Cod. in Collegio S. Bonaventurae (n. 1.).
B » Oxoniensis (bibliotheca Bodleiana) 181. (n. 2.).
C » Monacensis (bibl. Regia) 8084. (n. 3.).
D » Parisiensis I. (bibl. Nationalis) 15034. (n. 4.).
E » Parisiensis II. (bibl. Nationalis) 16499. (n. 5.).
F » Trecensis (bibl. Civitatis) 951. (n. 6.).

VIII. *Pro Sermonibus selectis de rebus theologicis.*

1. Pro I. Sermone de triplici testimonio Ss. Trinitatis.

A Cod. Tudertinus (bibliotheca S. Fortunati) 182. (n. 1.).
B » Monacensis (bibl. Regia) 7776. (n. 2.).

2. Pro II. Sermone de regno Dei descripto in parabolis evangelicis.

A Cod. Tudertinus (bibliotheca S. Fortunati) 182. (n. 1.).
B » Florentinus I. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XVII. sin. 8. (n. 2.).
C » Monacensis (bibl. Regia) 7776. (n. 3.).
D » Florentinus II. (bibl. Nationalis) E. VI. 1017. (n. 4.).
E » Trecensis (bibl. Civitatis) 2052. (n. 5.).

3. Pro III. Sermone de Ss. Corpore Christi.

A	Cod.	Monacensis	I.	(bibliotheca	Regia)	9612. (n. 1.).
B	»	»	II.	»	»	9598. (n. 2.).
C	»	»	III.	»	»	2657. (n. 3.).
D	»	»	IV.	»	»	7012. (n. 4.).
E	»	»	V.	»	»	9617. (n. 5.).

4. Pro IV. Sermone de Christo uno omnium magistro.

Cod. Monacensis (bibliotheca Regia) 7776.

5. Pro Tractatu de plantatione paradisi.

Cod. Tudertinus (bibliotheca S. Fortunati) 174.

Nota. — De seq. Fac-simile vide supra pag. IV. col. 2.

PRAEFATIO.

Partem primam Commentariorum seraphici Doctoris in sacram Scripturam, qui secundam Omnium Operum eiusdem classem constituunt, hoc sexto tomo publicamus; alteram partem septimo reservamus, cui copiosus utriusque voluminis index rerum adiungetur.

Commentarium in Evangelium Ioannis excipiunt tanquam complementum genuinae, sed hucusque prorsus ignotae *Collationes in Ioannem,* praedicatoribus imprimis, ut putamus, gratae atque utiles.

Quod autem in editionem Vaticanam praeter alia opera spuria recepti essent etiam illegitimi Commentarii, iam pridem viris doctis non erat ignotum [1]. Ipse P. Benedictus Bonelli pro supposititio Commentario in Evangelium Ioannis substituit legitimum, multo praestantiorem eumque an. 1772 in suo *Supplemento* diligente cura edidit; nostra vero aetate P. Fidelis a Fanna [2] in lucem protulit codices manuscriptos Commentarii *in Psalterium* S. Bonaventurae communiter adscripti, qui exarati erant ante eundem natum, atque opus illud suo auctori vindicavit, Michaeli Meldensi, archiepiscopo Senonensi, qui obiit an. 1199. Idem Rev. Pater plurima nova documenta in bibliothecis abscondita invenit, quorum fide iudicari atque decerni potest de multis aliis opusculis et Commentariis tum in editione Vaticana, tum in memorato Supplemento contentis.

Ut igitur genuini Commentarii separarentur ab illegitimis, diligente disquisitione antiqua testimonia afferenda ac rationes ex utraque parte ponderandae erant. Hanc inquisitionem pro viribus et solius veritatis, non partium studio instituimus in Prolegomenis huius voluminis. Quodsi plura opuscula, quae adhuc P. Bonelli videbantur genuina, ex catalogo legitimorum ob graves rationes expungenda invenimus; non haesitandum nobis visum est, cum gloria seraphici Doctoris ponenda sit in virtute ac praestantia operum, non in magno numero scriptorum mediocrium.

Silentio praeterire nos non decet mortem, quam lugemus, eximii nostri collaboratoris ac carissimi confratris P. Benedicti Bechte, qui 21 Sept. 1892 diem supremum obivit. Natus est 29 Apr. 1840 in pago Heumar prope Coloniam

---

[1] Cfr. de hoc Echardus, Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 245 b.

[2] Ratio novae Collectionis operum omnium seraph. D. S. Bonav. Taurini 1874 pag. 179 seqq.

Agrippinam. Absolutis cum laude Gymnasii et Universitatis studiis, in Seminarium archidioeceseos Coloniensis admissus et 12 Mart. 1864 sacerdos ordinatus est. Postquam officia sacerdotis saecularis per quinque annos pie atque operose executus est, a Deo inspiratus, Seraphici Ordinis nostri habitum in Provincia Recoll. Saxonia S. Crucis 19 Dec. 1868 assumsit. Facta professione, aliquamdiu iuniores fratres litteras humaniores docuit. Ab anno 1875, cum Fratres in Borussia e Conventibus eiicerentur, sociis P. Fidelis a Fanna b. m. adiunctus est. Comes et amanuensis eiusdem in lustrandis bibliothecis et conferendis cum originali codicibus in Germania, Gallia et Anglia diligenter et accurate laboravit. A Ministro Generali Ordinis an. 1879 vocatus in Collegium S. Bonaventurae ad Claras Aquas, per duodecim annos communibus nostris laboribus strenuus collaborator assistebat, licet infirma valetudine plerumque male affectus. Cum die 24 Sept. 1891 in Capitulo suae Provinciae electus esset Custos, cum nostro et suo dolore communibus nostris laboribus debuit renuntiare; nec multo post ingravescente stomachi morbo lente consumtus, pie ac placide in Domino obdormivit.

Religiosus fuit exemplaris: vitam ducebat humilem et mundo absconditam, Deo devotam, solitudini et studiis deditam, proximis officiosam, omnibus caram. Ultra corporis vires incumbebat laboribus litterariis. Horis subsecivis plura opuscula ascetica vel composuit, vel in linguam germanicam vertit et, tacito plerumque suo nomine, prelo tradidit; alia quaedam reliquit manuscripta. R. I. P.

In Collegio S. Bonaventurae
ad Claras Aquas 3 Decembris 1892.

P. P. EDITORES.

cis omnem sue beatitudinis perfectio
nem. Qui tecum dilectissimo patre et
spiritu sancto uiuis et regnas per omnia secula
seculorum. Amen. Alia oratio.

Salue salus mundi. uerbum patris.
hostia sancta. uiua caro. deitas inte
gra. uerus homo. Tibi incorporati me
reamur offerri in templo maiestatis
diuine. ad corpus tuum quod in dex
tera est dei patris. et sociari ut eiuitati
ns tue futuri simus participes et beatitu
dinis tue glorie. et sic incorporationis
tue corporales. quia tibi est honor et
gloria in secula seculorum Amen.

Perficiant in nobis domine tua sacra
menta quod continent. ut que nunc spe
gerimus. rerum ueritate capiamus.

Lector scriptoris memoreris omnibus
horis.
Oro tunc ora. pro me cum legeris
hora.
Dicto patrino quod placeam domino.
Amen.
Explicit liber fratris alberti theotonici
de ordine fratrum predicatorum de missa
et de corpore christi. Amen.

Incipiunt collationes super euangelium iohannis
a fratre Bonauentura generali ministro fratrum minorum edite.

In principio erat uerbum. etc. lux
in tenebris lucet et cetera. ca. non comprehenderunt. Ope
ratur in istis uerbis duo tanguntur scilicet pro
quam datur nobis plenitudo diuine claritatis cum
dicitur. lux in tenebris. et secundo reprehenditur in
nobis ignorantia humane cecitatis cum dicitur. et
tenebre eam non comprehenderunt. Circa primum considerandum
est que sit ista lux et que eius effectus. Lux ista
est lux uera que illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.
Christus uidelicet qui est lux. et quantum ad naturam
diuinitatis. et quantum ad naturam humanitatis. quantum ad naturam diuinitatis il
lustrat intus animam. secundum uero quod ad naturam humanitatis illuminat
exterius. ut sic est ergo lux. Secundum quod habetur de quo. Io.
viij. Ego lux ueni in mundum. qui sequitur me
non ambulat in tenebris et cetera. Sed ad humanitatem refertur. quo
ei sequitur in eo excellentiam diuinitatis humanitatem
bone. Est autem sancta quod lux arguens. lux — Lux.
dirigens. lux delectans. arguens malos. diri
gens iustos. delectans beatos. Arguens ma
los. ephes. v. Omnia enim que arguuntur a lumine
manifestantur. et ideo oditur a malis. propter quod
qui male agit odit lucem. Dirigens iustos.
Io. xij. Ambulate dum lucem habetis ut te
nebre uos non comprehendant. Luc. j. Visitauit
nos oriens ex alto. et cetera. illuminare hiis qui in
te. et cetera. ad dirigendos et cetera. Delectans beatos. Apoc.
xxi. Ciuitas illa non eget sole neque luna. cla
ritas enim dei illuminat illam. et lucerna eius est
agnus. Lux in tenebris. ista uerbum est lucere etiam
secundum operationes humane nature. Sed lucet uerbum secundum ope
rationes diuine. lucet autem in templo. figuris. ablatis. et
exemplis. In figuris lucet. cum post primum uerbum creatur sapientia.
Bonitas in exemplo lucet quod in figuris. illuminat
coruscationes. et cetera. conuersationes. in quibus mi
raculorum quas uidet. et omnis est lux in nubibus. Io.
xxx. Nubi lucem habetis diuinam et lucente splendorem

Iniste uolumine continentur in fra scripti tractatus:
In primis de officio misse secundum Albertum ordinis predicatorum.
Item eiusdem de sacramento eukaristie.
Item Collationes super euangelium iohannis secundum [illegible] ... [illegible]

[illegible] Flor. [illegible]

PROLEGOMENA

IN SEXTUM TOMUM.

Rationem reddituri de operibus S. Bonaventurae ad sacrae Scripturae scientiam spectantibus, quorum editionem novis studiis purgatam hoc sexto nostrae editionis volumine incepimus, opportunum esse putamus primo tractare de libris eidem falso attributis, deinde de genuinis, quae in eodem sexto volumine continentur.

CAP. I.

De spuriis libris exegeticis sub nomine S. Bonaventurae prelo datis.

§ 1. **Opera exegetica in editionibus praecedentibus Bonaventurae attributa breviter enumerantur.** — In editione operum S. Bonaventurae Vaticana aliisque subsequentibus haec inveniuntur (cfr. editio nostra tom. I. Praefatio generalis pag. XIII seqq.): 1. Principium s. Scripturae. — 2. Expositio in Psalterium. — 3. Expositio in Psalmum 118. — 4. Expositio in Ecclesiasten. — 5. Expositio in Sapientiam. — 6. Expositio in Lamentationes Ieremiae. — 7. Expositio in cap. VI. S. Matthaei. — 8. Expositio in Evangelium Ioannis. — 9. Collationes in Ioannem.

Opera n. 8. et 9. relata alia sunt ab operibus eiusdem inscriptionis, quae in hoc tomo nostro publicata sunt. Praetermisimus opusculum *Illuminationes Ecclesiae* sive Expositio in Hexaëmeron in nostro quinto tomo iam impressum, quia, ut cuique patet, nullatenus est opus exegeticum.

Praedictis addita sunt in *Supplemento* P. Benedicti Bonelli (Tridenti 1772): 10. Tractatus in Psalmum 45: *Vacate et videte.* — 11. Expositio in Canticum Canticorum. — 12. Tractatus in c. 1. Ezechielis: *Cum essem in medio captivorum.* — 13. Tractatus in c. 10. Ezechielis: *Ingredere in medio rotarum.* — 14. Commentarius in Evangelium S. Ioannis (infra impressus). — 15. Commentarius in Apocalypsim. — 16. Commentariolus in c. 4, 8. Apoc.: *Quatuor animalia.* — 17. Item in c. 5, 1. Apoc.: *Vidi in dextera sedentis.*

His praemissis, facienda est discussio de singulis operibus, quae certis argumentis probari possunt esse *supposititia.*

§ 2. **De opusculo: Principium sacrae Scripturae.**

Incipit: *Ostendit mihi Dominus fluvium aquae vivae.* Desinit: *et amabilius veteri testamento.* — Editum est primo in collectione opusculorum Argentinae 1495, deinde receptum in Vaticanam et posteriores editiones. Ut *supposititium* notatur a Casimiro Oudino (Commentar. de Scriptoribus ecclesiast. tom. III. Dissert. de operibus S. Bonav. c. 8. pag. 392, ed. Lipsiae 1722), ab editoribus Venetis (tom. I. de Vita et scriptis pag. 104) et ab Hyacintho Sbaralea (Supplem. ad Scriptores Ord. Min. pag. 156 a); sed Benedictus Bonelli (Prodromus ad opera omnia S. Bonav., Bassani, 1767, col. 622) hoc opusculum Bonaventurae vindicare nititur, sed frustra. — Quid nómine *Principium sacrae Scripturae* medio aevo intelligeretur, notatur infra (§ 8.).

Audiamus igitur de hoc tractatu Hyacinthum Sbaraleam: « Removendum aio ab operibus seraphici Doctoris et alio ablegandum, eo quod stilus huius opusculi omnino diversus est a stilo Bonaventurae: nihil in eo grave, sed abiectum; nihil erectum, sed humile; phrasis inculta et sordida ac superlativis ad nauseam redundans, ut est apud Petrum Ioannis Olivi; voces Latinae insuetae ac frequentissimae, quae produnt auctorem saeculi XIV, qui prologum expositioni sacrae Scripturae confecit ». — Hanc opinionem approbandam esse censemus, quin tamen negemus, haberi in opusculo illo sententias minime spernendas, praesertim quae deprompta sunt ex libris S. Bonaventurae.

Argumenta igitur a Benedicto Bonelli pro sua opinione allata minime persuadent, et alia multa in favorem contrariorum militant. Primo Bonelli dicit, ipsos adversarios confiteri, eundem huius opusculi auctorem esse ac *Collationum in Hexaëmeron.*; sed has Collationes esse certo Bonaventurianas, licet adversarii eas ut spurias reiiciant: ergo. — Quod idem utriusque operis sit auctor, dicunt quidem Oudinus et qui eum quasi semper et caece sequuntur, editores Veneti, non autem Sbaralea; isti autem nullum argumentum afferunt, nisi « quia aequalis locutio vitiosa suadet, idque confirmat levis rerum comparatio ». Etiam Bonelli scribit: « Certe stilus haud absimilis est; itidem in utroque fit distinctio *Verbi increati, Verbi*

incarnati, Verbi inspirati ». Porro plura alia affert ad probandum, quod variae sententiae istius *Principii* etiam in genuinis S. Bonaventurae scriptis inveniuntur; ostendit etiam, quod saepe iidem Ss. Patres citantur, qui seraphico Doctori sunt familiares.

Ad haec respondemus: Tenendum est, Collationes in Hexaëmeron esse genuinum S. Bonaventurae opus, non tamen ab ipso scriptum, sed ab aliis reportatum et foedissime in antiquis editionibus deformatum (cfr. tom. V. Prolegom. c. VI. pag. XXXVI). Unde venia danda est viris doctis, qui tale opus putaverunt esse spurium. Sed contra utramque opinionem negamus, talem inter haec duo opuscula esse similitudinem, ut ex ea concludi possit, sive utrumque esse spurium, sive primum illud esse genuinum. Quamquam quodlibet opus non scriptum ab auctore, sed ex eius ore ab aliis exceptum ordinarie non praestat aptam regulam pro iudicando vero alicuius auctoris stilo; nihilominus minime dubitamus, quin qui attente nostrum Collationum praedictarum textum quoad stilum conferat cum altero opusculo persuasum sibi habeat, stilum in utroque esse valde diversum. Quod autem prorsus absimilis sit ab illo stilo, qui in libris a S. Bonaventura scriptis invenitur, manifestum est et propugnatur a tribus censoribus, qui istud de quo loquimur opusculum spurium esse profitentur.

Nec obstat, quod certi modi loquendi et non paucae sententiae in illo opusculo inveniuntur, qui S. Bonaventurae sunt familiares. Concedenda enim est *veritas facti*, sed neganda est *conclusio*, scilicet quod inde semper sequatur, eundem debuisse esse diversorum operum auctorem. Molestum est nobis, toties nos esse coactos, ut egregio et diligentissimo investigatori operum S. Bonaventurae, Benedicto Bonelli, quoad hanc suam conclusionem adversemur. Improbo sane labore ille in suis animadversionibus et praecipue in notis ad calcem spuriorum librorum positis quaesivit et notavit ex libris, quos putavit esse Bonaventurae, plurimos locos similes dictis illius auctoris, quem prae manibus habuit. Dolendum tamen, quod frequentissime citet opera eiusdem non genuina.

Sed vir doctus non satis attendit ad morem scriptorum medii aevi, qui maiori quam nunc fieri potest libertate aliorum dicta in proprium usum adhibebant; quod prae ceteris discipuli duorum praestantissimorum doctorum, Ss. Thomae et Bonaventurae, facere consueverunt. Ut de huius tantum discipulis loquamur, ipse Matthaeus ab Aquasparta, inter praestantiores suae aetatis doctores censendus, Minister Generalis et postea Cardinalis, passim exscripsit multa ex libris Bonaventurae. Exemplum videbit qui comparaverit quaestionem ipsius disputatam a nobis editam in opusculo *De Humanae Cognitionis ratione* (pag. 87) cum alia Bonaventuriana (ibid. pag. 49) et cum *Itinerario mentis in Deum*. — Idem dicendum est de famoso Fr. Ubertino a Casali, qui in suo libro *Arbor vitae crucifixae* fere totum opusculum Bonaventurianum *Lignum vitae* exscripsit, cui plurima de suo addidit. — Praecipue hoc observari potest in scriptis Petri Ioannis Olivi; id quod occasionem dedit, ut P. Bonelli non pauca eiusdem opera seraphico Doctori attribuerit. Ille enim in tot operibus suis non tantum utitur doctrina seraphici Doctoris, sed etiam verba et phrases eiusdem adhibet, ita tamen, ut multa de suis addat, alia immutet et ultra iustam mensuram augeat et exaggeret. Hinc qui subtilius non tantum quasdam partes, sed integrum scriptum huius auctoris scrutatur, alium a Bonaventura spiritum ac stilum plerumque deprehendere poterit.

Ut autem redeamus ad opusculum *Principium* etc., negari non potest, multas sententias et loquendi modos convenire cum Bonaventurianis. Nam praeter ea quae allegat Bonelli, omnia, quae de scientiarum et sacrae Scripturae divisione in medium proferuntur, et praecipue totum illud, quod dicit (ed. Vat. pag. 7 a) de Christo ut medio septemplici, sumta sunt ex Collationibus in Hexaëmeron (collat. 1. n. 11. seqq.). Obiter notamus, etiam Petrum Ioannis Olivi in Tractatu super c. 1. Ezechielis (Supplement. Bonelli 1. col. 285 § 5. seqq.) eandem de hoc medio septemplici sententiam proferre, sed diffusius explicare et alio modo applicare quam auctor *Principii s. Scripturae*.

Alienum esse hoc opusculum ab ingenio et spiritu S. Bonaventurae, praeter stili dissimilitudinem suadet etiam quidam discretionis defectus et in sententiis proferendis verborum excessus. Hoc observari licet, etiam ubi ipsa doctrina deprompta est ex operibus S. Bonaventurae. Exempli causa ponimus ea quae de scientia philosophica dicuntur (ed. Vat. pag. 4 b): « Tertia vero rhetorica (scientia) cum buccis tumentibus plus est inflatrix intellectuum quam illuminatrix ». « Scientia metaphysica cum consideratione quidditatum nudissimarum et abstractissimarum ac per hoc insipidissimarum nullum saporem dat affectui. Scientia vero mathematica cum consideratione magnitudinum, quae abstrahunt a materia et a motu, nec sensum devotionis nec modum bonae operationis dat affectui. Scientia vero naturalis, quae motum concernit et materiam, et sua obscuritate obfuscat intellectum et propter dubietatem causarum naturalium pene in omnibus naturalibus contristat affectum. Unde et Aristoteles harum scientiarum vel inventor vel professor praecipuus, propter latentiam causae fluxus et refluxus maris in profundum maris, ut de eo legimus, se submersit ». — Haec si conferantur cum iis quae S. Bonav. in Hexaëmeron (collat. IV-VII, licet ibi data opera *insufficientiam* scientiarum profanarum demonstrare intendat) moderate ac sapienter docuit, satis apparet, talem in loquendo excessum non congruere indoli seraphici Doctoris, sed potius spiritui Petri Ioannis Olivi, qui similia de scientiis philosophicis proferre solet. — Argumenta igitur *interna*, quae Bonelli in favorem suae assertionis profert, minime convincunt, immo potius contrarium insinuant.

Secundo, idem dicendum est de ratione a *testimoniis* de auctore libri sumta. P. Bonelli nullum huius opusculi codicem manuscriptum novit; nec P. Fidelis a Fanna b. m., diligentissimus tot bibliothecarum investigator, ullum manuscriptum invenit, sed Bruxellis tantum quoddam apographum saeculi XVI. ex editione Vaticana transcriptum. — Teste P. Bonelli prima huius opusculi editio est Argentinensis an. 1495, quam secuta est Veneta an. 1564, et deinde Vaticana cum aliis. Sed auctoritatem primae editionis solam nullius fere esse momenti, iam monstravimus in Prolegomenis ad tom. V. c. 11. pag. LII n. 5. Sufficiat hic repetere, hanc praecipue editionem causam fuisse, quod tot opera spuria in subsequentibus editionibus sint S. Bonaventurae attributa. Ipsa enim praecedentibus editionibus addidit 48 nova opuscula, quorum plus quam viginti *certo* sunt spuria. Accedit, quod omnino tacetur et ignotum est, tum *quis* collegerit et edendam curaverit hanc editionem, tum *unde* et *qua auctoritate* tot nova opuscula addita sint.

Praeter huius editionis auctoritatem complures testes, sed *recentiores* a P. Bonelli (loc. cit.) afferuntur, scil. « Franciscus Samson, Octavianus de Martinis, Alexander Ariostus, Marianus

Florentinus, Ioannes Trithemius, Iacobus Forestus, Albertus Castellanus, Gulielmus Eisengreinius, Sixtus Senensis et alii » (cfr. Prolegom. ad V. tom. c. 12.). Sed in his allegandis Bonelli parum feliciter procedit. Primo enim auctores illi, qui sunt saeculi XVI, post editionem Argentinensem an. 1495 scripserunt, ut Marianus Florentinus, Iacob Forestus, Albertus Castellanus et alii, qui hos sequuntur; et hi, ut fit, data opera de veritate non inquisierunt, sed fidem praestiterunt eidem editioni et per eam decepti sunt. — Quoad eos vero, qui sunt saeculi XV, observandum est, quod non referunt *proprium titulum* opusculi, de quo tractamus, sed aliam inscriptionem, quam Bonelli sine ratione in suo sensu interpretatur. Primus igitur testis, Franciscus Samson (Prodrom. col. 236) habet: « Item, *Compendium* veritatis sacrae Scripturae »; ad quae verba P. Bonelli in adiecta nota dicit: « Ab auctore vocatur *Principium*, in editione autem Veneta 1564 *Isagoge* in sacram Scripturam ». — Sed haec assertio potius neganda est, cum exstet aliud opusculum, quod proprio suo nomine inscribitur *Compendium Scripturarum*. Audiamus doctissimum Sbaraleam (Supplem. pag. 164 a sub n. 80.), qui, loquens de operibus Bonaventurae nondum inventis, ait: « *Compendium Scripturarum*. Incipit: *Mundus fit in principio;* versu iambico dimetro, ut habet Sixtus Senensis lib. IV; quod Octavianus Martini et Marianus vocant *Compendium veritatis s. Scripturae,* sed *Compendium Scripturarum* appellat Trithemius » etc. — Quoad illum indiculum, quem Franciscus Samson, Minister Generalis Ord. Min. (ab an. 1475) pro petenda S. Bonaventurae canonizatione Sedi apostolicae exhibuit, etiam aliam suppositionem contra hypothesim Benedicti Bonelli afferre possumus. Mirum enim est, quod in dicto catalogo nulla fit mentio libri *Breviloquium* inter omnia opera Bonaventurae celeberrimi et ubique noti. Constat autem, in non paucis codicibus hoc mirum opusculum, etiam suppresso nomine *Breviloquii*, inscribi titulo *Compendii*, vel *Compendii sacrae Scripturae*, vel *Compendii vitae aeternae*, vel etiam *Summae* (vide tom. V. Prolegomena c. 3. pag. XIX seqq. codices n. 45. 59. 63. 66. 68. 83. 86. 103. 106. 134. 137. relatos). In aliis plurimis titulo *Breviloquii* additur: *de intelligentia s. Scripturae.* Etiam supposito, quod illud Sbaraleae *Compendium Scripturarum* non exstaret, tamen dubium remaneret, an in praedicto indiculo insinuatum sit illud *Principium*, vel potius hoc *Breviloquium*. Et quoad posteriores indiculos allegatos, qui etiam *Breviloquium* recensent, dici posset, ipsos transcripsisse quae de hoc *Compendio* habent ex catalogo Samsonis.

Valde igitur dubium est, utrum *unus* inveniatur testis, qui ante editionem Argentinensem hoc *Principium* Bonaventurae tribuerit. Cum igitur nec indoles huius scripti nec testes idonei opinionem Benedicti Bonelli fulciant, hoc opusculum e catalogo operum S. Bonaventurae expungendum esse censemus. — Quod autem Petrus Ioan. Olivi sit eiusdem auctor, in medio relinquimus. Argumenta quaedam intrinseca hoc suadere possent, sed non habemus pro hoc certam testium auctoritatem, nec illud invenimus notatum in erudita et quam maxime accurata dissertatione, quam de vita et scriptis dicti Petri Ioan. Olivi luculenter scripsit cl. P. Franciscus Ehrle S. I. (Archiv für Litteratur und Kirchengeschichte, Bd. III. pag. 409-623). Sed haec omissio quaestionem non dirimit; mira est enim multitudo scriptorum praedicti Olivi, et in catalogis a Rev. P. Ehrle primo publicatis interdum legitur: « et multa alia in eodem volumine » (cfr. ibi pag. 460 seqq.), quin singulorum tituli dentur.

§ 3. **De Expositione in Psalterium.**

Incipit: *Quisquis ad divinae paginae lectionem erudiendus accedat.* — Primo impressus est hic liber in editione Vaticana (tom. I. pag. 76-162). Ex praefixa editorum observatione haec transcribimus: « Cuius porro Expositionis exemplar vetus, manu exaratum tanquam praeclarum munus Sixto quinto, Pontifici Maximo, ex Hetruria allatum in typographia Vaticana ab eo instituta... placuit una cum ceteris illius lucubrationibus recte ordineque imprimi atque inde emitti ad catholicae Ecclesiae usum. Est porro Expositionis huius liber sane eiusmodi, qualem illius auctorem S. Bonaventuram, doctorem et seraphicum et sapientem devotumque, agnoscunt atque adeo profitentur gravissimi viri, qui bene sentiunt illiusque operum usu litterate periti sunt » etc. Sequitur pag. 77 Summa totius expositionis et deinde praefatio auctoris et ipsa Expositio. Hoc scriptum dein locum habuit in omnibus quae subsecutae sunt operum omnium S. Bonaventurae editionibus.

Soli editores Veneti hanc Expositionem spuriam esse censuerunt, recte in hac re iudicantes; dum Oudinus, Sbaralea et Bonelli eam minime in dubium revocandam esse contendunt. Attamen argumenta Venetorum levissima erant, quae et Sbaralea et diffusius Bonelli (Prodr. col. 630) facile diluere potuerunt. Bonelli autem, ut hoc opus seraphico Doctori vindicet, quasdam affert rationes, quae relatae sunt etiam in libro P. Fidelis a Fanna *Ratio novae collectionis* etc., pag. 180 seqq. — Sed idem P. Fidelis non tantum peremptorie demonstravit, opus hoc non esse S. Bonaventurae, sed etiam verum eius auctorem primus detexit. En verba ipsius ex citato opusculo (pag. 182) transcripta: « Verum enim vero, his non obstantibus, res modo a nobis non in dubium vocatur, sed penitus conficitur contra ipsum P. Bonelli, Sbaraleam, Casimirum Oudinum, Romanos editores, et quotquot praedictum opus sive dubie, sive certo S. Bonaventurae adscripserunt. Igitur ad S. Bonaventuram illud nullatenus spectare dicimus. Testes adduco codices plures [etiam ante Bonaventuram scriptos] qui opus Doctori nostro perpetuo auferunt et Michaeli Meldensi, archiepiscopo Senonensi, vere et certissime restituunt. Ii porro codices a me inspecti et recensiti sunt:

1. *Oxonii* in Collegio Novo, codex 36, in folio, membranaceus, foliorum 113, saeculi XIV, olim Willelmi Malton, postea Willelmi Ware, Collegii Novi sociorum. Incipit folio secundo, absque titulo et nomine auctoris: *Quisquis ad divinae paginae lectionem erudiendus accedit.* Sed fol. 4, in superiori margine, grandioribus litteris et coloratis legitur: *Incipiunt distinctiones magistri Michaelis Meldensis super Psalterium.* Ipsa vero Expositio exorditur: *Beatus vir, qui non abiit. Homo, quando per contemplationem Deo adhaeret, in patria manet, et quando cogitationem suam ad terrena flectit, a patria in exilium vadit.* Pluribus in locis detruncata et brevior quam edita sub nomine S. Bonaventurae apparet, sed cum ea omnino convenit et plurimas habet variantes lectiones. Desinit fol. 112: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola enim perseverantia accipit bravium.* Dein a prima manu:

> Doctor Meldensis, Michaël Praesul Senonensis,
> Hic bene Psalmorum polixena verba locavit.

2. *Londini* in Musaeo Britannico, mss. cod. regiae collectionis, signatus III. A. 6, membran. in 4°, folior. 106, binis columnis saeculo XIII ineunte exaratus. Folio primo recto, col. 1,

in superiori margine, litteris coloratis: *Incipiunt distinctiones Magistri Michaelis Meldensis super Psalterium.* Praefatio incipit: *Quisquis ad divinae paginae lectionem erudiendus accedit.* Primi Psalmi expositio: *Beatus vir, qui non abiit. Homo, quando cognitionem suam ad terrena flectit, a patria in exilium vadit.* Desinit fol. 106, col. 2 circa finem: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola enim perseverantia accipit bravium.* Dein, primo viridibus ac postea rubris litteris, haec habentur:

Doctor Meldensis, Michaël Praesul Senonensis,
Hic bene Psalmorum polixena verba locavit.

3. *Parisiis* in bibliotheca, quae modo Nationalis, olim Regia audiebat, mss. cod. latin. collectionis regiae 446, olim Colbertinus 216, membranac., in 4°, saeculi XIII ineuntis miscellanea. Fol. 81. recto, col. 1, in initio: *Quisquis ad divinae paginae lectionem.* Psalmus primus: *Beatus vir, qui non abiit. Homo, quando cogitationem suam ad terrena flectit.* Desinit fol. 132. verso, sequentibus: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola enim perseverantia accipit bravium.* Dein, post spatium vacuum unius lineae, ab eadem manu: *Finis distinctionum post Meldensem collectarum. Amen.*

4. *Ibidem*, mss. latin. 14424, olim Victorinus, saeculo XIII ineunte vel circiter exaratus, folior. 180 miscellanea. Fol. 49. recto, col. 1: *Quisquis ad divinae paginae lectionem.* Psalmus: *Beatus vir. Homo, quando cogitationem suam ad terrena flectit.* Desinit fol. 98. recto, col. 2 in medio: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola enim perseverantia accipit bravium.* Dein, eodem quo reliquum operis charactere, legitur: *Finis distinctionum post Meldensem collectarum.*

5. *Ibidem*, cod. latin. ad Regiam spectans collectionem sub numero 441, olim DD. de Bethune, membr., in 4°, folior. 118. Fol. 5. recto, rubris litteris: *Notulae super Psalmos. Quae sit materia divinae lectionis.* Nigris vero praefatio incipit: *Quis quis ad divinae poginae lectionem.* Psalmus primus: *Beatus vir... Homo, quando cogitationem suam ad terrena flectit.* Auctoris nomine destituitur, sed convenit cum impressa sub S. Bonaventurae nomine Psalmorum Expositione. Et cum praecedentibus manuscriptis codex iste antiquior sit, utpote cuius aetas intra finem saeculi XII et initium XIII statuenda videatur, maiorem quam ceteri fidem facit, Bonaventurae abiudicandam esse hanc Psalmorum Expositionem.

6. *Ibidem*, in bibliotheca Mazarinea, mss. cod. 681, membranaceus, in 4°, a diversis manibus exaratus. Fol. 129 recto, col. 1: *Quisquis ad divinae paginae lectionem. — Beatus vir, qui.... Homo, quando cogitationem suam ad terrena flectit.* Desinit, fol. 222. verso: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola perseverantia accipit bravium. Finis distinctionum post Meldensem collectarum.* Huius expositionis scriptura est saeculi XIII, sed eius quaedam pars saeculi XII exeuntis.

Alios habeo codices pro Meldensi, alibi recensendos, nullum pro Bonaventura. Sed relati sufficiunt ad probandum, archiepiscopum Senonensem, Michaelis nomine vocatum, auctorem esse praedictarum distinctionum ex ipsius ore dicentis collectarum, nullatenus vero Bonaventuram.

De praefato Michaele, qui Meldensis appellatur, quia Meldensis Ecclesiae decanus fuit, sed verius e Corbolio dicendus, *Gallia Christiana*, tom. 8, col. 1665, edit. Paris. an. 1744, Decanos Ecclesiae Meldensis recensens, haec habet: « Michael I. de Corbolio, frater Reginaldi de Corbolio, Episcopi Parisiensis, ex canonico et cancellario Ecclesiae Parisiensis factus Decanus Meldensis, bullam protectionis ab Alexandro III obtinuit, in qua ius eligendi decani capitulo confirmatur. Testis occurrit, an. 1169, in literis Stephani episcopi, medietatem decimae de Quinciaco pro anniversario suo largientis. Subscripsit an. 1184 fundationi Guliaci. Arbiter electus est cum Petro Cantore Parisiensi inter archidiaconum Soliacensem in Ecclesia Aurelianensi et capitulum Jargogilense motae litis, quam Hugo decanus Aurelianensis finivit an. 1185. Fuit et decanus Laudunensis et Parisiensis; denique electus in Patriarcham Ierosolymitanum, antequam illuc iter arriperet, factus est Senonensis archiepiscopus. Obitus ejus notatur in Necrologio Meldensi ad diem primam decembris ».

Tomo autem 12, col. 55 et 56 eiusdem *Galliae Christianae* traditur, praedictum Michaelem, archiepiscopum Senonensem anno 1194 creatum, obiisse an. 1199.

Subiungimus supra positis codicibus alios ab eodem P. Fidele notatos:

7. *Graecii* in Styria, bibliotheca Universitatis, cod. 1049. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Commentarius in Psalmos vacat titulo et nomine auctoris; extremitati additur tantum: *Finis.*

8. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. B. B. Tab. 145. num. 16. chart. in fol. parvo saec. XV. In superiore margine fol. 1. r. est titulus: *Super Psalmos singulos incipiunt notule.* Deinde: *Excerptiones Demeldensis*, et etiam in fine: *Expliciunt Excerptiones Demeldensis.*

9. *Lauduni* in Gallia, cod. 153. (olim N. Dame de Laon 188.) membr. in fol. saec. XIII. circa medietatem. Est titulus: *Distinctiones post Michaelem, tunc Meldensem Decanum, post Senonensem Archiepiscopum.* Eadem fere verba replicantur in fine.

10. *Ibidem*, cod. 32. bis, membr. in 4. saec. XIII. ante medietatem. Incipit et desinit ut editi; additur in fine: *Finis Distinctionum post Meldensem collectarum.*

11. *Matriti*, bibliotheca Universitatis, seu *del Noviziado*, cod. 118. 6. membr. in 4. saec. XIII. ineunt. Fol. 1. v. scriptor saec. XIV. haec notavit: *Annus incarnationis Xti fuit M.° CC.° LXIX.° tempore, quo fuit curia apud Toletum, et fuit factum matrimonium Domini Ferrandi Infantis Castelle et filie Regis Francie. Era M.ª CCC. VII.* Commentarius in Psalmos incipit fol. 5. r. col. 1. et desinit fol. 80. v. col. 1. ut in edito; additur: *Finis Distinctionum post Meldensem collectarum. Amen.*

12. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. D. V. 14. membr. in fol. parvo saec. XIII. ineunt. Commentarius incipit fol. 1. r., desinit fol. 91. r. per verba: *Finis Distinctionum*, sine nomine auctoris.

§ 4. **De Expositione in Psalmum 118.**

Incipit: *Alleluia, laus, honor. Beati immaculati. Nota: S. Scriptura dicitur paradisus.*

Haec Expositio valde diffusa est. Edita est primo « Parisiis in aedibus Claudii Chevallon 1524 in 8. ad normam exemplaris a Coenobio Fratrum Minorum Castriradulphi Parisios allati », est recepta in Vaticanam (tom. I. pag. 162-308) et alias sequentes collectiones.

Oudinus non negat, ipsam esse Bonaventurae, sed Sbaralea (loc. cit. 156 b) et editores Veneti eam volunt esse spuriam; quod confirmat Bonelli (Prodr. col. 712), ita dicens: « Nihilo tamen secius animadvertens P. Magister Sbaralea, quod Expositio haec fusior stilum Bonaventurianum redolere non videatur,

quodque, ubi auctor praedictae *Summae Expositionis in Psalterium* cap. 8. vers. 7. legit: *Sprevisti omnes discedentes a iudiicis tuis*, auctor Expositionis huius amplioris in eundem Psalmum 118. cap. 8, vers. 6, habet *a iustitiis tuis*, intulit atque pronuntiavit, hanc fusiorem Expositionem non esse sancti Bonaventurae, sed Ioannis Lemovicensis monachi Claraevallensis, ex ms. codice bibliothecae S. Marci Veneti, qui forsan is est, qui tempore Innocentii quarti factus Minorita, an. 1245 erat eius Poenitentiarius ex actis Concilii Lugdunensis, et eius meminit Waddingus ad an. 1251 num. 68 ».

Quod Bonelli recte iudicaverit, certum est et confirmatur auctoritate codicum, quorum novem sunt anonymi, duo (n. 7. et 12.) auctorem nominant Ioannem Lemovicensem, monachum de Claravalle, unus (n. 10.) vero Fr. Gulielmum de Lacea (?), quod legitur in fine opusculi; quo tamen nomine fortasse non auctor, sed scriptor indicatur. Non est alicuius momenti, quod manus recentior in principio inscripsit: *Sancti Bonaventure*.

1. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 191. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Alleluia, laus et gloria* etc. Desinit folio 87. r. col. 1: *Dignetur beatus et immaculatus Dominus beatis et immaculatis spiritibus aggregare. Amen.* Sequitur tabula rerum alphabetice disposita.

2. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. IX. dext. cod. 10. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Commentario praemittuntur haec verba: *Iste liber fuit ad usum fratris Thebaldi de Casa, quem vivens assignavit armario fratrum minorum de Florentia, anno Domini 1406.* Desinit fol. 108. r. col. 1. Hinc habetur index ut in cod. praec. sub hac rubrica: *Quicumque vult invenire notabilia prenotata requirat in tabula subnotata. Abominatus.*

3. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis (olim S. Victoris), cod. 14427. membr. in fol. saec. XIV. Scriptor posterior praemisit: *Tractatus notabilis super Beati immaculati.* Desinit fol. 134. v. Sequitur tabula sub hoc titulo: *Tabula ad inveniendum leviter quodcumque notabile contentum in prelibato opere. Abominatus.*

4. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 14869. membr. in fol. parvo, saec. XIV. ineuntis. Incipit fol. 126, desinit fol. 249; additur: *Explicit summa beati immaculati*, et sequitur tabula ut in praecedente.

5. *Ibidem*, Collectiones variae, cod. 16496. membr. in fol. minore saec. XIV. Commentarius est valde abbreviatus ac mutilus; excurrit enim a fol. 88. r. col. 1. ad fol. 91. v. col. 2. in fine.

6. *Sancti Audomari*, bibliotheca Civitatis, cod. 622. membr. in fol. saec. XIV. Tabulae praemittitur idem titulus, quem profert cod. supranotatus sub n. 2.

7. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 556. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Codex est anonymus, sicut sunt alii hucusque descripti, sed recens compactor impressit in dorso voluminis aureis litteris: *Opera Ioannis Lemovicensis Pr. Clarevallis.* Commentarium sequitur tabula, quae desinit fol. 138. r. his verbis: *In ista tabula colliguntur notabilia universa, quae diversis capitulis, versiculis, articulis sunt disposita.*

8. *Ibidem*, cod. 1624. membr. in fol. minore saec. XIV. Complectitur commentarium et tabulam ut praecedens sine nomine auctoris.

9. *Ibidem*, cod. 1534. membr. in fol. parvo, saec. XIII. Commentarius a fol. 1. r. excurrit usque ad fol. 147. v. ut alii. Deinde subiicitur tabula notabilium.

10. *Ibidem*, cod. 1714. membr. in 4. saec. XIV. Plura ac plurium auctorum opera continet. Commentario in Psalm. 118. recens manus saec. XV. exeuntis praemisit: *Sancti Bonaventure.* In fine commentarii fol. 404. r. post: *Amen* sequitur: *Hunc librum scripsit fr. Guillelmus de Lacea* (Lanicea?). *Qui liber est superioris sancte Marie Clarevallis.* Sequitur tabula solita rerum.

11. *Ibidem*, cod. 1857. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Complectitur totum commentarium cum tabula et solita animadversione.

12. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, class. I. cod. 59. membr. in 4. saec. XIV. circa medietatem. Folio 1. r. col. 1. legitur: *Incipit Tractatus magistri Ioannis Lemovicensis monachi de Clara valle super beati immaculati.* Manus posterior addit: *Et primo ponitur Titulus. Alleluia* etc. Desinit commentarius fol. 147. v. col. 2: *Explicit Tractatus super beati immaculati.* Alia manus prosequitur: *Iohannis Lemovicensis monachi de clara valle.* Tandem prima manus: *Finis adest operis, mercedem posco laboris.* Sequitur index cum hac rubrica: *Incipiunt concordantie sequentis operis. Abhominatus.*

Quae cum ita sint, opusculum Bonaventurae abiudicandum est et probabiliter Ioanni Lemovicensi tribuendum.

§ 5. **De Expositione in Evangelium Ioannis.**

Incipit: *Nunquid ad preceptum tuum. Cum inter quatuor sancta animalia.*

Huius commentarii in Ioannem alii genuino perperam substituti editio prima facta est a viris doctis, qui Collectionem Vaticanam curaverunt (tom. II. pag. 311-466). De origine eiusdem ipsi editores rationem reddunt quodam operi praefixo *Argumento*, ex quo excerpimus quae sequuntur.

« Constat fere inter omnes antiquitatis ecclesiasticae usu peritos, in Evangelium S. Ioannis eximium Ecclesiae Doctorem seraphicum Bonaventuram, virum in primis vitae sanctimonia doctrinaeque laude clarissimum, luculenter scripsisse commentaria eaque distribuisse in postillas et collationes ». Deinde refertur, haec commentaria diu desiderata tandem inventa esse Coloniae Ubiorum in conventu S. Francisci Ord. Min., Summumque Pontificem Sixtum V. Nuntio Apostolico in Germania inferiori Octavio Mirto, episcopo Caiacensi id negotii dedisse, ut ea quam primum recte describenda curaret Romamque mitteret. Is Pontificis mandatum exsecutus, Expositionis illius exemplum recte eleganter exscriptum ad Urbem misit cum litteris huiusce testimonii in calce libri manu notarii adscripti, quod posteritati typis prodendum censuimus ad perpetuum illius testificationis monimentum ». Sequuntur ipsa verba huius documenti, in quo notarius fidem facit, istam postillam descriptam esse ex vetere exemplari praedicti conventus, quod ibi adhuc fideliter servetur.

De eodem apographo, quod nunc est in bibliotheca Vaticana cod. n. 7723, loquitur Bonelli (Prodr. col. 458. n. 43.) in recensione codicum bibliothecae Aracaelitanae: *Postilla S. Bonaventurae in Ioannem.* Incipit: *Nunquid ad preceptum;* cod. chart. in folio, quo manu publici notarii munito Coloniaque Romam advecto usi sunt editores Sixtini. Sed animadvertendum, quod ly *S. Bonaventurae* tam in codice quam in litteris notarii substitutum fuit manu recentiore, primo nomine deleto. Hinc Waddingus (de Scriptoribus Ord. Min. pag. 211 col. 1.) inquit: « Exstant in bibliotheca nostra Aracaeli in Urbe duo Opera non contemnenda sub titulo Ioannis Gualensis, unum

ita inscriptum *Summa Collectionum* etc.; aliud est: *Postilla in Evangelium Ioannis.* Incipit: *Nunquid ad preceptum tuum elevabitur aquila?* — Satis mirum est, quod et in apographo et in litteris substitutum sit nomen Bonaventurae, primo nomine deleto!

Sed his non obstantibus, Oudinus (loc. cit. col. 398), Sbaralea (loc. cit. pag. 156 b), Bonelli (Prodr. col. 712) censuerunt, eundem esse spurium; editores Veneti (loc. cit. pag. 92) de eo dubitant.

Certe non spectat ad S. Bonaventuram. Ratio peremptoria est, quod alius Commentarius longe diversus et in hoc tomo impressus S. Doctori certo vindicari potest. Nemo autem affirmabit, ipsum scripsisse duplicem in Ioannem Commentarium. Insuper, qui genuinum Commentarium comparat cum altero luculenter videbit, tum quantum differat spurius a genuino, tum quis congruat ingenio et stilo seraphici Doctoris.

Audiamus Benedictum Bonelli (loc. cit. col. 713) de supposititia hac Postilla et etiam de Collationibus infra § 6. recensendis loquentem: « Praesentium itaque Postillarum atque Collationum auctorem negamus quidem Bonaventuram, sed nihilominus Franciscanum alium antiquum agnoscimus. Franciscanum etenim sese prodit collatione XXIX, dum laudat *sanctum Antonium de Ordine Fratrum Minorum*, et collatione ultima, dum illam sic claudit: Verus ergo imitator beati Petri fuit beatus Franciscus in praedictis, et ipsius debent esse imitatores professores suae sacrae religionis in eisdem. Sed nunquid censendus earundem auctor Fr. Alexander ab Alexandria? Minime gentium, quia *Postilla super Evangelium S. Ioannis scripta a Fr. Alexandro de Alexandria Ord. FF. Minorum* aliud praefert initium in vetusto membraneo codice bibliothecae Patavinae S. Antonii Minorum Conventualium, videlicet: *Prologus S. Hieronymi presbyteri* etc. *Hic est Ioannes Evangelista* etc. Quis ergo alius? Crediderim potius Ioannem Guallensem Ordinis Minorum, cum inter eius opera Waddingus ad fidem codicis Aracoelitani de Urbe recenseat *Postillam in Evangelium Ioannis* incipientem: *Nunquid ad preceptum tuum elevabitur aquila?* Nostrae huic opinioni suffragatur P. Magister Sbaralea inquiens: *Expositio in Ioannem et Collationes in eundem sunt Fratris Ioannis Guallensis.* De hoc scriptore nonnulla diximus alio in loco; quibus heic adiicimus, eundem saeculi XIII. auctorem habendum esse etiam ex eo, quod, Waddingo attestante, in publica Oxoniensi cathedra praecesserit Fr. Thomam Dochingum, Anglum Minoritam, qui anno MCCLXX claruit ».

Attamen non videtur esse omnino certum, Ioannem Guallensem esse huius opusculi et earum Collationum, de quibus agimus in seq. § 6, auctorem, quia de hoc dissident codices antiqui, quos hic de utroque opusculo loquentes referimus.

1. *Patavii*, bibliotheca Antoniana Scaff. XV. N. 326. membr. saec. XIV. *Postille et Collationes in Evang. Ioannis.* Incip.: *Nunquid ad preceptum tuum elevabitur Aquila... Cum inter quatuor animalia...* Finis: *professores sue sancte religionis in eisdem.* — Opuscula haec sunt anonyma; sed ab editore catalogi (Patavii 1886) attribuuntur Ioanni Guallensi ob argumenta a P. Bonelli allata.

2. *Rhemis* in Gallia, bibliotheca publica, cod. B. 68-64. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Sub titulo fol. 1. r. col. 1: *Incipiunt Collationes edite a magistro Iohanne Gallense ordinis fratrum minorum super Iohannem, primum capitulum, Collatio prima. In principio erat verbum. Supposita litterali expositione ex dictis circa litteram* etc. Sunt 90 collationes, quae finem habent fol. 16. r. col. 2. his verbis: *in quibus est pondus mysteriorum magnum, ut similiter patet consideranti.* — Deest igitur in hoc codice ipse Commentarius.

3. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1533. membr. in fol. saec. XIV. Folio 1. r. in superiore parte: *Postilla super Iohannem.* Inferius: *Nunquid ad preceptum tuum* etc. Desinit fol. 132 r. col. 2. Hinc statim sequuntur collationes eiusdem, ad quarum finem legitur, ab alia manu eiusdem aevi parvis litteris exaratum: *Petrus de Scala super Iohannem.*

Petrus de Scala Ord. Praedic. episc. Veronensis, teste Echard., *Scriptores Ord. Praed.*, mortuus est 1295. Scripsit Postillam super Matthaeum, cuius initio praemittitur duplex *principium*, quorum alteri eundem locum Scripturae praefixit, quem habet illud *Principium*, de quo supra § 2. locuti sumus, scil. Apoc. 22: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae...* Sed deinde sequitur alia expositio. — Etiam Sixtus Senensis (I. pag. 455, ed. Neapoli 1742) huic Petro attribuit illam Postillam in Ioannem. Princip. *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila*, quam se vidisse testatur « manu descriptam in membranis Genuae in bibliotheca Minoritarum Observantium ».

Cum igitur codices sibi circa auctorem contradicant, quaestionem relinquimus iniudicatam, licet probabilior nobis esse videatur opinio, quae favet Ioanni Guallensi.

§ 6. **De Collationibus in Ioannem.**

Incipit: *In principio erat Verbum. Supposita luminali expositione.*

Hae collationes in ed. Vaticana immediate post spurium Commentarium sequuntur, ex eodem codice descriptum. Omnes confitentur, eundem esse utriusque auctorem, cui opinioni favent etiam codices modo relati, qui, excepto n. 2, utrumque opus coniungunt. Unde probabilius attribuendae sunt praedicto Ioanni Guallensi. Diversae ab his sunt genuinae Bonaventurae collationes in Ioannem, a P. Fidele a Fanna primo inventae et hoc tomo impressae, quae ita indolem seraphici Doctoris referunt, ut de vero auctore non possit dubitari, etiamsi deessent authentica testimonia.

Haec sunt opera in ed. Vaticana impressa et Bonaventurae tributa, quae ob gravissimorum argumentorum rationem censemus expungenda ex catalogo eiusdem operum. Transeamus nunc ad examinanda ea opera exegetica, quae P. Benedictus Bonelli in suo *Supplemento* Bonaventurae attribuit et typis tradidit. Inviti, sed veritate cogente, accedimus ad probandum, egregium hunc virum, cui defecerunt plurima documenta nunc in publicam lucem producta, in his Commentariis recensendis non habuisse laboris prosperum successum, nisi in solo genuino Evangelio Ioannis edendo, in ceteris vero diiudicandis defecisse.

§ 7. **De Expositione in Canticum Canticorum.**

Incipit: *In speculo brevi et aperto contueri volentibus. Osculetur me.*

Hic Commentarius primo editus est a Benedicto Bonelli (Supplem. I. col. 51-281, qui ibi in praefixa Admonitione et in Prodromo (col. 729) eum S. Bonaventurae vindicare nititur. Primam pro sua sententia rationem haurit ex argumentis intrinsecis, scilicet quod auctor sit Italus, sit frater Minor, sit S. Bonaventura. Pro more suo in notis opusculo adiectis diligentissime probavit, multa in ipso convenire cum scriptis seraphici Doctoris, quae ab ipso indicata sunt esse *certa.* — Sed quid sentiamus de tali conclusione, iam supra (§ 2.) diximus.

Porro idem allegat duos codices nomine Bonaventurae inscriptos, Assisiensem unum et Romanum alterum. — De primo ipse habet (Prodrom. col. 381 n. 25.) « *Expositio in Cantica D. Bonaventurae*. Ita a tergo cod. chart. in fol. n. 2. Est sine operimento. Prima eius pagina habet inscriptionem: « S. Ioannis Eustachii Bonaventurae, episcopi Albanensis et S. R. E. Cardinalis, Doctorisque Seraphici Ordinis Minorum ». Incipit Prologus: *In speculo brevi et aperto*. Post Prologum ante exorsum Expositionis primi capitis repetitur: « Seraphici Doctoris divi Ioannis Eustachii Bonaventurae episcopi Albanensis et S. R. E. Cardinalis Ord. Minorum, in Canticum Canticorum non minus pia quam erudita interpretatio ».

Observandum est, hanc inscriptionem, cum Bonaventura *sanctus* nominetur, post annum 1482, quo a Sixto V. inter Sanctos relatus est, factam esse. Sed in catalogo Assisiensi iam an. 1381 confecto (cfr. tom. V. Prolegomena pag. LX b sub n. XXIV.) eadem postilla tribuitur *Petro Ioannis Olivi*. Fol. 89: « *Expositiones super Cantico, Lamentationes Ieremiae Prophetae, Regulam beati Francisci*, et aliqua alia Magistri Petri Ioannis cum postibus in parvo volumine, cuius principium: *In speculo brevi et aperto inspicere volentibus*; finis vero: *et potentiae consimiles occultatione fidei nostrae* » (Prodrom. col. 379). Quae verba, ut recte iudicat Sbaralea (loc. cit. pag. 164 a), satis indicant, illam postillam attribui Petro Ioannis. Aliter censet Bonelli, qui, ut hoc catalogi testimonium eludat, adiungit: « Praefati *Magistri Petri Iohannis* dicenda quidem *aliqua alia*, neutiquam vero *Expositiones* prius commemoratae ». Idem fusius repetit ibid. col. 731. — Sed haec interpretatio satis violenta est, cum post nomen *Magistri Petri Ioannis* verba, quae sequuntur: *cuius principium* etc., referantur ad primum opus: *Expositiones* etc. Quia igitur idem opus et eiusdem bibliothecae an. 1381 tribuitur auctori Petro Ioannis, inscriptio alia in fine saeculi XV. facta nullius est auctoritatis.

De secundo codice Vaticano membr. in fol. miscell. cod. 918. (a pag. 61-71) in eodem Prodromo (col. 453 n. 2.) habetur: « *Postilla in Cantica Canticorum*. Incipit: *In speculo brevi*. In fine: *Explicit Postilla super Cantica Canticorum Fratris Bonaventurae. Amen. Amen*. Eiusdem *D. Bonaventurae* nomen habetur quoque in capite Praefationis, sed recenti charactere ». Fide eiusdem codicis Bened. Bonelli edidit tum hanc in Canticum Expositionem, tum quinque opuscula infra § 8. recensenda, tum Commentarium in Apocalypsim (§ 9.). Unde operae pretium est accuratiorem totius huius codicis descriptionem a Bonelli factam et a P. Fidele a Fanna (qui eundem saeculo XIV. adiudicavit), approbatam hoc loco exscribere.

1. « *Postillae Bonaventurae super Ecclesiasten*. Ita litteris rubris. Incipiunt: *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius*. Ad calcem nigro charactere: Expliciunt Postillae Fratris Bonaventurae Ordinis Minorum super Ecclesiasten. *Tum:* Dicas unum Ave Maria, et unum Pater noster pro anima F. Thomae, qui hunc librum scripsit, pro remedio animae suae. *Dein:* Iste liber est Monasterii S. Ioannis in Seyts Ordinis Carthusiensis. Habentur a pag. 1 usque ad 59 cod. 918. membr. in fol. ».

2. « *Postilla in Cantica Canticorum*. Incipit: *In speculo brevi*. In fine: *Explicit Postilla super Cantica Canticorum Fratris Bonaventurae. Amen. Amen*. Eiusdem *D. Bonaventurae* nomen habetur quoque in capite Praefationis, sed recenti charactere. Exstat in eodem cod. 918. a pag. 61 ad 71 ».

3. « In illud Apocalypsis: *Vidi in dextera sedentis*. Incipit: *Consideranti mihi*. A pag. 71 ad 74 memorati cod. 918 ».

4. « Super illud Apocalypsis quarto: *Quatuor animalia singula eorum habebant alas senas*. Incipit: *Superineffabilis*. A pag. 74-79 praefati cod. 918 ».

5. « In illud Ezechielis decimo: *Ingredere in medio rotarum*. Incipit: *Scripturarum sanctarum pelagus*. A pag. 79 ad 83 praedicti cod. 918 ».

6. « In illud Psalmi XLV: *Vacate et videte*. Incipit: *Sicut inter omnia*. A pag. 83 ad 86 eiusdem cod. 918 ».

7. « *Io. Eustachii Bonaventurae in Apocalypsim*, recenti charactere. Incipit: *Praemittitur autem huic libro Prologus*. In fine litteris similibus illis, quibus opus exaratum est: Explicit Postilla super Apocalypsim Ioannis Apostoli, Deo gratias. Amen, edita a venerabili Doctore Fratre Bonaventura Ordinis Minorum. A pag. 86 usque in finem saepe indicati codicis 918. Omnia huc usque recensita opera seraphico Doctori attribuit eruditus ille anonymus, qui proxime elapso saeculo Inventarium codicum mss. huius Vaticanae bibliothecae lucubravit. In margine eiusdem Inventarii e regione opusculi tertio loco relati ac incipientis: *Consideranti*, habetur haec nota: In hoc tractatu et tribus sequentibus (nempe recensitis n. 4. 5. et 6.) non est nomen Bonaventurae, sed ut ex eius ordine et structura dignoscitur, non possunt esse nisi Bonaventurae. Videas tamen, an sint sermones, vel non sint, in Prooemio sequentis Postillae in Apocalypsim ».

Praeterea, attendendum est, praedictum codicem Vaticanum compactum esse ex voluminibus primitus separatis, primumque opusculum sive genuinum S. Bonaventurae Commentarium in Ecclesiasten ab alia manu esse scriptum; quod praeter P. Fidelem a Fanna observavit ipse Bonelli (Prodr. col. 653 n. 9.), qui prosequitur: « Id ipsum suadent paginarum characterumque inaequalitas et antiquitas, tum accessiones novorum codicum, de quibus in unum compactis dubium non est editioni praefatae [Vaticanae] successisse; ac demum, quia in fine expositionis in Ecclesiasten, quae in dicto codice se primo offert, subditur: *Iste liber est Monasterii sancti Ioannis in Seits Ordinis Carthusiensis*; quod procul dubio in finem totius codicis fuisset positum, si omnes illae expositiones ad eundem codicem spectassent ». Propterea manifestum est, nihil prodesse opinioni praedictae, quod primum huius codicis opusculum sit certo genuinum.

Denique notamus, *apographum* partis huius codicis saec. XVI. scriptum exstare in eadem bibliotheca Vaticana cod. 6066. ita inscriptum: *Seraphici Doctoris D. Bonaventurae ordinis Minorum in Canticum Canticorum et in Apocalypsin, ex bibliotheca Vaticana*. Infra alia manus notavit: « Crediderim fuisse transcriptus cura P. Magistri Bassucci Veneti eiusdem Ordinis, licet eius nomen fuerit deletum. Felix Contelorius, biblioth. Vaticanae custos ». — Incipit fol. 2. v.: *In speculo brevi* etc.; desinit fol. 100 v.: *Explicit postilla super Canticum Canticorum seraphici Doctoris D. Bonaventurae*. Deinde sequitur Commentarius in Apocalypsim, de quo infra. — Hoc apographum posterioris temporis non habet per se ullam auctoritatem.

Praeter primos duos codices Bonelli nominat quendam Anglicanum, « cuius initium ipsi erat ignotum », aliumque Patavinum, sed auctoris nomine destitutum, quem cum duobus iam nominatis ipse contulit.

Ex praedictis patet, solius codicis Romani auctoritatem pro hypothesi Benedicti Bonelli notabile testimonium reddere. Ve-

rumtamen alii codices et catalogi maioris auctoritatis quaestionem de auctore huius Expositionis in favorem *Petri Ioannis Olivi* solvunt. Iam allegavimus catalogum bibliothecae Assisiensis an. 1381, cuius auctoritas elidi non potest, confirmata iudicio doctissimi Sbaraleae et P. Fidelis a Fanna. Hic insuper antiquos duos codices a se examinatos allegat suae sententiae testes idoneos. Primus est *Parisiensis*, qui, cum non contineat nisi scripta Petri Ioannis Olivi, summi momenti est pro quaestione in hac et seq. paragrapho solvenda; unde eius integram descriptionem ab eodem P. Fidele notatam hic transcribimus.

1. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15588. olim Sorbonae 120. membr. in fol. saec. XIII. foliorum 179. In 1. folio r. In superiore margine, parvis admodum litteris, a manu secunda saec. XIV. primae medietatis legitur: *Postilla Io. Petri. Et huius postille tabula questionum 71. de Lemovicis. bancha ad volumen 9.* Hinc col. 1: *Vidi in dextera sedentis super thronum librum unum scriptum intus et foris signatum sigillis septem. Consideranti mihi scripturarum* sanctarum pelagum infinitum* etc. Desinit fol. 4. r. col. 1. circa finem: *Ad hanc igitur visionem tam utilem tamque desiderabilem nos introducat ipse Dei filius Iesus Xtus qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat et cuncta videt et gubernat in secula seculorum. Amen.*

Post haec, nullo interposito medio, prosequitur: *Quatuor animalia singula eorum habebant alas senas et in circuitu et intus plena sunt oculis et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est et qui erat et qui venturus est. Superineffabilis altitudo doctrine evangelice in quatuor evangeliis apprehense* etc. Desinit fol. 5. r. col. 1. circa principium: *In egressu vero de Xti morte et contumeliis. In reditu autem de reditu aut de resurrectionis et ascensionis tropheis et preconiis.*

Hinc immediate: *Cum essem in medio captivorum iuxta fluvium Cobar vidi visionem Dei. Conscendere cum Paulo volentibus in tertium celum* etc. Desinit fol. 9. v. col. 1. versus medium: *Clavis etiam earum est visibilis caritas. De istis tamen clavibus et de modo ducendi eas amplior exigitur tractatus. Explicit iste tractatus. Deo gracias.*

Unius lineae spatio interposito, legitur: *Ingredere in medio rotarum, que sunt subtus Cherubin, et imple manus tuas et imple prunis ignis, que sunt inter Cherubin, et effunde super Civitatem. Ezech. X. Scripturarum sanctarum pelagus et abyssus triformiter se ingerit* etc. Desinit fol. 12. r. col. 1. post medium sic: *Fons veritatis equitatis et caritatis, in secula seculorum. Amen.*

Deinde, sine ullo spatio medio, iterum incipit: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus. Sicut inter omnia nihil Deo altius* etc. Desinit fol. 14. v. col. 1. circa medietatem: *Plenum gratie et veritatis, in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus iste. Deo gracias.*

Folio sequenti in superiore parte legitur: *Postilla super Mattheum*, et infra: *Quatuor facies uni.... aeris candentis. Ezech. I. Quemadmodum admirabilis est clausura* etc. Desinit fol. 134. v.: *Ipse est leo resurgens, qui solus meruit et potuit solvere septem signacula libri Dei. Cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Finito libro sit laus et gloria xto. Amen.*

Folio 135. r. col. 1. absque ullo titulo incipit: *Ad contemplandam et prelibandam in summa doctrinam epistolarem divinissimi Pauli, menti mee nihil occurrere potuit brevius et clarius quam verbum eiusdem II. Cor. III. dicentis: Ubi spiritus Dei, ibi libertas* etc. Desinit folio 163. r. col. 1: *Quidam legunt hoc sine cui de Deo. Ei qui sic potens est et qui tanta nobis revelavit sit per Iesum Xtum gloria in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus iste. Deo gracias.* Post hunc commentarium super Epistolam sancti Pauli Apostoli ad Romanos immediate sequitur: *In speculo brevi et aperto contueri volentibus continentiam Cantici Canticorum* etc. Desinit fol. 179. r. col. 2: *Ducat eam ad vite fontes aquarum, quas qui bibet non sitiet in eternum. Amen. Explicit liber iste. Deo gracias.* Subiicitur tabula alphabetice disposita manu saec. XIV. exarata.

Folio 181. v. manu saec. XIII. additur: *Iste liber est pauperum magistrorum de Sorbona ex legato magistri Petri de Lemovicis, quondam socii domus huius, in quo continentur Postille super Mattheum et super Epistolam ad Romanos et super Cantica. Posticum X. librorum. Cathenabitur.*

Hic Petrus de Lemovicis, baccalaureus theologiae, legavit Sorbonae plus quam 120 volumina et mortuus est an. 1306. — Huic codici accedit *alius* idem testificans.

2. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. Urbinat. 480. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. A posteriore, sed antiqua manu, habet indicem contentorum in fine his verbis expressum: *In hoc volumine hec continentur Petri Iohannis super Ecclesiasten, super Iob, de Paupertate, seu super Regulam fratrum Minorum, super Dionysium de Angelica hierarchia et super Cantica Canticorum.* Postremus hic tractatus incipit: *In speculo brevi et aperto* etc. Desinit: *Quas qui bibit non sitit in eternum.*

Lubenter praedictis adiungimus grave testimonium auctoris, qui novissime eandem quaestionem diligenter tractavit et iudicium P. Fidelis plene confirmavit. Laudatus enim P. Ehrle S. I in iam allegato Archiv etc. pag. 485 scribit, auctoritate antiquorum catalogorum omnino constare, Petrum Ioan. Olivi scripsisse aliquem Commentarium in Canticum Canticorum. Pro hac sententia ipse allegat primo catalogum bibliothecae Pontificiae Avenionensis inter annos 1370-1378 scriptum, ubi legitur: « Item in volumine signato per CCLXVI postilla fratris Petri Ioannis super Genesim, Exodum, Regum, Ecclesiasten, *Cantica*, Isaiam, Threnis, Ezechielem ». Similia dicuntur in alio inventario Benedicti XII. (ibid. pag. 461. seq.). Deinde, quod huius Petri Commentarius idem sit cum eo, quem Bonelli typis vulgavit, probatur tum testimonio catalogi Assisiensis, tum quia invenitur in duobus antiquis codicibus, quos supra allegavit P. Fidelis, scil. cod. Urbin. 480. fol. 168. seq., ubi a manu posteriore scriptum est: « Incipit postilla Petri Ioannis super Cantica Canticorum »; et cod. 15588. bibliothecae Nationalis Parisiensis saec. XIII. cum inscriptione antiqua: « Post[illa] fr. Ioannis Petri » [sic].

§ 8. De quinque Tractatibus, de s. Scriptura sive de Principiis generalibus in s. Scripturam in Supplemento Benedicti Bonelli impressis.

a. In hoc Supplemento (tom. I. col. 23-49) habetur cum titulo: *De studio divinarum litterarum*, Tractatus in verba Psalmi 45: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.*

b. Ibidem col. 282-347 Tractatus in cap. 2. Ezechielis de sacrae Scripturae mysterio: *Cum essem in medio captivorum iuxta flumen Chobar* etc.

c. Ibid. col. 349-374 Tractatus in cap. 10. Ezechielis de s. Scripturae materia: *Ingredere in medio rotarum* etc.

d. In tom. II. col. 1039-1052 Commentariolus in cap. 4, 8. Apoc. de doctrina evangelica: *Quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas* etc.

e. Ibid. col. 1053-1113 Commentariolus in cap. 5, 1. Apoc. de Scripturarum s. dignitate et excellentia: *Vidi in dextera sedentis supra thronum librum* etc.

Observandum est, inscriptionem *Tractatus*, vel *Commentariolus*, cum determinationibus *de studio divinarum litterarum* etc., non inveniri in codicibus, sed auctorem habere editorem. Bene monuit laudatus P. Ehrle S. I. (loc. cit. pag. 495), proprium nomen talium de Scriptura lectionum aetate media fuisse *principium in Scripturam*, quo significabatur illa lectio, quae expositioni sacri textus praemitti solebat ac generalem quandam de Scripturae excellentia vel studio doctrinam tractabat. Ita etiam intelligendus est titulus opusculi spurii, de quo supra § 2. locuti sumus. Plura autem huiusmodi *principia* Fr. Petrum Olivi scripsisse, idem cl. auctor probat (Ibid. pag. 460) per catalogum bibliothecae Pontificiae Avenione an. 1369 sub Urbano V. scriptum, in quo legitur: « 381. Item, *principia generalia super sacra scriptura* et dictio per fratrem P[etrum] Ioannis ac multa alia in eodem volumine cooperto corio viridi, de littera curiali, que incipiunt in secundo folio: *per corporationem*, et finiunt in penultimo folio: *apposite* ».

Praedicta igitur quinque *Principia generalia* sumsit Bonelli ex cod. Vat. n. 918. supra § 7. fuse descripto. Sed quadam auctoris negligentia in recensione ex Prodromo a nobis transcripta est omissum opusculum sub *b* relatum: *Cum essem in medio captivorum*, cum ipse Bonelli in Admonitione praefixa (Supplem. I. col. 282) asserat, illud esse ex dicto codice descriptum, et re vera in eo habeatur, teste P. Ehrle (loc. cit. pag. 495). — Insuper notandum est, haec quinque opuscula ibi esse *anonyma;* quod ex verbis relatis patet, et post auctorem catalogi eiusdem bibliothecae confitetur ipse Bonelli. Ab utroque illa tribuuntur Bonaventurae hac praecipue ratione, quia inveniuntur in medio inter duo opera, quae ibi perperam dicuntur esse Bonaventuriana.

Praeter hunc altero quodam codice saec. XV. in sua editione usus est P. Bened. Bonelli. Hic tunc exstabat Venetiis in bibliotheca Conventus S. Bonaventurae Minorum Reformatorum; de quo idem refert (Prodrom. col. 488 seq.):

26. *S. Bonaventura de Intelligentia sacrae Scripturae.* Sic litteris rubris. Incipit a fol. 1. cod. chart. saec. XV. in folio: *Vidi in dextera sedentis.* Post primum huius opusculi folium interrumpitur sensus, ita ut ad fol. 15 fiat saltus.

27. In illud Apocalypsis 4: *Quatuor animalia, singula eorum...* Post hunc sequuntur eadem tria opuscula ut in cod. Vaticano n. 918, et quidem, ut Bonelli observat, « quasi per modum continui absque ullo titulo, sed incipiens a textu ».

Solus igitur secundus cod. sequioris aetatis explicite haec opuscula attribuit seraphico Doctori. Sed omnino maioris auctoritatis est cod. saec. XIII. bibliothecae Nationalis Parisiensis supra (§ 7.) descriptus. Hic primo loco habet haec quinque *Principia generalia* ab antiqua manu Fr. Petro Olivi tributa, et non continet nisi scripta Ipsi, ut aliunde probari potest, certo tribuenda. Accedit, quod, teste illo catalogo sub Urbano V. scripto et supra (§ 7. circa finem) citato, Petrus Olivi certo scripsit *Principia generalia* in s. Scripturam. Cum etiam ipsa indoles eorundem optime congruat singulari ingenio eiusdem, assentiendum esse censemus duobus peritissimis librorum illius aetatis investigatoribus, scil. P. Ehrle S. I. et ante ipsum P. Fideli, quorum uterque proprio suo studio et documentorum pervestigatione cognovit, haec *Principia generalia* auctorem habere dictum Petrum Ioannis Olivi.

§ 9. **De Commentario in Apocalypsim.**

Praemittitur Prologus Gilberti: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo.* Incipit Expositio in Prologum: *Praemittitur huic libro.*

A P. Bonelli (Prodr. col. 316 tab. XVII.) de quadam antiqua *Glossa in Apocalypsim* haec refertur ex Annalibus typographicis Michaelis Maittaire: « *Bonaventurae Glossa* in Apocalypsim 4. Lipsiae 1481 ». Loescherus observat, summam huius libri esse, Turcas propediem esse destruendos, primumque hunc librum esse Lipsiae impressum, teste I. I. Müllero in Incunabulis typograph. Lipsiae pag. 9 tom. I. part. 2. pag. 427. In nota ille addit: « Hactenus frustra a me quaesita etiam Lipsiae ». — Nec nos fuimus feliciores. In *Repertorio* Ludovici Hain non fit mentio huius *Glossae*, nec alibi reperire potuimus, quae et qualis sit ista *Glossa*.

Ioannes de la Haye Ord. Min., multis de Scriptura scriptis satis notus, hunc Commentarium primus edidit Parisiis 1647 in fol. eumque *Alexandro de Hales* ut auctori inscripsit. Hoc fecit fide unius codicis Antverpiani et duorum virorum recentiorum, scil. Henrici *Willot*, qui se hunc Commentarium in bibliotheca Antverpiana Fratrum Minorum vidisse attestatur, et Ioannis *Pitsei* in libro de Scriptoribus Anglicis ad an. 1245. Editor in Praefatione *certum* esse contendit, Alexandrum Hal. hunc Commentarium composuisse, « praesertim cum ipsa verba spiritum et eruditionem Alexandri de Hales redoleant... ratio suadeat, stilus doceat, confirmet veritas ». Laudat etiam admirabilem operis « eruditionem, sententiarum profunditatem, in difficultatibus enodandis maximam claritatem ».

Alteram editionem, sed *S. Bonaventurae* inscriptam, curavit P. Benedictus Bonelli in tom. II. sui *Supplementi* (Trident. 1773), quam copiosis doctisque notis illustravit. Idem in praefixa Praelocutione et in Prodrom. (col. 648 seqq.) satis probavit, immerito a primo editore opus attributum esse Alexandro de Hales. Evincit enim, auctoritatem istius codicis Antverpiani non esse magni momenti, cum nihil dictum sit de eius antiquitate, variaque adsint indicia, quod sit recentioris aetatis (ibid. n. 3.); duos etiam testes citatos minime esse « omni exceptione maiores » (n. 4.); denique plura in ipso opere inveniri indicia, quae insinuant, librum esse scriptum post Alexandri mortem († 1245). Nam, inquit, « cum auctor disserat de beata Clara non velut in terris adhuc agente, sed in caelis aeterna beatitate donata, eius meminisse non potuit citra prophetiam Alexander Halensis, qui obiit an. 1245, Clara vero abiit ad Sponsum an. 1253 Sanctorumque fastis adscripta est an. 1255. Nequidem dicere potuit Halensis illud quod cantatur de beato Antonio: « Veritatis iaculis aeque feriebat » (ed. Haye pag. 154 a), cum officium verba ista continens (Resp. 6.) non minus quam aliud S. P. Francisci post Halensis decessum fuerit concinnatum per Fr. Iulianum Theutonicum etc.

Aliud grave argumentum addere potuisset P. Bonelli, si ipsi noti fuissent quidam codices antiqui, qui Alexandro de Hales *diversum* omnino Commentarium in Apocalypsim attribuunt. — Ita *Cantabrigae* in Anglia, cod. Mss. V. 31. 2436. saec. XIII. in 4. foliorum 207, ubi legitur: Alexander de Ales Comment. in Apocal. Incipit: *Sanctus Ioannes... Apocalypsis,*

que latine dicitur interpretatio. Desinit: *Oportet fieri quod petierit, fiat, fiat.* — Idem Comment. habetur etiam *Wratislaviae* in bibliotheca Universitatis, Cod. cl. I. in quarto 19. membr. saec. XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis: Incipit prefatio fr. Alexandri de ordine fratrum Min. in expositionem apocalypsis, qui anno Domini millesimo CCLXXI obiit (!). Sanctus Ioannes apostolus et evangelista propter verbum Dei, quod predicabat... Fol. 3. v. c. I: Apocalypsis grece latine dicitur revelatio. Cum dicit apocalypsis subaudiendum est.

Assentimus igitur P. Bonelli neganti, hunc librum auctorem habere Alexandrum Hal., quin tamen assentiamus ipsi affirmanti, eum esse legitimum et certum S. Bonaventurae fetum. Nolumus tamen negare id quod non pauca documenta testantur, quod scil. S. Doctor scripserit quandam Postillam in Apocalypsim; alia autem quaestio est, an haec quam Bonelli edidit Postilla sit genuina. Argumenta enim editoris hoc non sufficienter probant; obstant autem aliae multae rationes. Cum agatur de re gravi, quaestio paulo fusius et diligentius tractanda est, ne expunctio huius Commentarii speciem temerariae levitatis prae se ferat. Unde ad trutinam vocabimus tum *testimonia externa* tum *criteria interna* a P. Bonelli allata.

Primo igitur dicimus, *non sufficere testimonia externa, ab ipso in favorem S. Bonaventurae allegata.*

Ipse unum tantum codicem saec. XIV. testem pro sua opinione afferre potuit, eundem scil. codicem Vaticanum n. 918, supra § 7. descriptum, ex quo etiam edidit tum Commentarium in Canticum Canticorum, tum quinque illa opuscula, quae nomine *Principia generalia s. Scripturae* notavimus. Sed supra § 7. et 8. satis ostendimus, tum Commentarium illum, tum opuscula falso attribui seraphico Doctori et restituenda esse Petro Ioannis Olivi. Hinc sequitur, hunc codicem erroris iam supra convictum esse testem parum idoneum. — Nec eius auctoritas augetur eo, quod Waddingus ex hoc codice curavit fieri apographum, in archivo Collegii S. Isidorii (n. 100.) tempore P. Bonelli adhuc conservatum; nec quod aliud saeculi XVII. apographum fuit et est Romae in bibliotheca Angelica (cod. S 8. 19. chart.), quod in nonnullis, ut Bonelli dicit, est completius. — Accedit, quod alii codices etiam antiquiores, cum S. Bonaventuram vel non nominent auctorem, vel alium, magis etiam animum relinquunt suspensum atque incertum. En catalogus eorum codicum, qui ignoti erant P. Bonelli.

1. *Budae Pestinae,* bibliotheca Universitatis, cod. sine numero, membr. saec. XIV. circa medietatem. Fol. 151. r. in superiore margine: *Incipit prologus sancti Ieronimi super Apocalypsim;* anonym. Hinc: *Premittitur autem* etc. Desinit fol. 157. v. col. 2: *Duxit in finem et terminum, sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

2. *Burdigalae* in Gallia, cod. 65. membr. in fol. saec. XIV. Incipit fol. 3. r. Initio alia manus saec. XV. praemisit: *Lectura obtima* (sic) *super Apocalipsim;* alia manus adhuc recentior addidit: *Gallonis in Apocalipsim.* Prologus deest. Desinit fol. ultimo codicis, parte v. col. 1.

3. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. olim sanctae Mariae a Carmelo 513, modo vero 135. membr. in fol. saec. XIV. Commentarius in Apocalypsim incipit fol. 83. r. verbis: *Praemittitur autem huic libro prologus* etc. Desinit fol. 146. r. Post triplex *Amen* additur: *Explicit postilla venerabilis cardinalis et magistri sacre theologie super Apocalipsim.* Nomen auctoris proprium desideratur.

4. *Patavii,* bibliotheca sancti Antonii, cod. 272. ex duobus in unum compactus, membr. in fol. saec. XIV. Commentarius in Apocalypsim sequitur alium in Isaiam et incipit: *Premittitur autem huic libro* etc. Desinit ut in editis.

5. His addendi sunt alii tres codices, qui, teste Sbaralea (Supplem. p. 689 a), antiquitus notati erant in tabulario sacri Conventus Assisiensis. Hi exhibebant quandam postillam in Apocalypsim, cuius prologus incipiebat: *Spiritu magno* etc.; ipsum vero opus sive alius prologus eodem modo ut praenotati codices, scil.: *Premittitur autem huic libro prologus* etc. Istorum antiquior erat anonymus, in alio satis antiquo opus tribuebatur *Fr. Vitali Doctori sac. Rom. Ecclesie.* De his codicibus infra redit sermo.

Observandum est, in edito Commentario deesse ipsius *auctoris* prologum contra consuetudinem illius aetatis. Nec satisfacit ratio editoris, quod huic defectui suppleverit prologus Gilberti cum explicatione auctoris. Nam in aliis Commentariis nostri Doctoris, quamvis habeant prologum Hieronymi, tamen praecedit alius prologus auctoris. Non raro quidem in quibusdam *codicibus* prologi auctoris omittuntur, vel alius substituitur. Et cum in citatis codicibus nonnullis praecedat prologus, probabilius esse videtur, in duabus editionibus excidisse prologum auctoris. Hoc confirmatur eo, quod codices alligati post *praemittitur* addunt *autem*, quod in editionibus suppressum est, fortasse quia tale operis initium male sonat.

Deficientibus igitur testimoniis idoneis, unusquisque facile sibi persuadet, sententiam P. Bonelli sustineri iure non posse, nisi ille defectus suppleatur criteriis internis, quae indolem et stilum seraphici Doctoris luculenter prae se ferant. De his igitur nunc inquirendum est.

Secundo affirmamus, *argumenta ex indole operis a P. Bonelli deducta non sufficiunt ad probandum, immo alia graviora militant pro parte contraria.*

Prima eiusdem ratio est doctrinae et phrasium similitudo cum legitimis Bonaventurae operibus. Unde pro more suo praesertim in notis plura affert exempla sententiarum et verborum, quae etiam apud Bonaventuram occurrunt, nullumque dicit allegari auctorem, quem etiam Bonaventura non potuerit adhiberi.

Concedimus Patri Bonelli, auctorem huius Commentarii fuisse virum doctum et in s. Scriptura versatissimum, opusque quoad *doctrinam* non esse seraphico Doctore indignum. Concedi etiam potest quod P. Bonelli (Praelocut. n. 16.) dicit: « Qui hunc Commentarium legerit perinde fere sapiet, ac si multos alios legerit », praesertim cum ipse editor multorum posteriorum interpretum sententias in notis diligenter adiecerit. Manifestum est etiam, eundem auctorem fuisse Franciscanum et in doctrina librisque S. Bonaventurae versatum atque passim nonnulla fere ad verbum inde exscripsisse. Ita e. g. in Expositione prologi n. 25-28. totum illud, quod dicitur de quatuor Verbi conditionibus, quibus eliduntur quatuor haereses, paucis tantum omissis vel mutatis, transcriptum est ex S. Bonaventurae Comment. in Ioannem (infra pag. 246 seq.). Plurima alia notata sunt in adiectis notis. Nonnulla conveniunt cum dictis nostri Doctoris in Collationibus in Ioannem, quas editor non novit.

Sed iam diximus, auctores medii aevi, praesertim eiusdem Ordinis, maiori quam nunc conceditur libertate aliena consuevisse mutuari. Hinc in iudicando alicuius scripti auctore non tam haerendum est circa singula quaedam et particularia duo-

bus auctoribus vel *communia*, vel *similia*, sed potius tota indoles operis et proprietas stili examinanda et ponderanda est. Imprimis est attendendum, num in doctrina vel stilo inveniri possit *differentia* et *dissimilitudo*. — Instituto igitur circa haec examine, nobis persuasum est, ita hunc Commentarium differre a legitimis S. Doctoris scriptis, ut satis luculenter monstretur, ipsum compositum, vel saltem auctum et mutatum fuisse ab alio auctore.

Primo enim in eodem desideratur singulare illud seraphici Doctoris ingenium multa et diversa per quandam synthesim ad unum quoddam totum reducendi, sive totum aliquem librum sive principales partium sententias; quod manifeste se prodit in genuinis commentariis et facile perspicitur solo intuitu schematum, quae singulis subiunximus. Auctor vero huius Commentarii magis haeret in singulis particulis explicandis. Saepius eaedem sententiae ac verba ad taedium repetuntur. Item longiores repetitiones occurrunt, ut nexus partium ostendatur. Non raro quinque vel sex diversae expositiones per particulam *vel* coniuncta sibi succedunt. Haec omnia insolita sunt S. Bonaventurae.

Secundo, nonnullis locis quidam in modo loquendi excessus et exaggeratio deprehenditur; qui defectus alienus est a moderatione animi et modestia S. Bonaventurae. Ita col. 83 n. 68. legitur: « Tunc aderit *stultissimus* Plato cum discipulis suis ». Verum quidem est, sapientiam mundi comparatam sapientiae Dei recte dici *stultitiam*, sed ipsam Platonis *personam* S. Bonaventura alias nunquam vocavit *stultissimam*, sed potius ipsum laudat atque recenset inter *nobiles* philosophos (Hexaëm. Collat. VI. n. 1. 6-10.). Similiter col. 438 n. 664. « doctores philosophos, ut Platonem, Pythagoram et Aristotelem » dicit esse illos *serpentes*, de quibus est sermo Apoc. 9, 19.

Tertio, ipse P. Bonelli (Praelocutio n. 4.) confitetur, in pluribus locis esse « aliqua *duriuscula nimisque generalia* adversus eius aevi clerum atque praelatos » et nimis « acriter generaliterque dicta ». Huiusmodi verba dicta contra clerum, quin faciat ullam exceptionem, leguntur e. g. col. 74 n. 56: « Vere obscuratum est aurum Ecclesiae hodie, quia non lucet splendor sapientiae et scientiae... Tres machinae habent hodie Ecclesiam dissipare: perversitas in exsequendis iudiciis, temeritas in proferendis sententiis, pusillanimitas in corrigendis vitiis. Istae tres machinae dispergunt hodie lapides Sanctuarii. Nam nec praelati nec capellani nec alii clerici curant hodie de scientia catholica nec de Ecclesia, sed facti sunt laici vacantes otio in capite omnium platearum ». Similia etiam alibi et passim *sine restrictione* dicuntur. Non est dubium, quod ipse auctor velit, haec esse cum grano salis intelligenda et restringenda ad *multos*, sive *plurimos*, cum in alio loco confiteatur, bonos etiam esse praelatos. Sed in opere scientifico etiam *verba* non excedant oportet limites veritatis. In prima illa editione a P. de la Haye curata haec duriora adiectis verbis *multi*, vel *plurimi* temperata sunt, quas lectiones variantes P. Bonelli in notis ad calcem allegat. Ignoramus, utrum haec restrictio a primo editore sumta sit ex codice Antverpiano, an ab ipso suo marte adiecta.

Ut autem haec *duriuscula* non esse aliena a S. Bonaventurae modestia ostendat, Bonelli recte quidem dicit, eiusdem modestiam fuisse pari zelo coniunctam, ipsumque ad hanc correptionem esse compulsum a morum corruptione, qua clerus tunc laborabat. Profert etiam sententiam ipsius Bonaventurae, qui in Libello apologetico contra eos qui Ordini FF. Min. adversantur (q. 1. in fine) scripsit: « Clericis possumus in capitulis suis omnia pericula sua in sermonibus litteralibus seorsim (scil. a populo) ostendere cum reverentia caritatis et maturitate benigna ». Ad hoc confirmandum idem ex citato opusculo affert gravem hanc cleri inferioris reprehensionem: « Quam paucissimi in terris istis iam reperiuntur, qui debito more ministeria praestent animabus sibi commissis; quod nimis est miserabile; et qui aut defectu iuris, aut scientiae, aut vitae, aut diligentiae circa eas, aut liberae exsecutionis nihil habeat reprehensibile, aut quod eos tali officio reddat indignos. Quomodo vero tota Ecclesia per mala exempla clericorum et avaritiam corrumpatur et negligentiam deformetur et a statu debito elongetur, et quanta ex hoc quotidie peccata increscant, et quod bona negligantur per mundum, vix aliquis sufficit aestimare ». — Sed hoc exemplum parum assertioni P. Bonelli favet. Nam gravia haec verba, quae auctor protulit coactus, ut rem sibi assumtam probaret, ita spirant verum zelum pro gloria Dei et salute animarum, ut minime excedant terminos *veritatis*, cum loquatur cum restrictione, immo nec terminos *caritatis* et *reverentiae*.

Quarto, ipse editor (Prodr. col. 652 n. 8.) notat, auctorem huius Commentarii in quadam re non concordare cum Bonaventura, qui in collat. XV. [n. 3.] in Hexaëm. de antichristo dicit: « Aliqui volunt dicere, quod ad litteram erit de tribu Dan; utrum autem ita sit, non auderem affirmare ». In Postilla vero (n. 480.) dicitur expressis verbis, istum fore ex tribu Dan. Hanc obiectionem editor eo solvit, quod non sit hic proprie antilogia, et quod S. Doctor in ultimo suo opere, aetate grandior et doctior factus, priorem sententiam temperaverit. Certe haec res non est magni momenti.

Nolumus etiam multum urgere, quod in hoc Commentario inseruntur ultra 25 *themata sermonum* (ita saepe nominantur) satis diffuse exposita aliique excursus morales; id quod S. Doctor in Commentariis genuinis non facit.

Quinto vero, plus ceteris nos movet, quod in plurimis locis huius Commentarii magna verborum et stili differentia apparet, quae insinuat, auctorem non fuisse S. Bonaventuram, sed potius alium saeculi XIV. Ipse P. Bonelli hanc differentiam aliquo modo sensisse videtur. Licet enim alibi commemoret similitudinem doctrinae et *phrasium*, pro quo affert quosdam locos ex Bonaventura transcriptos; tamen in Praelocutione (n. 21.) scribit: « Quodsi etiam huius Commentarii stilus videretur paulo diversus ab aliis eiusdem libris; adhuc nulla causa esset, cur eidem abiudicaretur ». Idem in Praelocutione et in notis etiam allegat minutas quasdam res, quae a modo dicendi et connectendi S. Bonav. differre videntur, ut illud *continua*, *notate*, illud frequentissimum *ita dixi*, et interdum *bene dixi*, *vere dixi* etc. Sed haec vel similia in genuinis Commentariis interdum occurrere non negamus; nec haec magni esse momenti contendimus. Alia enim sunt et verba et dicendi modi, quae lectorem offendunt. — Praemittimus quandam observationem auctoris quidem suspecti, scil. Oudini, sed quoad ea quae sequuntur, non spernendi. Cum igitur Oudinus (loc. cit. col. 393) illud opusculum *Principium s. Scripturae*, de quo supra § 2. egimus, ex Bonaventurianis expungit, rationem accipit ex nimis barbaro et affectato huius scripti stilo. Sed de legitimis operibus Bonaventurae ait, in eis « nihil inveniri nisi grave, nihil infantile atque affectatum, licet stilus aliquando tantisper humilis sit »; item, non esse in eisdem dictionem barbaram; quae vocum barbaries invaluerit saeculo XIV, simul cum affectato et continuo usu *superlativo (eminentissimis*, *affluentissimis*, *perspicuissi-*

mis etc.). Sane Oudinus classico Latino addictissimus despexit latinitatem medii aevi tanquam signum barbariae veramque culturam fere posuit in adhibendis verbis Ciceronianis; saepe etiam halucinatus est, iudicans de legitimis vel spuriis Bonaventurae libris; nihilominus verum est quod dixit, post Bonaventuram invaluisse illam vocum barbararum abundantiam et stili affectationem.

Utriusque vitiosi defectus exempla abundant in hoc Commentario. Hoc patet manifeste ibi, ubi affert divisionum membra, quae constanter verbis inter se perfecte consonantibus exprimuntur. Saepe adhibet duplicem vel triplicem consonantiam. Non raro verba sunt ita artificialiter et curiose arcessita, ut satis pateat, auctorem pro more sui temporis magis ad verborum consonantiam quam ad sententiae et divisionis rectitudinem et linguae puritatem attendisse. Hinc non raro utitur vocabulis barbaris a Bonaventura nunquam adhibitis, ut *infastidibilis*, *incontristabilis*, *inobfuscabilis*, *inobscurabilis* et similibus plurimis, praesertim insolitis superlativis.

Pauca ex plurimis audiamus praedictarum divisionum exempla. Loquens de proprietatibus hypocritarum (n. 182.): « Peccata, inquit, aperiunt in stabulo iniquitatis; simplices fallunt sub pallio bonitatis; bonis invident et detrahunt lingua malignitatis; vanam gloriam quaerunt in saeculo vanitatis; cito pereunt et deficiunt in stagno foeditatis ». — Alia exempla sine delectu se offerentia sunt: « Nota, quod debet esse cor plenum caritate, os veritate, opus humilitate, oculus castitate, pes gravitate, manus largitate » (n. 186.). — « Humilitas impetrat superbientis malitiae triumphum eximium, supereminentis sanctimoniae copiosum donum, suppereffluentis gratiae dulcorosum iubilum, splendentis sapientiae luminosum radium, superexcellentis gloriae spirituale bravium » (n. 203.). — « Est tutela bellatorum ad proelium animatrix, dispersorum ad convivium congregatrix, damnatorum ad supplicium indicatrix. Sic vox Domini tuba buccinans ad proeliandum contra peccantium vilitatem, ad congregandum charismatum pluralitatem, ad formidandum aeterni supplicii gravitatem. Unde tuba illa erit primitiva monitionis... praemissiva citationis... exsecutiva discussionis » etc. (n. 254.). — « Thronus Christi hominis est aeternaliter fixus virtute Divinitatis... speculariter clarus splendore humanitatis... singulariter summus honore dignitatis » (n. 278.). — « Istud altare, scilicet signum crucis, est placativae oblationis, quia salus praevaricantium; protectivae munitionis, quia clypeus bellantium; ignitivae dilectionis, quia calculus amplexantium; suspensivae devotionis, quia titulus contemplantium » (n. 546.). Vix est pagina, in qua non occurrant similia exempla cum vocabulis novis ad consonantiam formatis. — Etiam Bonaventura in suis Commentariis quandam consonantiam imperfectam verborum passim habet, ut sic rerum memoriae serviat, sed moderate; quod facile videt qui schemata Commentariorum intuetur.

Haec curiositas et arcessita verborum consonantia praecipue invenitur in pluribus illis sermonum thematibus, quae passim inserta sunt. Magnam invenimus differentiam inter haec schemata sermonum et illa quae habentur in genuinis Collationibus in Ioannem. Ut lector de hac differentia ipse possit iudicare, subiungimus exemplum descriptum ex hoc commentario (n. 259-262.): « *Ascende huc, et ostendam tibi quae oportet fieri.* Verba sunt Iesu Christi, Virginis Filii, virginem Catharinam dulciter alloquentis. Unde ipsam primo invitat ad bravium superni culminis; secundo praesentat prodigium divini luminis: tertio declarat praesagium venturi temporis, vel trisagium prophetici carminis. Trahit vigor ad bravium, trahit splendor ad prodigium, trahit pudor ad praesagium: bravium in ascensu, ibi: *Ascende huc;* prodigium in aspectu, ibi: *ostendam tibi;* praesagium in eventu, ibi: *quae oportet fieri* ».

« Circa primum, ubi primo invitat beatam Catharinam ad bravium superni culminis, cum dicit: *Ascende huc;* sciendum, quod iam ipsa ascendit ad bravium magistralis splendoris, militaris vigoris, imperialis honoris. Quod probat efficacia verborum utilium, verba penetrant; sufferentia flagellorum crudelium, flagella intrant; honorificentia agminum caelestium, caelestia agmina honorant. De primo Isaiae quadragesimo: Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. De secundo Iudith octavo: Reputantes peccatis nostris haec ipsa supplicia minora esse: flagella Domini etc. De tertio Iudith decimo tertio: Percussit cervicem eius; et sequitur: Congyraverunt circa eam universi, illa autem ascendens eminentiorem locum iussit fieri silentium ».

« Circa secundum, ubi Christus praesentat beatae Catharinae prodigium divini luminis, cum dicit: *Ostendam tibi;* sciendum, quod beata Catharina aeternae lucis radio illustrata fuit. Acutissima in arguendo, quod probat periturum sive philosophorum confusio; Iob decimo tertio: Disputare cum Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacii. Apertissima in respondendo, quod probat occultorum obiectorum solutio; Iob trigesimo secundo: Respondebo et ego partem meam et ostendam scientiam meam. Subtilissima in exponendo, quod probat divinorum secretorum discussio; Isaiae trigesimo nono: Non fuit verbum, quod non ostenderet eis ».

« Circa tertium, ubi declaratur praesagium venturi temporis vel trisagium prophetici carminis, cum dicit: *Quae oportet fieri;* sciendum, quod summus opifex ab aeterno ordinavit, beatam Catharinam fieri vasculum puritatis angelicae, vehiculum veritatis deificae, triclinium Trinitatis magnificae. Puritas reddit ipsam insignem, et ideo imitanda est; Cant. primo: Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Veritas illustrem, et ideo veneranda; Psalmo decimo quinto: Notas mihi fecisti vias vitae. Trinitas celebrem, et ideo decantanda, vel invocanda; Cant. tertio: Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani etc. *Vox* ergo *prima, quam audivi,* dixit: « *Ascende huc* ». — Quis contendet, haec congruere altitudini et simplicitati seraphici Doctoris?

Ultimum pro sua opinione argumentum P. Bonelli (Praeloc. n. 20.) haurit ex consideratione temporis, quo opus esse scriptum (scil. inter an. 1255 et 1260) per coniecturam exploravit. Terminum, ante quem illud non potuit esse compositum, recte determinat contra P. de la Haye, ut supra vidimus; sed nullius momenti sunt rationes, quas affert quoad ultimum terminum, scil. an. 1260. — Prima eius ratio est, quod auctor (in expositione Prologi Gilberti n. 30. et deinde n. 462. et 536.) « in hoc Commentario putare videtur, B. Mariae conceptionem haud vacasse peccato originali »; cum autem Bonaventura in capitulo Narbonensi an. 1260 ordinaverit festum de Conceptione B. M. V. in Ordine celebrandum, P. Bonelli inde concludit, ab eo tempore eundem retractasse sententiam, quam tenuit in Commentario (III. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 1. 2; cfr. scholia). — Sed haec conclusio eliditur verbis S. Doctoris (ibid. q. 1. ad 4.), cum explicite affirmet, in casu, quod ista solemnitas celebretur, « potius referri ad diem sanctificationis quam conceptionis ».

Hoc autem confirmatur eo, quod praedicti festi celebratio minime impedivit, quominus post celebratum a multis annis illud capitulum Generalis Ordinis et cardinalis Matthaeus ab Aquasparta († 1302) in quadam inedita quaestione disputata, quam habemus exscriptam, piam sententiam, quae nunc ab Ecclesia definita est, multo acrius, quam Bonaventura improbaverit. Expressis etiam verbis contendit, festum huius conceptionis non posse celebrari « intuitu et consideratione sanctificatae seu sanctae conceptionis vel praesentis sanctificationis; et hoc modo conceptionem eius celebrare non est debitum, immo est superstitiosum et erroneum » (!). Certe erravit vir doctus; sed hic error post Bonaventuram in scholis adhuc valde communis ostendit, conclusionem P. Bonelli non esse legitimam. — Etiam iam famosus Fr. Ubertinus a Casali in suo libro *Arbor vitae crucifixae*, quem composuit 1304, adhuc non tenet veram sententiam (lib. I. c. 6.). Unde etiam Bonaventura, si fuisset auctor Commentarii (quod negamus), post an. 1260 tenere potuisset primam suam sententiam, sicut alii in Ordine Minorum etiam in principio saec. XIV. revera tenuerunt.

Altera ratio allata prorsus nihil valet, supposito quod alius a Bonaventura hunc Commentarium scripserit, et etiam in hypothesi editoris valde exiguum valorem habet. Arguit enim ex eo, quod auctor « declarans illud: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi* (Apoc. 7, 2.), ne verbum quidem faciat de B. Francisco, secus ac postea fecit in Prologo praedictae Legendae, cuius scriptio in Capitulo generali Narbonensi sibi fuerat demandata ».

Tertia editoris ratio sumitur ex nonnullis sententiis, quae aetatem S. Bonaventurae insinuare videntur. Sed exempla, quae afferuntur de reprobatione paupertatis (n. 574.), de persecutione contra clericos et religiosos (n. 899.), sunt ita generaliter dicta, ut aequo iure applicari possint primis decenniis saeculi XIV, quando Italia diris factionibus et saevitiis discerpebatur, et Philippo rege Galliae auctore, Bonifacius VIII. Anagniae (1303) aspere violatus est. Quae turbulenta facinora, oppressiones et thesaurorum ecclesiasticorum depraedationes, durante illo Avenionensi exilio Summorum Pontificum (ab an. 1305), passim fiebant. Hinc illi tempestati magis quam aetati S. Bonaventurae conveniunt verba, quae n. 1500. leguntur: « Sed quomodo hodie reges et alii terrarum principes eius [Ecclesiae] libertatem conservant? Certe non conservant, sed potius dissipant. Nam cum deberent eam defendere, conantur eius bona arripere et ipsam violenter opprimere et sponsam Christi ut venalem meretricem prostituere ». Pluries invehitur contra eos qui *depraedantur Ecclesiam et thesaurum eius diripiunt*, et praecipue contra « *civitatem Romanam* », quae accusatur, quod non tantum tempore antichristi, sed etiam illa aetate Ecclesiam persequatur (cfr. n. 1046. 1222. 1228. et alibi). Haec optime convenire tempestati exilii Avenionensis, praesertim in ore scriptoris Galli, manifestum est. Alia adhuc minoris momenti, quae habet Bonelli, brevitatis causa omittimus, ut graviora dicamus.

Ultimum argumentum nostrum ex eo sumitur, quod hic Commentarius in ea forma, quam habet in duabus editionibus memoratis, *non est opus prorsus originale, sed ex alio quodam anteriore Commentario formatum*, sed non *parum auctum et mutatum*.

Ipsa enim, ut ita dicam, medulla et substantia eiusdem invenitur in illo Commentario in Apocalypsim, qui inter opera S. Thomae impressus est (ed. Parmensis tom. XXIII. pag. 325-511). De Rubeis (Dissertationes criticae, diss. 7. c. 2. 3.) probat, eum abiudicandum esse S. Thomae, esse tamen scriptum saec. XIII. Revera inveniuntur codices huius saeculi, sed anonymi, qui eundem habent e. g. Brugis in Belgio, bibliotheca Civitatis cod. 70. membr. saec. XIII, qui quoad prologos et initium primi cap. perfecte convenit cum illa editione. Auctor eiusdem est incertus. — Huius Commentarii prologus incipit: « *Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram*... Quatuor sunt causae huius operis scilicet efficiens etc. ». Post hunc prologum, sed in editione Parmensi (pag. 326 a) immediate in eadem linea, sequitur ille prologus, quem habent ed. Bonelli et multi codices: « Praemittitur autem huic libro Prologus magistralis [scil. Gilberti, hic omissus], in quo fere omnia, quae diximus [Bonelli *dicemus*] praelibantur; et dividitur in quatuor partes » [Bonelli quinque]. Quae deinde pro explicatione Prologi Gilbertiani sequuntur, paucis mutatis, habentur apud Bonelli, sed in hoc plurima adduntur. Ita in ed. Parmensi deest totus iste locus exscriptus, ut diximus, ex Bonav. Comment. in Ioannem de quatuor conditionibus Verbi, quae elidunt quatuor haereses; item desunt omnes istae *moralitates* de tentationibus etc., quae revera prorsus a re tractata sunt aliena, ut facile appareat, ea esse additamenta posteriora et satis inepta. Praeter hanc in Prologi explicatione manifestam similitudinem, sive potius in substantia identitatem, eandem utriusque Commentarii relationem in primis, mediis et ultimis capitulis invenimus. Omnia illa sermonum schemata, omnes illae artificiose cum consonantia verborum formatae divisiones desunt in altero Commentario aliaque non pauca. Quaedam tamen in hoc habentur, quae apud Bonelli desiderantur. Sed ipsa textus explicatio plerumque etiam eisdem verbis exhibetur.

Quae cum ita sint, satis apparet, vel utrumque auctorem alio et eodem antiquiore commentario usum esse, vel unum eorum alterius opere. Quodsi hoc secundum contigit, satis apparet, Commentarium a Bonelli editum altero esse posteriorem.

Tot igitur et tam graves rationes satis ostendunt, ex catalogo operum S. Bonaventurae expungendum esse saepe laudatum Commentarium, saltem *in ea forma*, quam habet in editis.

Si autem quaeratur, quis fuerit auctor Commentarii a Bonelli editi, non desunt quaedam indicia, quae insinuant, fuisse Fr. Ioannem Vitalem a Furno Ord. Min., qui, natione Gallus, an. 1310 provincialis Aquitaniae, a Clemente V. 13 Dec. 1312 creatus est Cardinalis S. Martini in Montibus et a Ioanne XXII. episcopus Albanus, ac mortuus 16 Aug. 1227 (cfr. de eo Wadding. *Annales* ad an. 1323 n. 2. et *Scriptores Ord. Min.* sub voce *Vitalis*; item P. Denifle, Chartular. Univers. Paris. tom. II. pag. 117, docum. 760. et nota). Hic inter alia an. 1305 scripsit *Speculum morale totius s. Scripturae*, primo impressum Lugduni 1513, quam editionem prae manibus habemus, deinde Venetiis 1594 et 1600, teste eodem Waddingo. Ipse Bonelli (Praelocut. n. 17.) observavit, hunc Vitalem « pleraque fere ad verbum ex eodem [Commentario] in suo *Speculo totius sacrae Scripturae* mutuatum videri ». Reapse istud *Speculum* non tantum idem, quod iste Commentarius, tradit de *duodecim privilegiis* B. Mariae Virginis (tit. Assumtio) et de *triplici muro Ecclesiae* (tit. Ecclesiae) aliaque, sed habet etiam passim easdem vel similes divisiones. — Attamen Bonelli (Prodr. col. 648) negat, Vitalem fuisse auctorem dicti Commentarii, quia *aliam* scripserit postillam in Apocalypsim, quae « quamvis idem habeat

prologi initium, aliis tamen verbis exorditur primum caput (?) eiusdem, videlicet: *Spiritu magno vidit ultima* ». Non dicit, unde haec habeat. Sed Wadding. (*Scriptores* etc.) et distinctius Sbaralea (voce *Vitalis*) ita de Postilla huius Vitalis loquuntur: *Postilla in Apocalypsim:* Incipit prologus: *Spiritu magno vidit...* Incipit opus seu alius prologus: *Praemittitur autem huic libro prologus.* Porro post Waddingum et clarius asserit Sbaralea, hanc postillam in Apocalypsim una cum aliis eiusdem Vitalis commentariis, castigatam a Cardinali Sarnano, editam esse a Bernardo Iunta apud Societatem Minimam Venetiis 159... [sic], eamque haberi, ut supra diximus, secundum tabularium sacri Conventus Assisiensis in tribus codicibus, quorum unus inscriptus sit: *Frater Vitalis de Furno.*

Praedictae editionis a Sarnano curatae nullum vestigium nec Venetiis nec Florentiae nec Romae potuimus invenire; et citatis verbis non satis determinatis Waddingi et Sbaraleae indicari videtur, nec ipsos eam vidisse et examinasse. Si autem revera existit, examinandum esset, utrum praeter additionem illius prologi *Spiritu magno* etc., in aliis non differat ab editione a Bonelli facta, an potius conveniat cum Commentario Fr. Ioannis Guallensis (Guallensis, Wallensis), qui saec. XIII. scripsit Postillam in Apocalypsim, cuius prologus eisdem verbis incepit: *Spiritu magno vidit* etc., ipsum opus: *Cum in sacra doctrina revelata...* De huius Postillae auctore Guallensi testantur tum antiquus catalogus bibliothecae Tudertinae, tum eiusdem cod. 68. membr. saec. XIV, tum alius *Wratislaviae*, in bibliotheca Univers. cod. 78. chart. in fol. Alibi invenitur anonyma.

Sed ex tota huius capituli disquisitione patet, quam difficile sit in hac re tam obscurata codicum varietate et contradictione attingere veritatem; unde cavendum, ne praecipiti iudicio quidquam affirmemus, aut negemus. Quapropter nolumus diiudicare, quis composuerit postillam a Bonelli editam, dummodo non attribuatur Bonaventurae.

Obiter tantum notamus, in quodam Commentario S. Bernardino Senensi attributo et in Operum eius editione Veneta (tom. V.) impresso, non pauca haberi, quae prorsus conveniunt cum dictis toties memorati Commentarii, ut Bonelli in suis notis animadvertit.

Denique nolumus silentio dissimulare gravissimam iniuriam, quae occasione huius Commentarii, sed sine ullo fundamento, honori seraphici Doctoris illata est. Vir iam defunctus, eruditione sua notus, sed lugenda apostasia notior, Ign. *Döllinger* in quadam oratione academica asseruit, cardinalem Bonaventuram, celeberrimum theologum, in suo Commentario in Apocalypsim illum de meretrice locum applicuisse *Sedi Romanae* (auf den römischen Stuhl). Ita enim verba *civitas Romana* interpretatus est. Quod Bonaventura non sit auctor huius libri, ille non potuit ita facile scire, sed quod contra manifestum locorum ab ipso citatorum et totius Commentarii sensum ea quae contra *Romanos* dicta sunt, distorqueat contra *Sedem Romanam*, quo intelligitur ipse Summus Pontifex, hoc eo magis vituperandum est, quia ipse P. Bonelli pluries et copiose in notis verum sensum auctoris clare demonstravit. Alioquin notissimum est, aliud esse *civitatem Romanam*, aliud *curiam Romanam*, aliud *Sedem Romanam.* Contra *civitatem Romanam* auctor saeculi XIV, praesertim Avenione commorans, iuste querelas proferre potuit, tamen passim loquitur de Roma civitate, qualis *futura* sit tempore antichristi. — In toto illo Commentario ne verbum quidem invenitur contra Summum Pontificem vel Sedem Romanam, nec nominatur *curia Romana*, quamvis auctor saepe perstringat malos praelatos, sacerdotes et religiosos (de hac calumnia cfr. liber cl. P. Dr. Emil Michael S. I., Ignaz von Döllinger. Innsbruck, Fel. Rauch 1892. pag. 537 seqq.).

CAP. II.

De genuinis huius voluminis Commentariis in s. Scripturam.

§ 1. **Referuntur Commentarii, qui in antiqnis indiculis S. Bonaventurae attribuuntur.**

In Prolegomenis ad tom. V. pag. LV non pauci indiculi quam brevissime relati sunt, qui a P. Bonelli (Prodr. lib. V. col. 213 seqq.) notis explicantur. In his et quibusdam aliis commemorantur Postillae Bonaventurianae, quae sequuntur:

1. Fr. Salimbene Parmensis in Chronicis: « Fecit Lecturam Parisiis super totum Evangelium Lucae, quae pulcra et optima est ».

2. Ptolomaeus Lucensis Ord. Praed. (scripsit circa 1312-1317): « Et postillavit aliquos libros Bibliae, sicut libros Salomonis, Iob et Epistolas Pauli ».

3. Martinus, Monachus Fuldensis (post medium saec. XIV.): « Multos libros Bibliae postillavit, sicut libros Salomonis et Iob et Epistolas Pauli et alia multa ».

4. Bartholomaeus Albitius Pisanus (1399): « Postillavit excellenter Evangelium B. Lucae » (et multa alia).

5. Anonymus Stronconiensis exscripsit Pisanum, sed substituens *Librum Pharetrae* pro *Regula Novitiorum.*

6. Gulielmus Vorrilongus († 1464): « Expositiones mirificae in textum Bibliae ».

7. Iacobus Oddo in Speculo Minorum exscripsit Barth. Pisanum.

8. Franciscus Samson (vide supra c. 1. § 2.): « Item, scriptum super Evangelio Ioannis. — Item super Evangelio Matthaei. — Item elegantissime scriptum super Evangelio Lucae. — Item scriptum super Evangelio Matthaei [Haec repetitio fortasse respicit tantum cap. VI. Matthaei].

9. Antonius Eugubinus [in processu pro canonizatione S. Doctoris]: « Item, utilissima et compendiosa scripsit super Evangeliis et maxime super Evangelio Lucae Evangelistae ».

10. Octavianus de Martinis [in oratione coram Sixto IV.]: « Super Evangeliis copiose et utiliter scripsit, Lucae praesertim ».

11. Ioannes Trithemius: « Super oratione dominica Lib. I. *Pater noster. Oratio haec privilegiata.* — In Evangelium Ioannis Lib. I. *In principio* etc. — In Evangelium Lucae Lib. I. *Spiritus Domini super me.*

12. *Marianus Florentinus* († 1523): « Expositio copiosa et utilis super Evangelia, Lucae praesertim. — Principium in libros s. Scripturae. Incipit: *Ostendit mihi Dominus.* — Expositio orationis dominicae. Incipit: *Oratio haec privilegiata est* ».

13. Robertus de Licio († 1495): « Super quatuor Evangelia, praecipue super Lucam ». Similia repetunt Alexander Ariosti, Albertus Castellani aliique.

14. Fr. Ludovicus Rutenus in suo Trilogio animae: « De expositione orationis dominicae », quod opusculum allegat etiam Bernardinus de Bustis.

15. Ioannes Mahusius Ord. Min. nominatus episc. Daventrensis (+ 1572): « In librum Iob — In Canticum Canticorum — In duodecim Prophetas Minores — In Lucam — In Marcum et Matthaeum — In omnes Epistolas D. Pauli — In Epistolas canonicas » etc.

16. Gulielmus Eisengreinius (an. 1565): « In Evangelium Lucae — In Evangelium Ioannis ».

17. Sixtus Senensis, Biblioth. sancta (1566): « Scripsit in Psalmum 118. scholasticam Postillam incipientem: Halleluia, laus et gloria — In Lucae Evangelium scholasticam Postillam, quae incipit: *Spiritus Domini* — In Ioannem Postillam, quae incipit: *In principio* ».

18. Franciscus Gonzaga (de Origine Seraphicae Religionis): « In Evangelium Lucae — In Evangelia et Epistolas per annum ».

19. Ioannes Franciscus de Pavinis (in Relatione ad Sixtum IV. circa canonizationem S. Bonav.): « Super quatuor Evangelia — Super Ecclesiasten — Super Lucam; incipit: *Spiritus Domini* ».

His et nonnullis posterioribus indiculis, in Prodromo relatis addimus quae sequuntur:

20. Notatu dignae sunt Postillae, quae Bonaventurae tribuuntur in antiquo documento, publicato a cl. P. Denifle O. Praed. in Chartulario Univ. Parisiensis tom. I. pag. 647, quod taxat pretium solvendum a scholaribus, quibus librarii librum commodabant. Haec taxatio secundum editorem facta est inter annos 1275-1286, cui convenit Echard. (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 2446), qui interdum hoc documentum citans dixit, illud factum esse ante an. 1300. Haec ibi leguntur:

Hec sunt scripta fratris Bonaventure de Ordine fratrum Minorum scilicet:

Postille super Lucam continent pecias LXXIII. III sol.

Item, Postille eiusdem super Ecclesiasten XIII pecias VI den.

Item, Postille super Canticum Canticorum XIII pecias VIII den.

Item, Postille super librum Proverbiorum continent pecias XXXVII XX den.

Item, Postille super Canticum Canticorum XV pecias VIII den.

Item, Postille super librum Sapientie X pecias VI den.

Item, Postille super Apocalypsim XXIII pecias V den.

Item, Postille super Epistolas canonicas XV pecias VIII den.

Item, super Sentencias pro primo libro II sol.

Pro secundo III sol.

Pro tertio II sol.

Pro quarto II sol.

Tunc sequitur post intervallum maius

Pro textu Bibliae etc.

21. In catalogis antiquis Tudertinae bibliothecae S. Fortunati (de his cfr. tom. V. Prolegom. c. 1. § 2.) haec commemorantur Commentarii S. Bonaventurae. In antiquiore catalogo, scripto circa 1300 (cfr. Bonelli Prodr. col. 479, et Leonii novus Catalogus pag. 185):

1. « Postilla Fratris Bonaventure super Ecclesiastes (sic) et Gallensis super Apocalypsim ».

2. « Item Postille Fratris Bonaventure super Lucam et Postilla super Threnos, Libros (sic) Sapientie et Apocalypsim ». — Observandum est, his verbis non omnino excludi dubium, utrum etiam tres posteriores Postillae Bonaventurae adscribantur, an in eodem codice ut anonymae contineantur; in altero tamen catalogo inter annos 1334-1342 scripto clare legitur: « Postilla Bonaventure super Lucam et super Threnos et libros Sapientie et Apocalypsim ».

3. « Item, Postilla Fratris Bonaventure super Ioannem ». Referuntur etiam duo alia exemplaria Commentarii in Lucam.

Vix credibile est, S. Bonaventuram *scripsisse* omnes Postillas, quae in aliquibus indiculis, praesertim n. 15. et 20. commemorantur. Quod tamen complures deperditae sint, non est improbabile, praesertim si supponamus, quod non sint ab ipso scriptae et editae, sed potius ex eius ore exceptae sive *reportatae* et ab aliis ampliatae; quod insinuat illud non satis certum documentum, quod in tom. V. pag. LXI n. 26. exscripsimus.

§ 2. **Explicatur, unde saepe oriatur difficultas discernendi genuinos medii aevi commentarios a spuriis, vel saltem mutatis.**

Qui inspicit codices in praecedente et in hoc capitulo a nobis recensitos vix non mirabitur, quod tot codices exhibeant postillas vel anonymas vel in nominando auctore sibi contradicentes. Idem observare licet percurrenti libros celeberrimi Echardi *Scriptores Ord. Praed.* et Waddingi *Scriptores Ord. Min.* cum Hyac. Sbaraleae *Supplemento*. Accedit et magis confundit, quod idem commentarius non raro invenitur diversis indutus formis: modo brevior, modo diffusior, nec raro habet alios prologos, aut plures distinctos. Quoad postillas huius aetatis in Scripturam idem fere fit, quod cl. P. H. Denifle Ord. Praed. (Archiv für Kirchengeschichte und Litteratur VI. pag. 373 seq.) observat de sermonibus eiusdem aetatis, quod scilicet idem sermo mira varietate in diversis codicibus et terris sit mutatus et pluribus auctoribus attributus.

Putamus autem, huic confusioni auctorum praeter alia aliquam occasionem praebuisse institutam rationem et consuetudinem Universitatis Parisiensis. Absolutis enim studiis passivis, annorum septem pro saecularibus, sex vero pro regularibus, ut aliquis fieret *baccalaureus formatus*, primo explicare debebat s. Scripturam. Statutum enim erat, « quod quilibet baccalaureus, antequam sententias legat, tenebitur legere *duos cursus* de veteri et novo testamento, nec cum aliquo dispensabitur » (P. Denifle, Chartul. Univers. Paris. tom. II. pag. 699 n. 28.). Saeculares enim hi baccalaurei, *cursores* nominati, unum librum ex veteri, alterum ex novo testamento legere debebant; mendicantes autem Bibliam continuo et breviter legebant. Quod iuniores hi lectores studia et labores antiquiorum auctorum non raro in usum proprium sibi adaptaverint et deinde aliis communicaverint, satis probabile esse videtur. Exemplum manifestum praebet codex in § 3. n. 2. descriptus, et etiam plures alii ibi et § 4. recensiti. Hinc facile fieri potuit, ut idem commentarius varie mutaretur aliisque auctoribus adscriberetur.

Specialiter autem notandum est, quod legitimus Commentarius S. Bonaventurae in Ioannem et quidam alii aliorum auctorum et in codicibus et in libris impressis publicati sunt sub nomine Nicolai de Gorran Ord. Praed., sed cum multis additionibus. Ut de hoc recte iudicari possit, aliqua de hoc Fr. Nicolao excerpenda sunt ex saepius allegato opere Echardi (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 437 a seqq.), qui diffuse de eiusdem operibus tractat. Dicit igitur, eum fuisse ante an. 1280 Priorem Conventus Parisiensis S. Iacobi ac confessorem regis Philippi IV. et obiisse circa 1295; ipsum totum vetus testamentum egregiis

postillis explicasse (ut aliqui tradiderunt). De singulis postillis loquens notat, plures earum etiam aliis tribui, et anceps est, cui attribuendae sint Postillae in Epistolas S. Pauli: *Dedi te in lucem gentium*, quae pluries impressae sunt sub nomine Gorrani, utrum scil. ipsi, an Fr. Petro a Tarantasia (Innocentio V.), cui a contemporaneo Petro a Palude ascribuntur. — Sed de hoc dubio P. Fidelis a Fanna (Ratio novae collectionis etc. pag. 130 in nota) dicit: « Ego vero quaestionem hanc certissime solvere possum, quia multos codices optimae notae reperi eadem commentaria Petro a Tarantasia adserentes ». Et reapse sic est. — Porro de quadam postilla in Actus Apostolorum notat Echard., eam incipere: *Scribe visum et explana eum*, et pluries editam esse sub nomine Gorrani, sed ipse indicat (pag. 441 a): « Gorrano abiudicanda videtur, seu quae ipsissima sit totidem verbis a capite ad calcem, ut aiunt, Hugonis a S. Charo ». — Porro de alia postilla habet: « Etsi Postilla primae ad Corinthios eodem versu Scripturae: *Enoch placuit Deo*, incipiat, quo excusa sub nomine Gorrani, id solum probare, auctorem impressae usum Postilla Guerrici (scil. Fr. Guerrici de sancto Quintino Ord. Praed. circa an. 1244), cui tamen plura addiderit; sic idem in Epistola ad Ephesios usus est Commentario S. Thomae de Aquino, prologum totidem verbis exscripsit et cetera fere omnia, ita tamen, ut identidem plura adiiciat ». Haec Echardus.

Ignotum fuit Echardo, quod etiam aliorum auctorum Commentarii simili modo in codicibus inveniuntur sub nomine Nicolai de Gorran, in specie Commentarius S. Bonaventurae in Ioannem, de quo infra plura. Non igitur sine fundamento scripsit P. Fidelis a Fanna (loc. cit. pag. 129): « Familiare enim fuit Gorrano aliorum scriptis sic uti, ut plura eisdem de suo identidem addens, aliis postea quae aliorum sunt eius esse videreatur ». — Haec breviter dicenda erant, ut constaret, quam auctoritatem habeant codices a nobis citandi, qui aliquod opus Gorrano tribuunt.

§ 3. **De Commentario in Ecclesiasten.**

Prologus incipit: *Beatus vir, cuius est nomen Domini... Cum, sicut vult beatus Dionysius.*

Soli editores Veneti (Diatribae pag. 106 seq.) hunc Commentarium S. Bonaventurae abiudicant; sed rationes, quibus opinionem suam fulcire nituntur, sunt manifeste falsae et iam a Sbaralea (Supplem. pag. 172) et Bonelli (Prodr. col. 631) satis discussae et confutatae. Ne acta agamus, sufficiat hic breviter notare, falsum esse quod Veneti dicunt, nomenclatores de hoc Commentario Bonaventurae silere. Nam praeter Ptolomaeum Lucensem memorant eum catalogi supra § 1. n. 19. et 20. relati. Accedit testimonium plurium codicum bonae notae infra relatorum. Item nullius est momenti, vel potius falsum, quod iidem dicunt, quod expositor sit « plus iusto curiosus ac in philosophorum systematibus indagandis explicandisque nimio plus versatus. A qua re semper alienus fuit Bonaventura ». Ipse enim liber Ecclesiastae expositori occasionem dedit quasdam quaestiones philosophicas vel physicas tangendi; et hoc fecit auctor admodum sobrie et breviter, sicut etiam in aliis operibus facere solet.

Ceterum et doctrina et stilus redolent ingenium seraphici Doctoris (cfr. Prodr. loc. cit.), praesertim prologus, qui invenitur etiam in collectione Sermonum Bonaventurae, quem habet cod. antiquus Tudertinae bibliothecae.

Prima huius Commentarii editio facta est Venetiis 1559.

I.

Codices a nobis cum editione Vaticana collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, cod. membr. in fol. saec. XIV ineunt. exaratus. Expositio incipit fol. 1. v., cui prima manus praemisit: *Postilla super Ecclesiastes et Epistolas Pauli.* Deinde col. 1. *Beatus vir... falsas. Cum sicut beatus Dionysius* etc. Desinit fol. 29. r. col. 1. per verba: *in conspectu iudicis cuncta servantis. Explicit.* — In nostra editione signatur littera A.

De hoc codice locutus est P. Fidelis a Fanna (Ratio etc. pag. 201-206) eumque littera S signavit. Cum observasset, in ipso esse multa additamenta ad editionem Vaticanam, putavit, lacunas editionis explendas esse ex hoc codice. Speciminis gratia utrumque textum ex adverso imprimi curavit, ut lector uno conspectu videret differentiam inter utrumque. Nos autem, editionem novam parantes et attentius codices collatos considerantes, vidimus, in antiquioribus codicibus deesse illa additamenta, et quod maioris momenti est, eadem esse exscripta ex aliis auctoribus v. g. quae in expositione prologi addita sunt, ex Britone, alia multa ex Commentario Card. Hugonis a S. Charo, vel ex Glossis. Unde tuto concludere potuimus, istum codicem non esse aptum ad lacunas explendas, nec additamenta ipsius in textum recipienda. Excepta hac differentia, in aliis convenit cum melioribus codicibus. — Est anonymus, quod facile ex praedictis explicatur.

2. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis Iagellonicae, cod. A. A. XII. 2. chart. in 4. saec. XV. In asseri exteriore legitur: *Postilla Bonaventure super Ecclesiasten.* Incipit fol. 1. r.; sed prologo sancti Bonaventurae praemittitur alius ignoti auctoris, qui sic exorditur: *In nomine Domini* etc. *Et quia aggressus sum librum Ecclesiastis, qui plenus est divina sapientia.* Circa finem continuat: *assumo verbum Prophete, qui dicit: Beatus vir cuius est* etc. Desinit fol. 122. v.: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.* — Signatur littera F.

In hoc codice textui originali adhuc multo plura adduntur, quam in praecedente. — Ex prologo valde diffuso et satis confuso nonnulla exscribimus. Post quandam exhortationem ad auditores continuat: « Assumo mihi verbum pro fundamento acquisitionis sapientie et recommissionis sacre theologie scriptum (Act. 2.), videlicet hoc: *Cecidit sors super Mathiam*, quod repetitum (?) in quatuor libris sententiarum per me primo assumtum in principio cursus mei ». Ex quo patet, hunc prologum esse id quod tunc nominabatur *principium sacrae Scripturae*, de quo c. 1. § 8. locuti sumus, seu ea prima lectio, qua baccalaureus quidam suum *cursum*, id est expositionem huius libri incepit. — Circa finem ita transit ad textum S. Bonaventurae: « Dixi tertio de speciali recommissione sapientie et scientie huius libri Ecclesiastes. Assumo verbum Prophete, qui dicit: *Beatus vir, cuius nomen* » etc. *Dicit beatus Dionysius*, ut in editis, sed cum multis variantibus, et passim additamenta occurrunt, quae non raro integram paginam explent. Explicite citat ipsum Bonaventuram, dum exponens initium huius libri, scil. *Verba Ecclesiastes* etc., plura addit et scribit: « Tempore enim Salomonis, *ut dicit bonaventura*, sapientie studium viguit in Ierusalem, quia » etc. Item, in expositione versus 1, 6: « Haec littera *secundum bonaventuram* sic exponitur ». — Manifestum igitur est, ignotum quendam baccalaureum pro sua prima lectione sibi accommodasse opus S. Bonaventurae.

3. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 268. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis (olim liber sanctae Mariae in fonte salutis). Folio 1. r. in superiore parte praemittitur: *Incipit bona postilla parisiensis super Ecclesiasten. Beatus vir* etc. Desinit fol. r.: *in conspectu iudicis cuncta servantis. Explicit.* — Sign. litt. B.

Cod. est inferioris pretii quam E G, tamen plerumque convenit cum eisdem.

4. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15573. (olim 81. Sorbonicus) membr. in fol. saec. XIII. In capite fol. 2. r. legitur a prima manu exaratum grandioribus litteris: *Prologus.* Deinde col. 1: *Beatus vir* etc. Desinit fol. 30. r. col. 1. in fine: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.* Post haec eadem prima manus addidit: *Explicit super Ecclesiasten secundum fratrem Bonam venturam, et sunt peroptima scripta.* — Sign. litt. E.

Hic optimas habet lectiones et convenit cum sequente 5. perantiquo, ex quo exemplari videtur esse transcriptus.

5. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 14429. membr. in fol., exaratus an. 1267. Incipit fol. 1. r. cum titulo: *Postilla super Ecclesiasten.* Desinit fol 49. r.: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.* Deinde additur: *Iohannes hoc fecit, quem beata virgo Maria adiuvet. Explicit super Ecclesiasten secundum fratrem Bonam venturam et sunt peroptima scripta.* — Sign. litt. G.

Hic tantae antiquitatis codex auctoritate et valore ceteros antecellit et etiam praecedenti E ab ipso transcripto suam auctoritatem communicat. Cum cod. E iam antea a quodam nostro collaboratore cum editis collatus esset, continuo apparuit, primum ita perfecte cum antiquiore G convenire, ut in hoc vix nova lectio alicuius momenti inveniri potuerit. Unde post prologi et primi ac secundi capituli collationem labor conferendi non est continuatus. Pro ipso igitur in ceteris supplet cod. E.

6. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. 9. membr. in fol. maximo, saec. XIV. Continet etiam textum Bibliae cum Glossis et commentariis in omnes libros Salomonis sine nominibus auctorum. Codex pereleganter scriptus, litteras omnes initiales habet auro et coloribus splendide ornatas ac depictas. Commentarius sancti Bonaventurae incipit fol. 61. r. col. 1: *Beatus vir* etc. Desinit fol. 86. v.: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.* — Sign. litt. D.

Quod saepe in manuscriptis antiquis observatur, hoc etiam de isto dicendum est, nempe quod valor internus non respondet pulcritudini codicis et scripturae. Ita enim corruptus est omissione verborum et partium textus, ut interdum non praebeat sensum.

7. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 68. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Alia manus saec. XIV. praemisit: *Postilla super Ecclesiasten. Beatus vir* etc. Desinit. fol. 23. r. col. 2. ut in editis. Hinc grandioribus litteris: *Explicit Ecclesiastes.* Secunda manus, sed primae coaeva, addidit: *Unde versus:*

Linea, mysterium, velamen, fama pudoris,
Solamen, testis lapidatio, prolis honestas,
Hec sunt, cur sponso tradita virgo fuit.
Pius dominus, qui pie penitentibus aut peccata dimittit,
Aut ad memoriam reducere facit. Deo gracias.

— Sign. litt. C.

Cod. est satis bonus et plerumque convenit cum codd. E G.

II.

Codices a nobis non collati.

8. *Basileae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. III. 20. membr. in fol. grandiore saec. XIII. exeuntis. Commentarius incipit fol. 97. r., cui scriptor saec. XIV. praemisit: *Postille super librum Ecclesiasten secundum fratrem Wilhelmum de Altona ordinis Predicatorum magistrum theologie Parisius.* Prologus est omnino diversus a genuino sancti Bonaventurae, sed commentarius est idem, identidem tamen vel auctus, vel diminutus. Desinit fol. 114. r. col. 1: *ante oculos agitur iudicis cuncta cernentis.* Hinc adduntur nonnulla verba, quorum finis talis est: *Forsitan propitiabitur mihi, quam propitiationem nobis concedere dignetur, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Explicit opus fratris Guillelmi de Altona ordinis* (alia manus saec. XIV. prosequitur) *fratrum Predicatorum doctoris in theologia Parisius.*

9. *Burdigalae* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 38. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Incipit fol. 2. r.: *Beatus vir... Cum sicut vult beatus Dionysius* etc. Desinit fol. 30. r.: *in conspectu iudicis cuncta servantis. Expliciunt Postille super Ecclesiasten fratris Bonaventure, de domo minorum.*

10. *Divionum* in Burgundia, bibliotheca Publica, cod. 43. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. vel ineunt. XIV. Incipit fol. 1. r. praemissis verbis: *Super Ecclesiasten*, absque alia nota. Desinit fol. 34. r.: *in conspectu iusti iudicis cuncta intuentis.*

11. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina, cod. 140. membr. in fol., exaratus anno 1345. Commentarius in Ecclesiasten incipit fol. 67. r. verbis: *Beatus vir* etc. *Sicut vult beatus Dionysius.* Plurima adduntur mutuata ex commentario Hugonis Cardinalis a S. Charo, praesertim in posterioribus capitulis. Desinit fol. 108. v.: *quod caret intentione pie humilitatis, aut ratione iuste necessitatis, sive bonum sive malum, quod factum est, supple.*

12. *Londini*, Collectio regia, cod. 2. C. VII. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius in Ecclesiasten incipit fol. 108. r. absolute: *Beatus vir* etc. Desinit fol. 130. v. col. 2, additur: *Expliciunt Postille super Ecclesiastes*, tacito nomine auctoris.

13. *Metis* in Lotharingia, bibliotheca Civitatis, cod. 478. membr. in fol. minore, olim Conventus beatae Mariae Coelestinorum de Metis. Commentario praemittitur: *Postilla Bonaventure*, et fini subiicitur: *Explicit expositio Bone venture super Ecclesiasten conscripta anno Domini M. IIIc. XLVI. secunda die post Pascha.*

14. *Parisiis*, bibliotheca Mazarina, cod. 1276. membr. in fol. saec. XV. ineuntis. Commentariò deest prologus, incipit enim a verbis: *Memini. Huic libro premittit Ieronimus prohemium.* Desinit ut in editis. A manu saeculi posterioris addita sunt haec verba: *Expliciunt Postille fratris Bone venture super Ecclesiasten.* Manus adhuc recentior notavit haec alia. *Iste liber est theologis collegii de Campania ex legato magistri Petri de Parrochia, quondam magistri grammaticorum dicti collegii: pretii XX. f.*

15. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 472. membr. in fol. saec. XIV. (olim Carmelitarum Parisiensium). Commentarius incipit fol. 1. r., cui manus alia, sed primae coaeva praemisit hanc rubricam: *Postilla Bone venture super Ecclesiasten.* Haec eadem repetit in fine, quem excipit fol. 33. v. col. 2: *Dum cuncta agimus in conspectu iudicis cuncta cernentis.*

16. *Ibidem*, bibliotheca Arsenalis, cod. T. L. 531. miscell. in fol. parvo saec. XV. Fol. sine num. v. praemittitur Commentario sequens rubrica: *Tractatus beati Eustachii, qui et Bonaventura, super Ecclesiasten doctoris seraphici.* Prologus sequitur ut in editis. In fine iterum: *Explicit expositio beati Eustachii Banaventure super Ecclesiasten.*

17. *Patavii*, bibliotheca Conventus sancti Antonii, cod. 271. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Incipit post alia opera: *Beatus vir* etc.; desinit: *in conspectu iudicis cuncta servantis.* In decursu Commentarii nonnulla desunt, ut etiam innuunt sequentia verba ad calcem posita: *Postilla ex Postilla fratris Bonaventure, et facta est immutatio modica valde hinc inde.*

18. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 918. membr. in fol. parvo saec. XIV. Scriptor initio Commentarii praemisit titulum sub hac formula: *Postilla fratris Bonaventure super Ecclesiasten.* Haec eadem verba repetuntur in fine, tum additur: *Dicas unum ave Maria et unum Pater noster pro anima fratris Thome, qui hunc librum scripsit, pro remedio anime sue. Iste liber est Monasterii sancti Iohannis in Seyts Ordinis cartusiensis.*

19. *Ibidem*, cod. 612. membr. in fol. Pars codicis, quae continet expositionem in librum Ecclesiastae, exarata fuit saec. XIV. Expositio ipsa mutila est, sine prologo et passim interpolata. De alia parte huius codicis egimus tom. V. pag. V. n. 1.

20. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. F. V. 23. membr. in fol. minore saec. XIV. Incipit fol. 1. r. col. 1. sub rubrica: *Expositio super librum Ecclesiastes. Beatus vir... Cum, sicut dicit beatus Dionisius* etc. In fine, fol. 38. r. col. 9. post verba: *in conspectu iudicis cuncta cernentis,* idem scriptor addidit haec alia: *Explicit lectura super librum Ecclesiastes, quam de diversis Postillis recollegit frater Iacobus de Cessolis Ianuensis ordinis fratrum Predicatorum. Deo gracias Matri eius et beato Dominico. Amen.*

21. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. I. III. 15. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Commentarius incipit fol. 1. r. sine ullo titulo et desinit fol. 36. his verbis: *Det igitur Deus nostris precibus efficaciam, ut videamus tunc faciem eius placitam. Amen.*

22. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 1410. (olim Claraevallis E. 26.) membr. in fol. parvo saec. XIII. exeuntis. Post alia incipit expositio in Ecclesiasten fol. r. non numerato: *Beatus vir* etc. Desinit ut in editis: *in conspectu iudicis cuncta cernentis. Explicit.*

23. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. 182, quem iam descripsimus tom. V. pag. XXVIII n. 15. et pag. XLV n. 1. Continet tantum prologum in Ecclesiasten, qui, paucis immutatis, refertur in integrum ad instar sermonis in honorem sancti Antonii Patavini a fol. 149. v. ad sequens, ubi desinit his verbis: *In quibus docet celestia diligi maxime ipsum sponsum;* vide pag. 5 n. 13. huius voluminis.

24. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1463. membr. in fol. saec. XIV. Incipit fol. 46. r. sub titulo: *Expositio super librum Ecclesiasten. Beatus vir* etc. Desinit fol. 65. v.: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.*

25. *Ibidem*, cod. 4879. chart. in folio. Commentarius est mutilus in principio, ut recte notatur a manu recentiore fol. 130. r. in margine superiore hoc modo: *Prologus Bonaventure hic deficit, et expositio eiusdem est in veritate.* Desinit fol. 153. ut in editis. Additur: *Expliciunt Postille Bonaventure super Ecclesiastes. Anno incarnationis 1345.*

Ex horum codicum recensione satis apparet, confirmari id quod supra § 2. diximus, ac simul, cum inscriptio decem codicum, quorum quidam (n. 5.) auctoritate prorsus singulari pollet, testimonium reddant in favorem nostri Doctoris, certum omnino reddi, quod S. Bonav. sit legitimus huius operis auctor. Nihil obstat, quod in codicibus n. 8. et 20. descriptis nominantur duo alii auctores huius postillae. Primus, *Wilhelmus de Altona* Ord. Praed., teste Echardo (loc. cit. pag. 244 a), fuit magister Parisiensis, florens inter an. 1260-1270, et scripsit praeter alias etiam *Postillam in Ecclesiasten*, quam Echard. vidit in quodam codice an. 1267. Sed haec, eodem teste, aliud habuit initium aliumque finem ac Bonaventuriana. Cum autem auctor postillae n. 8. descriptae textum originalis hinc inde mutaverit aliumque praefixerit prologum, probabile videtur, hanc mutationem factam esse «*secundum* fratrem Wilhelmum de Altona». Alter auctor, *Fr. Iacobus de Cessolis*, Ord. Praed., in fine postillae ingenue fassus est, quod eam collegerit de *diversis postillis*, ita ut textui Bonaventuriano, ut videtur, aliqua addiderit vel mutaverit aliunde sumta.

§ 4. De Commentario in librum Sapientiae.

Incipit prologus: *Diligite lumen sapientiae omnes* etc. Post Prologum Hieronymi incipit expositio: *Liber Sapientiae* etc. *Hic est prologus, quem praemittit Hieronymus.*

Hic Commentarius primo editus et S. Bonaventurae inscriptus est Venetiis an. 1574 in 8. apud Franciscum Salvionum, simul cum Commentario eiusdem in *Lucam* et in *Lamentationes Ieremiae*, deinde in Vaticanam et subsequentes editiones receptus. Oudinus, Sbaralea, Bonelli (Prodr. col. 633) ipsique editores Veneti (Diatribae pag. 871) censent opus hoc esse certo genuinum et seraphico Doctori dignum.

Ingenue fatemur, deesse nobis codices, quorum auctoritate hanc Postillam S. Bonaventurae vindicare possimus; ex altera parte satis patet, eorum codicum testimonium, qui alios auctores nominant, nullius esse momenti. Opportunum igitur erit primo loco recensere codices nobis notos.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15573. (olim Sorbonicus 81.), de quo locuti sumus supra pag. XVII sub num. 4. Commentario sancti Bonaventurae praemittitur alius prologus, qui incipit fol. 156. r. col. 1: *Fons sapientie verbum Dei in excelsis*, Eccli 1. *Sapientiam*, ait Eccli. 38. (25.) *Insinuans nobis, in quo precipue sit studendum et qualiter et quando.* Desinit: *Ubi in fonte suo bibitur aqua sapientie salutaris.* Hinc sequitur prologus ut in editis: *Diligite lumen sapientie* etc. Commentarius desinit fol. 189. v. col. 2. in fine: *Ad hanc magnitudinem nos perducat Iesus Xtus Dominus noster qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* In initio fol. seq. v. ab alia manu eiusdem aevi notatur: *Iste liber est collegii pauperum magistrorum Parisiis in theologia studentivm ex legato magistri Geroudi de abbatisvilla.* Inferius: *chatenabitur.* Adhuc inferius: *Hic continentur postille super libros sapientiales, scilicet Ecclesiasten, Parabolas Salomonis et Sapientiam.* — In nostra editione signatur littera A.

Commentarius est anonymus Eo autem, quod praeter prologum editionibus et codicibus *communem: Diligite lumen sapientiae* etc., alterum illum praemittit, iam satis indicatur, praeter principalem auctorem operis alium quendam manus apposuisse,

cum praesumendum non sit, duplicem prologum scriptum esse ab ipso auctore. Neque dubium est, peculiaris illius prologi scriptorem iam habuisse ante oculos et alium prologum et aliud opus. Haec praesumtio plene confirmatur, si quis utrumque prologum inter se comparat. Auctor enim posterioris prologi genuinum meliore quo potuit modo, ast parum feliciter, in proprium usum transfert et ad textum Scripturae ab ipso praefixum applicat. Post verba supra relata continuat sic: « Inter humana enim studia precipue est studium sapientie. Nam, ut ait Hugo... Huic precipue studio precipui inter homines, id est aliorum vel presidentes aliis existentes, vel futuri rectores maximo debent intendere, id est firmiter retinende. *Describe eam*, ait Salomon, *in tabulis cordis tui*, scil. in tribus partibus divine imaginis, in memoria retinendo, intelligentia recogitando et voluntate amando, secundum illud Prov. 22: *Ecce descripsi* etc. Tempus vero huic studio aptum est tempus vacuitatis, id est vacationis ab occupationibus mundanis. Causa enim tripliciter hoc est bonum otium, quod reprehendit a luto et latere et paleis congregandis... Tale otium desiderat studium sapientie, quia qui immoratur actu in ea percipiet sapientiam, Eccli 38. Et quia in libro Sapientie precipue agitur de studio et amore sapientie, ideo in ipso studere debet (sic) tempore vacuitatis sue amatores sapientie ». — Iam haec, si comparantur prologo impresso (n. 2. et 3.), ostendunt, quod et quomodo scriptor iste usus sit originali. Sed magis hoc patet in his quae sequuntur, ubi tractat de quatuor causis huius libri. Sententiae et verba fere omnia paulo aliter ordinata descripta sunt ex originali, sed adaptata ad textum illum: *Fons sapientiae* etc. Brevitatis causa a describendo plura supersedemus.

Hoc igitur manifeste apparet, scriptorem additi prologi non esse auctorem operis originalis.

2. *Patavii*, bibliotheca S. Antonii, cod. 333. membr. in fol. saec. XIII. Praeter Commentarium in Sapientiam continet etiam postillas in Epistolas canonicas beati Pauli et in cap. 1. Evangelii sancti Ioannis. In Sapientiam incipit: *Diligite lumen sapientie omnes* etc. Desinit ut in editis, addito: *Explicit liber*. — Sign. litt. B.

Praeter hos codd. manuscriptos collata fuit etiam editio quaedam in 4. parvo impressa Venetiis 1574. — Sign. num. 1.

II.

Codices a nobis non collati.

3. *Basileae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. III. 20. Hunc codicem iam descripsimus supra pag. XVII sub n. 8. Commentarius in Sapientiam incipit fol. 115. r. col. 1. verbis: *Diligite lumen sapientie* etc. Sed alia manus saec. XIV. ineuntis praemisit hanc rubricam: *Postille super librum Sapiencie secundum fratrem Iohannem de Verdiaco ordinis fratrum Predicatorum Bachilarium in theologia Parisiis.* Desinit fol. 145. v. col. 2: *ad hanc magnitudinem nos perducat Iesus Xtus Dominus noster, qui est benedictus in secula seculorum. Hic liber scriptus est anno ab origine mundi 6469 anno Domini 1267.* Haec eadem ultima verba scripta sunt in fine commentarii in Sapientiam codicis Parisiensis, 14429, olim sancti Victoris 553, de quo erit sermo infra num. 5, ex quo amanuensis huius codicis Basileensis hoc sine iudicio exscripsisse videtur. In hoc codice sequitur alia expositio in eundem librum Sapientiae eiusdem Ioannis de Verdiaco, quae incipit fol. 147. r., sed ab alia manu saeculi XIV. conscripta, sic: *Postilla super librum Sapientie eiusdem fratris Iohannis de Verdiaco: Trahitur sapientia de occultis, Iob 28.* Postea sequuntur: *Postille super Cantic. secundum fratrem Iohannem de Verdiaco ordinis Predicatorum, Bachilarium in theologia. Cantabo dilecto meo. Canticum triplex in novo legitur Testamento, scilicet canticum Zacharie, Marie et Simeonis.*

4. *Burdigalae*, bibliotheca Civitatis, cod. 38, de quo supra locuti sumus pag. XVII num. 9. Expositio in Sapientiam incipit fol. 57. r. Praemittit eundem prologum, quem habet cod. n. 1: *Fons sapientie verbum Dei in excelsis;* et omisso altero edito, continuat: *Dicit ergo: Diligite sapientiam* etc. Desinit fol. 92. r. col. 2: *Ad illam magnitudinem nos perducat Iesus Xtus Dominus noster, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.*

5. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis cod. 14429. (olim Collegii sancti Victoris 553.) foliorum 206, quem codicem iam nominavimus supra pag. XVII num. 5. et pag. XXII n. 13. et hic superius n. 3. — Continet plures postillas in s. Scripturam praeter quoddam opus Hugonis a S. Victore et Prooemium S. Bonaventurae in II. librum Sententiarum; habet genuinam S. Bonaventurae Postillam in Ecclesiasten alteramque in eundem librum, tributam Golielmo sive de Altona Ord. Praed., sive de Melitona. Etiam duplex commentarius in Sapientiam invenitur, sed reapse est idem, excepto uno prologo et inscriptione auctorum, ut iam observavit Echard. (loc. cit. pag. 245) qui etiam hunc codicem descripsit. P. Fidelis notat, eundem esse scriptum diversis manibus.

Folio 50. r. in extremo margine superiore, parvis litteris fere deletis, adhuc tamen legibilibus a prima manu forte exaratis habetur: *Super Sapientiam secundum Doctorem innominatum*, deinde litteris grandioribus, alternative rubris et caeruleis posterius efformatis: *Postille super Sapientiam Salomonis.* Hinc prima manus prosequitur: *Diligite lumen sapientie* etc. Desinit fol. 93. r. ut editi. Postea adduntur ipsissima verba, quae supra sub num. 3. retulimus ex codice Basileensi, scilicet: *Hic liber scriptus est anno ab origine mundi 6462. anno Domini 1267.* Post haec alia manus saec. XIV. addidit: *Explicit lectura super librum Sapientie secundum fratrem Nicholaum de Gorram de ordine fratrum Predicatorum.*

Fol. 155. r. incipit secundum exemplar eiusdem Postillae in Sapientiam, de qua P. Fidelis scribit: « In superiore margine parvis litteris valde detritis, sed legibilibus, a prima manu, ut puto: *Super sapientiam secundum fratrem Gulielmum de Melitona.* Dein maioribus litteris rubris et caeruleis: *Postilla super Sapientiam Salomonis* ». — Tamen Echard. (loc. cit.) hoc habet: « Immediate post superiorem sequitur: *Postilla super Sapientiam Salomonis;* in margine vero superiore litteris ex minio sic legitur: *super Sapientiam secundum Frotrem Gulielmum de Altona ordinis Fratrum Predicatorum.* Nescio quis postea sub hoc vocabulo *de Altona* scripsit *de Melitona;* sed alius punctis sub qualibet littera adiectis id delevit, nam is erat antiquitus mos delendi non legenda in codd. MS. vocabulis puncta subiicere. — Prologus: Fons sapientiae verbum Dei in excelsis, Eccli 1. Sapientiam, ait Ecclesiasticus 38, scribe in tempore nativitatis (sic) »... — Testimonium expressum Echardi de isto nomine non est reiiciendum, cum tempore ipsius litterae adhuc distinctius legi possent, et improbabile videatur, Guliel-

mum de Melitona *Ordinis Minorum* (✝ 1260) istum prologum scripsisse. Convenit autem Echard. cum P. Fidele in hoc, quod deinde sequatur in codice prologus communis et Commentarius ut in editis. — De hoc codice plura infra.

6. *S. Audomari* (St. Omer) in Flandria, bibliotheca Civitatis, cod. 260. membr. in fol. saec. XIII, sed magna pars Commentarii est a recentiore manu saec. XV. conscripta. Incipit cum prologo: *Fons sapientie.* Desinit: *Ad illam magnitudinem nos perducat Iesus Xtus Dominus noster, qui est benedictus in secula. Amen. Explicit super Sapientiam.* Nomen auctoris desideratur.

7. *Toleti* in Hispania, bibliotheca Capitul., cod. Caion. 5. num. 5. membr. in fol. saec. XIII. ante finem. Praeter alia commentaria complectitur hanc expositionem in Sapientiam, quae incipit fol. 75. et desinit fol. 118. ut in editis, sed prorsus anonyma est.

8. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 667. olim E. 4. Claravallensis, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Commentarius in Sapientiam est mutilus, desinit enim cap. 19. v. 13. verbis: « non recipiebant hospites, vel quia male recipiebant, alii quidem, scilicet ipsarum ignotos non recipiebant advenas, unde Iob 31. ». Cfr. editio nostra tom. VI. pag. 231.

Tres igitur de iure auctoris competitores Ord. Praed. in codicibus adversus Bonaventuram proferuntur. Audiamus de hoc primo loco Echardum (loc. cit. pag. 245 b), qui quartum competitorem Fr. Ioannem de Versiaco (vide supra n. 3.) hic non nominat. « Ex his quaestio oritur, quis trium sit illa postilla; an S. Bonaventurae, an Nicolai de Gorran, an Gulielmi de Altona [an Ioannis a Versiaco]. In instrumento supra citato ex libro Rectoris prostabat venalis *Postilla F. Bonaventurae super Sapientiam;* unde quin aliquam scripserit, non dubito; sed an genuinam et ab eo scriptam habuerint Romani editores, id in controversiam vocari potest, praesertim cum illos certum sit plura ei supposuisse opera adulterina, et quorum postea cogniti sunt veri auctores. Adde, et vivo adhuc Bonaventura, scil. an. 1267, sub alterius nomine inter codices Adenulphi, viri gravissimi et S. T. magistri Parisiensis exstitisse. Nicolaum de Gorran etiam super *Sapientiam* scripsisse, dicetur postea, sed aliud indicatur principium. An non solum principium *Fons sapientiae* etc., sed et postilla integra sit Gulielmi de Altona, ex hoc solo codice argui non potest; videndi essent alii, quod mihi non est obvium, sed sperandum a peritioribus et curiosis bibliothecarum scrutatoribus dilucidandum aliquando et cuique quod suum est reddendum ».

Hoc bene dictum est. Adhibitis aliis a P. Fidele descriptis codicibus, hoc saltem tanquam certum statuere posse confidimus, nullam pro tribus competitoribus Ord. Praed. esse probabilitatem. Praescindimus ab eo, quod inter istos codices est de auctore contradictio, quae singulorum auctoritatem fere abolet; sed praeterea contra singulos competitores speciales gravesque rationes militant. Nicolai Gorrani nomen sequiore aetate in codice citato substitutum est antiquae inscriptioni « *secundum Doctorem innominatum* ». Praeterea idem scripsit aliam postillam in *Sapientiam*, cuius principium, teste ipso Echardo (pag. 439 b) est: « *Si delectamini in sedibus et sceptris, reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Reges populi,* id est maiores principes et praelati seculares. In verbis istis invitat Philo Sap. 6. iudices et praelatos etc. Finis: Magnificavit eum in conspectu et dedit illi coronam glorie, quam nobis concedat etc. Postilla Gorran super librum Sapientie ». — Cum igitur nec principium nec finis huius Postillae conveniat cum impressa, nec praesumendum sit, Gorranum bis in Sapientiam scripsisse; inscriptio nominis *Gorrani* nullam meretur fidem. Denique, ratione eorum habita, quae supra § 2. dicta sunt de hoc auctore, si aliqua similitudo inter utramque postillam inveniretur; concludendum esset, eum pro more suo usum esse alieno opere.

Quoad *Gulielmum de Altona* primo observandum est, in eodem codice ipsi falso attributum esse etiam Commentarium Bonaventurae in *Ecclesiasten* cum inscriptione: *secundum fratrem Gulielmum de Altona*, quod auctorem postillae indicare videtur. Sed cum ea quae sequitur Postilla in *Sapientiam, eisdem prorsus verbis* inscripta sit: *secundum fratrem Gulielmum de Altona ordinis Fratrum Praedicatorum* (Echard. pag. 245 b); testimonium huius codicis de primo errore iam convicti perdit fidem etiam quoad alteram assertionem. Posset tamen dici, illa verba *secundum fratrem Gulielmum...* non significare proprie *auctorem*, sed *fontem*, ex quo alius hauserit. — Denique iam monstravimus (supra ad cod. n. 1.), auctorem prologi *Fons sapientiae* etc., iam aliud originale ante oculos habuisse.

Restat tertius competitor, Fr. *Ioannes de Varsiaco* (Versiaco), qui, teste eodem Echardo (pag. 274), mortuus est Parisiis 1278, scripsitque praeter alias Postillam in *Sapientiam*, quae, ut idem dicit, « extat [in] cod. M. S. fol. membr. in biblioth. publica Basileensi, olim maximam partem nostra ». Principium et finem huius Postillae omittit Echard., sed notantur a nobis supra in descriptione cod. n. 3. — Sic observare possumus, quod in eodem codice eidem auctori alia et *diversa* postilla in *Sapientiam* tribuitur; quo iam satis probatur, nostram Postillam non esse ab ipso scriptam. Accedit, quod verba supra in descriptione codicis notata satis ostendunt, priorem illam Postillam transcriptam esse ex cod. Parisiensi sign. 14429. mutato tanto nomine *Gorrani.*

Minime igitur fidem merentur illi codices, qui hanc Postillam, quae certe post medium saec. XIII. scripta est, tribuunt vel Nicolao Gorrano, vel Gulielmo de Altono (Altona), vel Ioanni de Varsiaco.

Exclusis his competitoribus, non restat nisi ille « doctor innominatus ». Cum autem non tantum fide Ptolomaei Lucensis Ord. Praed. (§ 1.), sed etiam aliorum documentorum satis constet, nostrum Doctorem librum Sapientiae commentatum esse; praepropere iudicatum esset, si propter defectum antiquiorum testium opus voluissemus eidem abiudicare. — Nolumus tamen contradicere ei qui forte dixerit, originale huius Postillae fuisse ab aliis aliquatenus mutatum, sive in aliquibus diminutum, sive in aliis auctum. Cum enim in codicibus Commentariorum huius tomi a nobis collatis toties observaverimus, facta esse vel additamenta, vel lacunas, vel mutationes; cum etiam prologus primus in cod. A, ex genuino compilatus, manifeste ostendat, alienam manum suo modo usam esse originali; suspicari licet, similem quandam mutationem ipsius Postillae accidisse. Nec desunt pro hac suspicione indicia interna non spernenda. Saepius hic quam in aliis Commentariis auctor utitur Glossa, praesertim interlineari in minutis rebus, cum v. g. toties repetat: « *autem* pro *sed* »; saepius adhibentur ad ostendendum nexum orationis formulae *bene dixi*, vel *ita dixi*, quae illa aetate usitatae erant, quaeque interdum occurrunt etiam in Commentario Bonaventurae in Ioannem (cfr. n. 36. 37. 40. 48. 56.) et saepissime in

Commentario in Apocalypsim edito a Bonelli. Brevius solito etiam tractantur quaestiones scholasticae passim occurentes.

Haec tamen omnia non sunt tanti momenti, ut de hac re reddant rationem prorsus exploratam. Minutae enim hae differentiae satis explicari possent etiam hac suppositione non improbabili, quod S. Bonaventura iuniore aetate et ante alios suos Commentarios librum Sapientiae in scholis explicaverit.

§ 5. De Commentario in Evangelium Ioannis.

Prologus incipit: *Ecce, intelliget servus meus*... Cap. 1. incipit: *In principio erat Verbum... Iste liber, qui est de Verbo incarnato* etc.

Omnino constat, S. Bonaventuram scripsisse Postillam in Evangelium Ioannis. Praeter alia testimonia in indiculis (supra § 1.) relata habemus testes omni exceptione maiores tum *catalogum* antiquum (circa an. 1300) bibliothecae S. Fortunati Tudertinae, tum codicem perantiquum saec. XIII, quem protulit P. Fidelis a Fanna (*Ratio* etc. pag. 93 seqq.), de quo infra plura dicentur.

Iam monuimus (supra c. I. § 5.), Commentarium in Ioannem, qui habetur in editione Vaticana et subsequentibus, esse spurium, alterum autem genuinum et prorsus diversum editum esse a P. Benedicto Bonelli (*Supplementi* tom. I. col. 416. seqq.) doctisque notis illustratum.

Sed iam ante Bonelli idem opus fere integrum, sed valde amplificatum et hinc inde etiam immutatum typis traditum est sub nomine Fr. Nicolai de Gorran Ord. Praed. Editio haec, quae in magno volumine continet postillas Gorrani in quatuor Evangelia, facta est a Fr. Ioanne Pesselio Tilano apud Coloniam Agrippinam Dominicanae professionis, dedicata Carolo Geldriae et Iuliae duci, an. 1537 postridie Idus Martii apud Petrum Quentel. fol. Ornata est haec editio tum stemate illius ducis, tum imaginibus quatuor Evangelistarum eleganter ligno incisis. Editor ille conqueritur de vitiis codicum, quibus usus est, ita « ut nonnumquam, quatuor consultis exemplaribus, tandem ad coniecturam ingeniumque hiulca sive hiantia loca cogerer sufcire ». — Hanc editionem ad manus habemus. Altera editio prodiit Antverpiae 1617 in folio apud Ioan. Keerberg, quam non vidimus.

Ut autem relatio, quae est inter hanc postillam et Bonaventurianam, perspiciatur, specimen quoddam exhibendum censuimus. *Prologus* omnino convenit cum edito a nobis, nisi quod textui nostro (n. 2.) post verba *omnibus diebus* bene additur *vitae suae* et passim aliquae lectiones differunt.

Sed in principio I. capituli n. 1. post verba: in secunda in comparatione ad ea quae dicuntur per Verbum: *Omnia per ipsum facta sunt*, addit: « Et quia hunc librum composuit contra haereticos destruentes coaeternitatem et consubstantialitatem Filii, ideo in prima parte ponit quatuor propositiones: prima est de Filii aeternitate; secunda de distinctione Filii a Patre; tertia de consubstantialitate Filii ad Patrem; quarta de coaequalitate Filii ad Patrem. Per primam, quae est: *In principio erat Verbum*, confutatur Nestorius et Claudius haeretici, praedicantes, Christum initium habuisse. Per secundam, quae est: *Et Verbum erat apud Deum*, confutatur Sabellius, qui dixit, Filium non esse distinctum a Patre. Per tertiam, quae est: *Et Deus erat Verbum*, confutatur Arius, qui dicebat, Christum esse puram creaturam et nullo modo consubstantialem et aequalem Patri. Per quartam, quae est: *Hoc erat in principio apud Deum*, confutantur omnes simul, quia ista propositio dicit, Filium esse coaeternum et consubstantialem et coaequalem Patri et personaliter distinctum a Patre. Dicit ergo: *In principio erat Verbum.* Ista propositio exponitur tribus modis. Primo sic: *In principio erat Verbum* ». (NB. Quae sequuntur non conveniunt cum S. Bonav.).

Item n. 9. post verba: *Omnia per ipsum facta sunt* etc., additur: « Postquam determinavit B. Ióannes de Verbo aeterno in comparatione ad dicentem, hic determinat de ipso in comparatione ad ea quae per Verbum dicuntur, et hoc quantum ad quatuor conditiones. Describitur enim primo ipsum Verbum ut principium creationis *sufficiens*, cum dicit: *Omnia per ipsum facta sunt;* secundo ut *indeficiens*, cum dicit: *Et sine ipso factum est nihil;* tertio ut *praecognoscens*, cum dicit: *Quod factum est in ipso vita erat;* quarto ut *aliis cognitionem praebens*, cum dicit: *Et vita erat lux hominum;* et quia non omnibus praebet cognitionem sui sicut sunt peccatores, ideo quinto dicit, quod peccatores cognitionem sui non comprehendunt, cum dicit: *Et lux in tenebris lucet et tenebrae* etc. Dicit ergo: *Omnia per ipsum facta sunt;* continuatur sic: ostensum est, quod Verbum habet rationem principii, et hoc quantum ad hoc quod ab ipso omnia, ideo sequitur: *Omnia per ipsum facta sunt; omnia*, scilicet visibilia et invisibilia, spiritualia et temporalia naturam conservantia, quod dicitur propter peccata, quae naturam non conservant, sed corrumpunt; *per ipsum*, supple Verbum, quod in principio erat apud Deum; *facta sunt*, supple a Deo Patre. Unde Eccli. 18: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul;* et hoc per Verbum (quae sequuntur conveniunt cum verbis S. Bonav.; excepto quod in n. 10. omittitur ultima propositio: *Et in hoc perfecte* etc., et in n. 11. pro ultimis verbis *et transmutatio omnis nonnulla mors est* substituuntur haec: Dicit ergo: *Quod factum est* etc.; continuatur sic: Si Verbum erat in principio, per quod facta sunt omnia et sine ipso factum est nihil eo quod sit ars et sapientia Patris, sequitur, quod omnia, quae facta sunt, prius facta fuerunt in eo ut in arte, sicut facta sunt in opere. Et hoc est *quod factum est*, id est omne factibile, *in ipso*, supple Verbo, quod vita est, *vita erat*). — Quaestionibus, quas S. Bonav. ponit, tres aliae a Gorrano praemittuntur. Simili modo in sequentibus modo exscribitur Bonaventura ita fideliter, ut nostram textus emendationem confirmet, modo alia multa adiiciuntur.

Attamen omnino certum est, Commentarium a nobis editum esse genuinum et integrum opus S. Bonaventurae. Integra fides habenda est codici saec. XIII. bibliothecae Ambrosianae (Mediolani), sign. A 11 superiore, ex quo multa exscripsit P. Fidelis a Fanna (*Ratio* etc., pag. 93-120). In illo recensentur plurium auctorum, sed prae ceteris Bonaventurae sermones, additis circumstantiis temporis, loci et nominis praedicatoris; rubricae singulis sermonibus superscriptae a P. Fidele loc. cit. publicatae sunt. Pag. 107 sub n. 141. legitur: « Item, sermo fratris Bonaventure in scholis Parisiis, quando incepit Ioannem. *Ecce, intelliget servus meus... sublimis erit valde* ». Schema huius sermonis ex codice illo a P. Fidele exscriptum et publicatum habetur etiam infra pag. 240, nota 1, cum nonnullis nostris observationibus. — His nunc addimus, eundem sermonem, sive potius prologum, haberi non tantum in duobus codd. P Q a nobis cum edito collatis, sed etiam in bibliotheca Carolopolitana (Charlesville) cod. 92. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis, fol. 42, sermo 18. Habetur ille sermo hic diminutus et, ut videtur, *reportatus*. — Ille cod. P exstat *Basileae*, bibliotheca Civita-

tis, cod. B. IX. 32; est membr. in fol. minore saec. XIII. Incipit fol. 21. r. col. 2. ut in editis. — Alter vero cod. Q habetur *Tuderti*, bibliotheca S. Fortunati, sign. cod. 182. membr. in 8, in quo etiam alia opera S. Bonaventurae, de quibus egimu stom. V. prolegomena pag. XXVIII n. 15. et pag. XLV n. 1. Prologus ibi inscribitur: *Sermo de s. Ioanne evangelista: Ecce, intelliget servus meus* etc., et desinit verbis: *peditare debent cum agnis.* Hic tamen, exceptis nonnullis lectionibus variantibus, ita perfecte cum edito prologo convenit, ut non ex ore dicentis exceptus, sed ex originali transcriptus esse videatur.

Bene de S. Bonaventura promeritus est P. Bened. Bonelli, qui primus legitimum eiusdem Commentarium in Ioannem detexit, auctori suo multis rationibus vindicavit (Prodr. col. 641 seqq.) relationemque ostendit, quae inter hunc et Gorrani opus intercedit. Bonelli non cognovit genuini operis codices nisi tres. Primus fuit Romanus bibliothecae Angelicae Eremit. S. August., valde antiquus, in cuius fine prima manu scriptum erat: « Explicit Postilla optima super Ioannem edita a Domino Fratre Bonaventura cardinali ad usum Fratrum Minorum IK » (cfr. Prodr. col. 457 n. 39.). Secundo loco ille citat codicem Tudertinum anonymum, eundem, quem nos accurate cum editione contulimus (vide infra n. 14.). Tertius illo tempore fuit in bibliotheca Monasterii Heilbronnensi in Franconia, qui nomen S. Bonaventurae inscriptum habuit (cfr. Prodr. col. 424).

Pro edendo hoc Commentario Bonelli non usus est nisi codice Romano, passim adhibens editionem Coloniensem Commentarii a Gorrano compositi; insuper plurimas copiosasque notas ad calcem apposuit, quibus etiam nos saepe usi sumus.

Superfluum nobis visum est omnes repetere rationes a P. Bonelli in Prodromo et in I. tomo Supplementi pro S. Bonaventura auctore allatas, cum alia testimonia illi editori ignota nobis non desint, quae omne dubium dissipant.

Fide enim codicum constat *primo*, Commentarium Gorrani esse opus distinctum a Bonaventuriano, quod est brevius, antiquius et fere integre in alterum receptum. Inter 49 codices a nobis notatos sunt 26, qui explicite habent nomen Gorrani; quibus addendi videntur nonnulli alii anonymi. Verisimile tamen est, non omnes istos exhibere integrum illud opus. Observandum est, quod illi 26 codices inveniuntur in bibliothecis Germaniae et Austriae, et si qui pauci in Gallia inveniuntur, sunt anonymi. — Legitimus Bonaventurae Commentarius habetur certo in 13 codicibus nostris, quorum novem sunt anonymi. Fortasse etiam nonnulli alii anonymi potius habent Commentarium Bonaventurae paulo mutatum quam Gorrani.

Secundo constat, Bonaventurae tribuendum esse illum prologum a Gorrano integre receptum: *Ecce intelliget* etc., quem ille recitavit « in scholis Parisiis, quando incepit Ioannem ». Hoc bene confirmatur verbis Commentarii (c. 2. n. 6.): « *Metreta* dicitur a *metron*, quod est mensura, et vocatur hic mensura communis et usitata, sicut *Parisius sextarium vini dicimus* »: Cum autem *in scholis* tradita sit haec Postilla, verisimile est, eam factam esse ante an. 1257; et certo ante eam quae est in Evangelium Lucae.

Criteria interna, diffuse a P. Bonelli in Prodromo et in notis exposita, prorsus confirmant testimonia externa; quod facile intelliget qui versatus est in genuinis Bonaventurae operibus.

Propter intimam relationem, quam cum nostro Commentario habet opus Gorrani, in elencho codicum promiscue codices utriusque allegamus, licet distinguendi sint utriusque auctoris Commentarii. Nec dissentimus a Bonelli, qui (Prodr. col. 648) suam disputationem his verbis concludit: « Nihil in reliquis detractum [esse volo] clarissimo Gorrani nomini, utpote scriptoris egregii, quem nos quoque magni facimus ».

I.

Codices Commentarii in Evangelium S. Ioannis cum textu a P. Benedicto Bonelli edito a nobis collati.

1. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 1393. AA. VIII. 12. membr. in folio saec. XIII. Incipit pag. 2 col. 1, cui alia manus saec. XIV. praemisit: *Postilla super evangelium sancti Iohannis.* Hinc inferius: *Ecce, intelliget servus meus et exaltabitur et elevabitur et erit sublimis valde. Quia commendatio auctoris redundat in opus* etc. Desinit pag. 157 col. 1: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Laus tibi est Xte, quoniam labor explicit iste.* — Signatur litt. H.

Est anonymus; sed convenit, paucis propriis lectionibus exceptis, cum codd. bibl. Florentinae et Monacensis.

2. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 373. membr. in fol. parvo saec. XIV. ineuntis. In chartula adnexa ad calcem folii secundi, exarata a manu saec. XV, praeter alia legitur: *Item Postille Bonaventure super Ioannem.* Eodem folio incipit Commentarius et prosequitur ut in edito. Post *amen* addidit primus scriptor: *Laus tibi sit Xte, quoniam liber explicit iste.* — Sign. litt. G.

De hoc cod. idem valet iudicium, quod de praecedente.

3. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. olim sanctae Mariae Novellae 848, modo vero numero mutato 363. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. In chartula adiecta legitur inter alia a manu saec. XIV. exarata: *Postile* (sic) *super Iohannem fratris Donati de Florentia, ordinis fratrum Predicatorum. Iohannis Parisiensis.* Et infra: *Istam Postillam super Iohannem emi ego frater Donatus ser Michaelis a fratre Antonio de Senis* (?), *tunc Priore sancte Marie, ordinis fratrum Predicatorum.* Et inferius fol. 1. col. 1. incipit prima manus: *Ecce, servus meus intelliget* etc. Desinit folio 71. r. col. 2. Eadem prima manus addidit: *Laus tibi sit Xste, quoniam labor explicit iste.* Identidem occurrunt notulae a scriptore saeculi XIV. exaratae. — Sign. litt. I.

Hic cod., sicut et duo seqq., licet plerumque satis conveniant cum Parisiensibus codicibus, fere semper easdem praebent lectiones speciales, quae etiam multoties exhibentur a cod. bibl. Monacensis, qui sign. M.

4. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, olim sanctae Mariae Novellae 645, modo 99. 465. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Complectitur plurium opera, quae manus saec. XV. notavit; fol. 1. inter alia habet: *Postilla super Iohannem*, manus adhuc recentior prosequitur: *secundum Dominum Hugonem.* Commentarius sancti Bonaventurae incipit fol. 144. r. sub titulo: *Expositio evangelii secundum Iohannem.* Hinc: *Ecce, intelliget* etc. Protrahitur usque ad fol. 225. v. col. 2. ut in editis; additur: *Laus sit tibi Xte*, ut in codice praecedente. — Sign. litt. K; vide n. 3.

5. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. olim sanctae Mariae Novellae 847, nunc vero 360. membr in fol. saec. XIV. ineuntis. Commentarius sancti Bonaventurae sequitur Commenta-

rium eiusdem in Evangelium Lucae sub titulo recenter exarato: *Postilla in Iohannem*, col. vero 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 194. r. col. 2, manus saec. XV. addidit: *Postilla magistri Ioannis Parisiensis.* — Sign. litt. L; vide n. 3.

6. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 7940. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius incipit fol. 1. r. sine ullo titulo et nomine auctoris: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 60. v. col. 2. circa medium: *Ad quam vitam perducat nos Iesus Xtus, qui est per omnia secula benedictus. Amen. Sic finit.* — Sign. litt. M.

Non paucas proprias praebet lectiones; generaliter tamen convenit cum codd. bibl. Florentinae et quandoque cum uno alteroque cod. bibl. Parisiensis.

7. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 17783. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Incipit fol. 1. r. sub hac inscriptione: *Gorra super Iohannem.* Hinc col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Commentarius valde est ampliatus fere per totum. Desinit ut in edito fol. 169. r. col. 2. in fine. Additur: *Explicit per manus et non per pedes;* alia manus prosequitur: *Magister Nicolaus de Gorra super Iohannem.* — Sign. litt. O.

Hic cod. exhibet Commentarium Nicolai de Gorran, sed cum lectionibus variantibus; unde sicut illa editio, habet fere integram Postillam nostram, in qua parte ordinario confirmat lectiones codicum nostrorum.

8. *Monasterii* in Borussia, bibliotheca Paulina, cod. 135. membr. in fol. parvo saec. XIII. exeuntis. Commentarius incipit fol. 1. r. col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 94. r. col. 1: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Alia manus saeculi XIV. addidit: *Expliciunt Postille magistri...* (nomen fuit abrasum) *super evangelium Iohannis.* Sequuntur Collationes Bonaventurae in eundem Evangelium, de quibus loquemur inferius. — Sign. litt. N.

Utrumque opus est anonymum. Praeter multas lectiones proprias peculiare ipsi est, quod tam cum cod. C bibl. Parisiensis, quam cum cod. bibl. Tudertinae, qui sign. E, convenit; tamen scatet vitiis librarii.

9. *Montis Alvernae*, bibliotheca Conventus, cod. membr. in fol. saec. XIV. post medietatem. Commentario praemittuntur haec verba ab alia, sed coaeva manu parvis litteris exarata: *Incipiunt Postille fratris Bonaventure super evangelium Iohannis. In festo sancti Iohannis evangeliste potest iste prologus predicari.* Deinde col. 1: *Ecce, intelliget* etc. Codex hic multas habet falsas lectiones et identidem etiam maiores lacunas. Desinit fol. ultimo verso per haec verba: *Hic est finis istius operis. Deo gracias.* — Sign. litt. F.

Satis convenit cum codd. bibl. Florentinae, sed laborat hoc vitio, quod saepe verba et quandoque plures propositiones omittit.

10. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15680. membr. in fol. Post alia opera antiquioris aevi fol. 102. r. col. 1. incipit: *Ecce, intelliget servus meus* etc. A folio 126-145. alia, sed coaeva manus scribit. Desinit fol. 174. r. col. 2. Post *Amen* additur: *Laus tibi sit Xte, quoniam labor explicit iste.* — Sign. litt. A.

Hic inter quatuor Parisienses codices, qui omnes sunt saec. XIII, videtur esse antiquior et originali fidelior; non tamen expers est eorum vitiorum, quae fere omnibus illius aetatis manuscriptis sunt communia.

11. *Ibidem*, cod. 15593. membr. in fol. saec. XIII. circa medietatem. Commentarius sancti Bonaventurae incipit fol. 159. r. col. 1. et desinit fol. 226. v. col. 1; additur: *Explicit explanatio evangelii Iohannis.* — Sign. litt. B.

Satis convenit cum praecedente; tamen in eo vestigia alieni correctoris inveniuntur in minutis rebus, praesertim in modis citandi, ut textus reddatur clarior.

12. *Ibidem*, cod. 15599. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius incipit fol. 1. r. sub hoc epigrammate: *Assit principio sancta Maria meo. Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 51. r. col. 1. Post *Amen* additur tantum *Explicit.* — Sign. litt. C.

Hic inter Parisienses codices magis accedit ad editionem P. Bonelli et ad cod. E Tudertinum.

13. *Ibidem*, cod. 15592. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Post Commentarium card. Hugonis a S. Charo in Matthaeum aliumque prologum (fol. 135. r.), scil. eundem, qui praefixus est spurio Commentario (cfr. supra c. 1. § 5.). Prologus genuinus incipit fol. 136: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 185. v.: *Qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen;* absque alia nota. — Sign. litt. D.

Habet optimas lectiones, interdum tales, ut ipsum solum secuti simus. — Praeter communem prologum habet plures alios; fol. 135. r.: *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila... In hoc verbo huius operis, scil. Evangelii.* Cum de obitu Ioannis quaedam fabula eisdem fere verbis narretur, quae legitur in editione Gorrani (expos. prologi Hieronymi), hic prologus fortasse ab ipso scriptus est, vel ab alio, qui opere Gorrani usus est in prologo scribendo. — Post finem Postillae (fol. 185. v.) alius est prologus eadem manu scriptus, qui incipit: *Abscondita produxit in lucem. Verbum istud, quod sumtum est* ex Iob 18, *licet exponatur generaliter* etc. Desinit fol. 186: *Sic igitur patent operis huius causae...* — Alius prologus incipit explicans prologum Hieronymi: *Hic est Ioannes: Quoniam secundum August., VII. de Civ. c. 7, finem rei concomitatur* etc. Est longior aliis et eadem narrat de obitu S. Ioannis. — Denique ultimus prologus incipit: *Ego sumam medullam cedri sublimis... Actor ab opere et opus ab actore ad invicem* etc. Hic in pluribus convenit cum prologo S. Bonaventurae.

14. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. 65. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Commentarius sancti Bonaventurae in Evangelium Ioannis incipit, sine ullo titulo et nomine auctoris, fol. 37. r. et desinit fol. ultimo codicis ut in editione. — Sign. litt. E.

Codex hic est bonae notae, sed plerumque omittit id quod *moraliter* exponitur et saepe aliquos locos Scripturae, quando plures citantur; sed ad marginem habet copiosa additamenta, alia manu et parvis litteris exarata, quae etiam supplent id quod in textu codicis omissum est.

Codices Parisienses, excepto C, quasi unam familiam formant, quam plerumque secuti sumus; codices Itali quasi medium tenent inter Parisienses et ceteros. Non raro editio Gorrani confirmavit lectiones a nobis electas.

II.

Codices a nobis non collati.

15. *Alba-Carolinae* (Karlsburg) in Transsylvania, bibliotheca Batthyan, cod. H. 5. IV. 1. chart. in fol. minore saec. XIV.

exeuntis. Commentarius incipit fol. 1. r. ut editi, sed in decursu est saepe ampliatus vel interpolatus, sicut videtur fere in omnibus manuscriptis, quae hic inferius subiicimus. Desinit fol. 294. r.: *Gloriose et individue Trinitati, Iesu Xti crucifixe humanitati, beate Marie virgini matri sit laus et honor et gloria ab omni creatura in sempiterna secula seculorum. Amen.*

16. *Bambergae* in Bavaria, bibliotheca Civitatis, cod. Q. III. 13. chart. in fol. saec. XV. circa medietatem. In parte superiore folii primi praemittitur: *Gorra super Iohannem evangelistam.* Deinde col. 1: *Ecce, intelliget* etc. Desinit folio 155. v.: *Domino Iesu adiuvante et auxiliante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Hinc scriptor se prodit hoc modo: *Si* al *ponatur et* ber *associatur et* tus *addatur — Qui scripsit* Bic *vocatur* (Albertus Bic).

17. *Bremae*, bibliotheca Civitatis, cod. A. 27. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Commentarius incipit fol. 2. r., ubi praemittuntur haec verba: *Assit ad inceptum sancta Maria meum. Incipit Gorra super Iohannem.* Desinit folio ultimo ipsissimis verbis codicis praecedentis. Dein additur: *Expliciunt dicta super evangelia Iohannis. Orate pro scriptore.*

18. *Cracoviae*, bibliotheca Civitatis, Ms. 1317. A. A. VII. 7. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit pag. 1 col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit pag. 289: *Ipso adiuvante, qui vivit in secula seculorum. Amen.* In chartula asseri interius adnexa legitur: *Gorra super Iohannem.*

19. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, Ms. 1316. A. A. VII. 8. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Pagina 1 habetur: *Incipit prologus in Iohannem. Dicta Gurrani. Ecce, intelliget* etc. Desinit pag. 304 ut praecedens codex; additur: *Expliciunt dicta Gurre super Iohannem, sub anno nativitatis Domini...* Reliqua desiderantur.

20. *Ibidem*, Ms. 1336. A. A. VII. 9. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit pag. 1 et desinit pag. ultima ut codex praecedens, additur: *Laus tibi sit Xte, quoniam liber explicit iste. Expliciunt dicta Nicolay de Gorran super evangelia Iohannis apostoli et evangeliste.*

21. *Ibidem*, Ms. 1338. A. A. VII. 10. chart. in fol. Incipit pag. 1 et desinit pag. 222. Post *amen* additur: *Laus tibi virgo, pia genitrix virgoque Maria. Explicit Gorran super evangelia Iohannis evangeliste. Anno Domini millesimo CCCC°. II°. feria IIII^a. post diem sancti Marci.*

22. *Chremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. 223. chart. in fol. Incipit fol. 1. col. 1: *Ecce, intelliget* etc. Expositio prologi sancti Hieronymi valde protrahitur. Commentarius desinit fol. 134. sub verbis: *Expliciunt dicta Gorre super evangelium Iohannis iam finita per Iohannem presbyterum anno Domini M. CCCC. XIII. in die decollationis sancti Iohannis Baptiste..*

23. *Gorlitii*, bibliotheca Civitatis, cod. A. B. 126. in fol. saec. XV. ineuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 125. v. col. 2: *Domino Iesu adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Et gloriose et individue Trinitati, Iesu Xti crucifixi humanitati, beate Marie virgini matri sit honor, laus et gloria ab omni creatura in sempiterna secula. Amen. Respice peccator — Si non verus amator — Nam te morti gravi — Moriendo vivificavi.*

24. *Lambaci* in Austria superiore, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. 119. chart. Folio 1. r. habetur: *Incipitur Gorra super Iohannem;* saepe saepius interpolatur, et desinit fol. 139. r. col. 1. sub rubrica: *Expliciunt dicta Gorre super evangelia Iohannis evangeliste per manus Mathie Funca feria secunda post vincula sancti Petri. Budecz, anno millesimo quadringentesimo, mensis februarii.*

25. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. chart. 4. progress. XXVIII. in fol. Incipit folio 2. r. col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 102. r. col. 2: *in sempiterna secula. Expliciunt dicta egregi doctoris Gorre de Lyra* (!) *super evangelio Iohannis.* Postea sequitur: *Reportata per Iohannem dictum Hoppen sub anno Domini MCCCLXXXVII. in vigilia Bartholomei apostoli..*

26. *Neoburgi* (Klosterneuburg) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 489. chart. in folio. Commentarius incipit fol. 128. r. col. 1: *Ecce, intelliget servus meus.* Desinit fol. ultimo r.: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Expliciunt dicta Gorram super evangelium Iohannis, finita in civitate Vienensi per manus Bartholomei, conscripta fideliter et continuata, anno Domini LXXXV* (1385).

27. *Olomutii* in Moravia, bibliotheca Regia, Ms. I. B. 29. chart. In fol. non numerato incipit post alia duo opuscula et desinit ut in edito. Post duo *amen* additur actas codicis his verbis: *Iam sum liber, quia finitus est liber annis millenis tercenis octogenis* VI°. *hoc scriptum sancti Iacinti tertio idus...* ultima verba desiderantur.

28. *Ibidem*, Ms. II. D. 18. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Incipit fol. 2. r. col. 2: *Ecce, intelliget* etc. Desinit fol. ultimo cum hac additione: *Explicit* (sic) *dicta Gorre super Iohannem, bona et correcta.*

29. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. f. 2. chart. in folio. Titulatur: *Super Iohannem*, sed manus posterioris aevi addidit: *Nicolaus de Gorra.* Hinc columna prima: *Ecce, intelliget* etc., prosequitur ut in editis. In fine post triplex *Amen* additur: *Sacrosancte gloriose* etc., ut iam in aliis notavimus, deinde: *Anno Domini M. CCC. LXXX. VII. finitus est iste liber per manus cuiusdam in die sancti Bartholomei die sabati in domo pauperum reportatus propter* etc. Tandem alia manus: *Venit in Pelplyn MCCCCXXVI.*

30. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. V. K. d. 16. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 125. r. col. 1. ante medium: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Gorra. Expliciunt dicta super evangelio Iohannis.*

31. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. B. 35. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Initio fol. 1. praemittitur: *Thema magistri Gorre super Iohannem exhortationis ante prologum.* Deinde col. 1: *Ecce, intelliget* etc. Desinit fol. 150 r. col. 2. his verbis: *Expliciunt dicta Gorre fratris Nicolai super Iohannem.*

32. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. IV. B. 7. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit fol. 1. r. ab expositione prologi sancti Hieronymi: *Hic est Iohannes evangelista*, et desinit fol. 116. r., cui scriba posterior subiicit: *Expliciunt dicta Gorre super Iohannem; correxi, sicut potui: orate pro me Deum.* Item alius adhuc recentior: *Etiam ego correxi, sicut potui. Anno 1461.*

33. *Ibidem*, cod. IV. C. 16. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 148. r. col. 2. per verba: *Expliciunt postille Gorre super evangelia Iohannis finales.*

34. *Ibidem*, cod. X. C. 14. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit fol. 1. r. sine ullo titulo et desinit fol. 136. v. col. 1. ut in editione. Scriptor in fine se nominat hoc modo: *Bartholomeus. Finito libro in vigilia sancti Bartholomei, sil laus et gloria Xto in die ipsius. Expliciunt dicta Gorre super evangelium Iohannis.*

35. *Ibidem*, cod. I. E. 19. saec. XIV. exeuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Ecce, intelliget* etc.; desinit folio ultimo verbis: *Quod autem dictum est: sic eum volo manere* (cap. 21. n. 53. editionis nostrae). Cetera fuerunt avulsa.

36. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. A. XCIII. Incipit fol. 1. r. non numerato et desinit ut in edito. Additur: *Expliciunt dicta super Iohannem venerabilis magistri Iohannis* (sic) *Gorre, anno Domini millesimo.* Ita hic terminat scriptor, sed ad calcem operis immediate sequentis notavit: *anno Domini M°CCCC°. decimo.*

37. *Ibidem*, bibliotheca Musaei nationalis, cod. III. B. 8. membr. in fol. saec. XIV. circa medietatem. Commentarius incipit fol. 1. r. sine ullo titulo et sine nomine auctoris. Desinit fol. r. col. 1: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

38. *Ratisbonae*, bibliotheca Civitatis, cod. 382. chart. et membr. mixtim in fol. saec. XIV. exeuntis. Praefert in initio fol. 1. r.: *Incipit Gorram super evangelium Iohannis*, et fol. 142. r. post *Amen* legitur: *Laus tibi sit Xte, quoniam liber explicit iste: in vigilia sancti Nicolai, anno Domini M.° 380. Expliciunt dicta Nicolai de Gorram super evangelium Iohannis.*

39. (Raigern) in Moravia, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. 410. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Commentarius in Evangelium Ioannis excurrit a folio 1. r. ad fol. 132. r. col. 2. Est prorsus anonymus et sine titulo.

40. *Regimontii* in Borussia, bibliotheca Regia, cod. 1273. chart. in folio. Praemittitur: *Gorra super Iohannem*, et fol. ultimo subiicitur: *Expliciunt dicta super Iohannem reverendi magistri Nicolai de Gorra, finita anno ab incarnatione Domini MCCCLXXXIIII. Finitus in die Martine martiris.*

41. *Remis* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. B. 93. 106. membr. in fol. parvo saec. XIV. ineuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1. sine ullo titulo: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 101. v. col. 1: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Finito libro, reddantur vina magistro.*

42. *Romae*, bibliotheca Angelica, cod. R. 8. 4. membr. in fol. minore saec. XIII exeuntis. Incipit et desinit ut edita, fini additur: *Explicit postilla optima super Iohannem edita a fratre Bonaventura de Balnoregio ordinis fratrum minorum, cardinali ad usum fratrum minorum.* I K. — De eodem cod. cfr. P. Bonelli (Prodr. col. 457), qui hoc solo in editione sua usus est.

43. *Sancti Floriani* in Austria, bibliotheca Monasterii Canonicorum regularium, cod. XI. 41. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Fol. 1. r. col. 1. praemittitur: *Incipit Gorra super Iohannem. Ecce, intelliget* etc., et fol. 206. r. col. 2: *Explicit Gorra super Iohannem per manus Michahel* (sic).

44. *Trecis* in Gallia, cod. 1410. iam descriptus supra pag. XVIII n. 22. Commentarius in Ioannem incipit fol. 2. r. et desinit fol. 94. v. ante medium, additis sequentibus verbis: *Laus tibi sit Xte, quoniam labor explicit iste.* Nomen auctoris desideratur.

45. *Turonis* in Gallia, cod. 127. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius incipit fol. 1. r. col. 1. sine ullo titulo, desinit: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

46. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3765. chart. in folio. Commentarius excurrit a fol. 1. r. col. 1. ad fol. 166. r. col. 1. et clauditur his verbis: *Expliciunt evangelia Iohannis comentisata* (!) *per reverendissimum magistrum Gorram. Finita anno Domini millesimo CCC.° octogesimo octavo mensis Iunii.*

47. *Ibidem*, cod. 4866. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Antiqua manus praemisit haec verba: *Emi a facultate medicine; detur pro libraria domus Collegii*, 1449. Ad calcem vero sequuntur haec alia: *Explicit Gorra super Iohannem.*

48. *Weimarii*, bibliotheca Ducalis, cod. fol. 15. chartaceus. Commentarius incipit fol. 1. r. col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 121. v. col. 1. sub hac clausula: *Expliciunt dicta Gorre super Iohannem. Anno Domini millesimo CCC.° octogesimo quarto in die Symonis et Iude Appostolorum* (sic).

49. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, Class. I. cod. 69. chart. in fol. saec. XV. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 145. r. col. 2. Additur: *Expliciunt dicta Gorre super evangelium Iohannis.*

§ 6. Collationes in Evangelium Ioannis.

Aliae *Collationes in Ioannem*, sed falso S. Bonaventurae attributae et Ioanni Guallensi Ord. Min. probabilissime restituendae, impressae sunt in editione Vaticana (tom. II.) et aliis subsequentibus. Sed genuinae, prorsus ignotae et a praedictis diversae, inventae sunt a P. Fidele a Fanna, quae ita spirant ingenium et stilum seraphici Doctoris, ut vix indigeant testimonio codicis Toletani, cuius testimonii fac-simile infra exhibemus.

Pretiosae hae *Collationes* nequeunt recenseri inter Commentarios sacrae Scripturae, cum sint potius vel schemata quaedam sermonum vel breves annotationes, quae multos versus huius Evangelii adaptant ad usum praedicatorum. Attamen tam intima est relatio inter has Collationes et Commentarium, ut eas seiungere non expediat.

Notatu dignum est, in genuinis sermonibus nostri Doctoris tomis IX. et X. edendis inveniri sententias, divisiones et auctoritates easdem, quae in his Collationibus habentur; quod accuratiore sermonum examine, ut putamus, magis adhuc confirmabitur. Hinc nobis videtur probabile. S. Doctorem, qui continuo s. Scripturam meditabatur et frequentissime praedicabat, pro proprio proxime usu has Collationes et annotationes meditando hoc Evangelium conscripsisse et fortasse etiam alias in aliorum sacrorum librorum lectione; cuius exemplum habemus illam collationem in Lucam c. 3, 6. (pag. 631). Post certo genuinas Collationes in codicibus nostris sequuntur exigua quaedam additamenta, de quibus dubitari potest, utrum sint legitima; unde ea reiecimus in appendicem.

1. *Toleti* in Hispania, bibliotheca Capituli, Caion. 5. cod. 22. membr. in fol. minore saec. XIII exeuntis, vel XIV. ineuntis, ut videre est infra in specimine chimice impresso. Collationes incipiunt fol. 176. v. col. 2. in initio sub titulo: *Incipiunt collationes super evangelium Iohannis a fratre Bonaventura generali ministro fratrum minorum edite. In principio erat verbum* etc. Desinunt verbis: *salus invisibilis et salutaris.* In ultimo fol. r. ad calcem est inscriptio saec. XIV. partim rasa, cuius haec verba legi poterant: *Iste liber est fratris Stephani... Ordinis fratrum minorum de Provincia Francie inferioris.* —

Correctiones ad marginem sunt factae alia manu eiusdem aevi. — Sign. litt. A.

2. *Monasterii* in Borussia, bibliotheca Paulina, cod. 135, de quo locuti sumus supra pag. XXIII n. 8, est membr. in fol. parvo saec. XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis. Collationes incipiunt fol. 95. r. col. 1: *In principio erat verbum* etc. Desinunt fol. 120. col. 2: *solus visibilis et visio salutaris. Finitur. Amen.* — Sign. litt. C.

3. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 1298. membr. in fol. minore saec. XIV. ineuntis. Collationes in Evangelium sancti Ioannis sequuntur expositionem sancti Bonaventurae in Evangelium sancti Lucae. Incipiunt: *In principio erat verbum* etc. Desinunt: *salus invisibilis et visio salutaris*, ut in duobus praecedentibus codicibus. — Sign. litt. B.

Codice A, ab ipso P. Fidele exscripto, usi sumus pro fundamento nostrae editionis. Ipse est satis correctus, nisi quod non raro laborat solito codicum vitio omittendi ea quae in medio eorundem vocabulorum habentur. Hae lacunae suppleri poterant utroque codice B C, praesertim vero cod. B. Cod. C ab aliis recedit in eo, quod dubie vel breviter dicta aliis verbis solet interpretari, sed tantum in rebus minutis, quia quoad sententias, exceptis librariorum negligentia omissis, cum aliis plene convenit. Nullus trium codicum ab alio dependet ut apographum, quia singuli suas proprias lectiones habent nec in praetermissionibus convenire solent, sed invicem se corrigunt et supplent. Hac excellenti horum codicum proprietate, qua repraesentantur quasi tres codicum familiae, praestatur sponsio pro sinceritate textus nostri.

§ 7. **De indole et praestantia Commentariorum S. Bonaventurae et de nostra editione.**

Iudicandi sunt hi Commentarii secundum normam, quam communiter expositores illius aetatis, et inter alios innumeros B. Albertus, S. Thomas et card. Hugo a S. Charo sequebantur. Quaestiones illae philologicae, historicae, criticae, quae in recentioribus Commentariis abundent, in his Commentariis tantum obiter, et prout per media illius aevi fieri potuit, tractantur, non tamen penitus negliguntur. Expositor noster totus fere versatur in sensu sententiarumque nexu sacri libri eruendis et ad usum praedicatorum praeparandis. Dictum est de Commentariis nostri Doctoris, nimis eum versari circa sensum mysticum quaerendum. Sed qui hoc censuerunt videntur attendisse praecipue ad opera spuria editionis Vaticanae. Legenti enim genuinos huius voluminis Commentarios ad oculos patet, mysticam in eis expositionem admodum exiguam eorum partem occupare, et hanc plerumque ad *moralem* (tropologicam) applicationem spectare. Bonaventura sibi constans praecipue litteralem sensum exponere conatus est tanquam aliorum fundamentum, sicut docuit in Breviloquio (Prolog. § 6.), « quod non potest quis de facile (ad absconditum sensum) pertingere, nisi per assuefactionem lectionis textum et litteram Bibliae commendet memoriae, alioquin in expositione Scripturarum nunquam poterit esse potens. Unde sicut qui dedignatur prima addiscere elementa, ex quibus dictio integratur, nunquam potest noscere nec dictionum significatum nec rectam regulam constructionum; sic qui litteram sacrae Scripturae spernit ad spirituales eius intelligentias nunquam assurget. — Attendat autem expositor, quod non ubique requirenda est allegoria, nec omnia sunt mystice exponenda » etc.

Inter Scholasticos viguit consuetudo, librum Scripturae exponendum non tantum in partes generales distribuere, sed etiam has multipliciter usque ad singulos fere versus subdividere; id quod cum S. Thoma et B. Alberto aliisque etiam noster Doctor magno et subtili studio facere consuevit. Haec methodus nostra aetate non placet, et vix invenitur aliquis, qui tot divisiones memoria retinere possit, et non potius harum numero obruatur ac confusionem quandam experiatur. Huic incommodo occurrere conati sumus duplici medio. In textu praeter divisiones capitulorum principaliora auctoris divisionum membra nostris rubricis distinximus, ultima vero ad marginem notavimus. Insuper post Commentarios in scholio per modum schematum has divisiones sub uno conspectu proposuimus.

Praecipua nostra cura fuit, ut ipsum textum originalem, ope codicum, quantum fieri potuit, restitutum, correcte typis exprimeremus. Altera cura et non nisi improbo labore solvenda fuit, ut *fontes*, quibus auctor usus est, indicemus. P. Bened. Bonelli in edendo tertio Commentario sententias plurimorum commentatorum et catholicorum a saec. XVI. usque ad XVII. in notis apposuit. Quem laborem si continuare voluissemus usque ad nostram aetatem, ardua haec res et vires nostras excederet et aliena esset ab officio editorum. Omissis igitur eiusmodi notis, a P. Bonelli Commentario in Ioannem appositis, potius supplevimus defectus et lacunas ab eodem in fontibus citandis ibidem relictos; quoad praecedentes duos Commentarios labor hic fere a principio a nobis praestandus erat. Non raro etiam synchronos commentatores, scil. B. Albertum, S. Thomam et card. Hugonem a S. Charo, praesertim in Commentario in Ioannem allegare placuit.

Quod sacram Scripturam interpretari, « ad proprios sensus *contorquens* », nemo audeat, neque « contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum »; constitutum est a Synodo Tridentina (Sess. IV. De editione et usu s. Script.). Haec regula catholica in Commentariis S. Bonaventurae et coaevorum auctorum sic praevalebat, ut ad tramites Ss. Patrum totam fere expositionem dirigerent et sine auctoritate eorum vix no um aliquid in medium proferre auderent. Notum est, quanta auctoritate apud Scholasticos frueretur utraque *Glossa*, scil. *ordinaria* et *interlinearis*, propter hanc rationem, quia ex Patribus collectae, vel secundum eosdem factae erant. Omnium illius aetatis expositionum quasi fundamentum, super quo Commentarii diversi, adhibitis aliis Patrum testimoniis, communiter construebantur, sunt Glossae. Hinc magna illa Commentariorum antiquorum quoad substantiam similitudo.

Praeter utramque Glossam S. Bonaventura in operibus huius tomi diversis auctoribus usus est. De fontibus Commentarii in *Ecclesiasten* iam locuti sumus in scholio nostro infra pag. 99. — Ipsae *Glossae* ad librum *Sapientiae* magna ex parte sumtae sunt de expositione *Rabani*, quam etiam noster Commentarius plerumque sequitur. — In Commentario in Evangelium Ioannis auctor noster breviter refert fere omnia, quae Ss. Augustinus et Ioan. Chrysostomus de eodem Evangelio scripserunt; quod satis patet ex notis a nobis ad calcem positis. Praeterea non raro citat quendam *Victorem*, de quo nullibi certam notitiam a principio invenire potuimus. Postea vero incidimus in duo testimonia Alcuini pag. 277, nota 11. (cfr. pag. 246, nota 7.) relata, quae allegant duo opera nunc ignota, quae scripsit *Victor, episcopus Capuae*. Verisimile est, ad hunc Victorem Capuanum spectare allegationes S. Bonaventurae. Etiam auctor spurii Commentarii in Apocalypsim interdum citat quendam *Victorem*.

TABULAE

COLLATORUM CODICUM OMNIUM OPERUM

HUIUS SEXTI TOMI.

I. *Adhibiti pro Commentario in librum Ecclesiastae:*

A. . Cod. Assisiensis (bibliotheca sacri Conventus) num. vacat (n. 1.[1]).
B. . . . » Erlangensis (biblioth. Universitatis) 268. (n. 3.).
C. . . . » Tudertinus I. (biblioth. Conventus s. Fortunati) 68. (n. 7.).
D. . . . » Tudertinus II. (biblioth. Conventus s. Fortunati) 9. (n. 6.).
E. . . . » Parisiensis I. (biblioth. Nationalis) 15573. (n. 4.).
F. . . . » Cracoviensis (biblioth. Universitatis) A. A. XII. 2. (n. 2.).
G. . . . » Parisiensis II. (biblioth. Nationalis) 14429. (n. 5.).

II. *Adhibiti pro Commentario in librum Sapientiae:*

A. . Cod. Parisiensis (bibliotheca Nationalis) 15573. (n. 1.).
B. . . . » Patavinus (biblioth. S. Antonii) 333. (n. 2.).
Editio Veneta 1574.

III. *Adhibiti pro Commentario in Evangelium S. Ioannis:*

A. . Cod. Parisiensis I. (bibliotheca Nationalis) 15680. (n. 10.).
B. . . . » Parisiensis II. (biblioth. Nationalis) 15593. (n. 11.).
C. . . . » Parisiensis III. (biblioth. Nationalis) 15599. (n. 12.).
D. . . . » Parisiensis IV. (biblioth. Nationalis) 15592. (n. 13.).
E. . . . » Tudertinus (biblioth. Conventus s. Fortunati) 65. (n. 14.).
F. . . . » Montis Alvernae num. vacat (n. 9.).
G. . . . » Erlangensis (biblioth. Universitatis) 373. (n. 2.).
H. . . . » Cracoviensis (biblioth. Universitatis) 1393. A. A. VIII. 12. (n. 1.).
I. . . . . » Florentinus I. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) Conv. soppr. 363. (n. 3.).
K. . . . » Florentinus II. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) » » 465. (n. 4.).
L. . . . » Florentinus III. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) » » 360. (n. 5.).
M. . . . » Monacensis I. (biblioth. Regia) 7940. (n. 6.).
N. . . . » Monasteriensis (biblioth. Paulina) 135. (n. 8.).
O. . . . » Monacensis II. (biblioth. Regia) 17783. (n. 7.).

IV. *Adhibiti pro Collationibus in Evangelium S. Ioannis:*

A. . Cod. Toletanus (biblioth. Capituli) Caion. 5. n. 22. (n. 1.).
B. . . . » Romanus (biblioth. Vaticana) 1298. (n. 3.).
C. . . . » Monasteriensis (biblioth. Paulina) 135. (n. 2.).

---

[1] Numeri intra parenthesim inclusi indicant locos, ubi codd. in respectivis §§ describuntur.

BX 890
.B673

OPERA HUIUS TOMI.

Commentarius in Evangelium S. Lucae . . . *pag.* 1
In appendice:
Expositio in Lamentationes Ieremiae Prophetae . . » 605
Expositio Orationis Dominicae . . . . » 652

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

301490

PROLEGOMENA

IN SEPTIMUM TOMUM.

In hoc septimo nostrae editionis volumine exhibemus opus exegeticum seraphici Doctoris certo genuinum, adiecta appendice, quae continet dubia vel potius illegitima opuscula.

CAP. I.

De genuino S. Bonaventurae Commentario in Evangelium Lucae.

Commentarii huius prologus incipit: *Spiritus Domini super me*, expositio vero praefationis S. Lucae: *Quoniam quidem multi* etc., sic: *Hic est prologus auctoris.*

Praeclarum hunc Commentarium esse certo genuinum opus, a viris eruditis, solis exceptis editoribus Venetis, semper assertum est. Isti vero censores, neglectis plurimis argumentis in favorem Doctoris seraphici militantibus, hoc opus ad *incerta* scripta reiicere conati sunt, ducti ratiunculis vere futilibus.

§ 1. **Nullius momenti sunt rationes ab editoribus Venetis pro ista opinione allatae.**

Censura istorum tum contra hunc Commentarium tum contra Expositionem orationis dominicae haec est (ed. Veneta, tom. I. Diatriba pag. 90.): « Sunt plura, quae maxime nos movent, ut utrumque hoc opusculum ad supposititia ablegemus; sunt e diverso quae magnopere alliciant nos, ut inter legitima Bonaventurae opera recenseamus. Ac nos cum primis grave premit testimonium Ptolomaei Lucensis, cuiusmodi verba sunt (Hist. Eccles. cap. XXIII.): « Huic Bonaventurae Urbanus IV. duo Evangelia glossanda commiserat; sed excusans se propter officium, quod habebat, quia Magister Generalis erat, idem Doctor Aquinas supplevit ».

« Sed ut opus vel ipsum introspiciamus, incomptum et inornatum dicendi genus, quod hoc in opusculo deprehenditur, satis suspicionis nobis dat, ut spurium Bonaventurae foetum iudicemus. Frequens deinde expositor fuit in citandis Sallustii, Senecae, Iulii Caesaris, Catonis libris, a quibus, ut coniectura consequimur, se quidem Bonaventura continuit ».

« Ceterum, ut dicamus quod res est, habemus alia, quae nos in oppositam sententiam pertrahunt. Ac primum occurrit Ioannes Trithemius in indiculo Bonaventurae: *Super Oratione Dominica lib. I. In Evangelium Lucae lib. I.* Occurrunt praeterea, quae Romani editores in argumento expositionis eiusdem tom. II. scripserunt: « Dicemus igitur iam de expositione in Lucam, quam eius esse non solum Trithemius ostendit, sed plane demonstrat exemplar vetus Vaticanum, itemque exemplaria quatuor in Belgio diligenter asservata, quorum unum est Gandavense, alterum Bruxellense, tertium Traiectinum, quartum Lovaniense: cum quibus omnibus olim a F. Matthia Dordracensi, Fratrum Minorum Germaniae inferioris Ministro Provinciali, olim collata quam diligentissime haec expositio, anno MDXXXIX typis Antverpiensibus concinne impressa, Paulo III. Pont. Max. prodiit in lucem. Ex Antverpiensis editionis apte recteque emendatae exemplari sumsimus exemplum ad editionem Vaticanam hanc, quae melior multis partibus reddita est exemplaribus quoque aliis ». Haec nos, utpote qui nihil contemnere solemus, valde prohibent, ne aut dextrorsum, aut sinistrorsum inclinemus, sed suspenso maneamus iudicio, donec veritas nobis affulgeat ».

Hae animadversiones, quatenus respiciunt Commentarium in Lucam, satis eversae sunt iam saeculo praeterlapso a Magistro Hyacintho Sbaralea (Supplem. ad Scriptores Ord. Min. pag. 145 et etiam 171), cuius verba a P. Bonelli in Prodromo (col. 637) ex variis locis collecta sic exhibentur:

« Ego puto, Ptolomaeo fuisse suppositum, aut quorundam rumorem et coniecturam secutum. Quo enim pacto potuit Bonaventura se excusare coram Pontifice, qui noverat eum plura scripsisse et tunc etiam scribere, nec ita patribus Comitiorum Narbonensium respondisse? Sanctum Doctorem Expositionem in Lucam confecisse testantur ante Trithemium Octavianus Suessanus, Franciscus Pavinus, Robertus Liciensis, Iacobus Oddus, et Bartholomaeus Pisanus circa annum 1387 scribens. Ptolomaeus vero, etsi auctor suppar, scripsit Historiam Ecclesiasticam multo post sancti Doctoris obitum, post annum 1312. Desinit in an. 1294. Quare potuit errasse, quemadmodum lib. XXII. cap. XXI., ubi tradit, sanctum Thomam Coloniae exsistentem recusasse abbatiam Montiscassini per Alexandrum Pontificem oblatam, cum id factum fuerit per Innocentium quartum, ut fatetur Echardus tomo I. Bibl. Ord. Praed. pag. 278. Si etiam

tempore sui ministeriatus supremi scribere potuit Bonaventura *Itineraria duo: in Deum et in seipsum* anno 1259, *Legendam maiorem et minorem* ab anno 1261 ad 1262, *Apologiam Pauperum* an. 1269 etc.; quo pacto potuit se excusare coram Papa, se ratione officii ministeriatus non posse Evangelia duo exponere? Quod insuper obiiciunt editores novissimi et nullum est et falsum. Tantum enim abest, ut ibi *frequens sit in citandis Sallustii, Senecae, Iulii Caesaris et Catonis libris*, ut aut nunquam, aut vix occurrant; bis vel ter reperi eum citare Tullium, semel Senecam et semel aut bis Iosephum Hebraeum. Ceterum creberrime et fere semper sacra Scriptura, sanctis Patribus et Glossa utitur. Eius porro dicendi genus immerito dicitur *incomptum et inornatum*, cum non alibi forsan magis elucescat prudens, eruditum pro temporum conditione, pium sanctique Doctoris proprium quam in hac Expositione. Ter dictum factumque beati Francisci et paulo post septem gradus contemplationis Fr. Aegidii anno 1262 vita functi adducit» etc. Hactenus Pater Sbaralea.

§ 2. **E contrario, positivis et lucolentis rationibus probatur, hunc Commentarium esse legitimum S. Bonaventurae opus.**

Hoc satis iam demonstravit P. Benedictus Bonelli in suo *Prodromo* col. 638 seqq., cuius argumenta a nobis aucta succincte sic proponimus.

Hoc primo evincunt *antiquorum de hac re testimonia*, quae fere omnia continentur in indiculis descriptis in Prolegomenis nostris ad tom. V. c. 12, pag. LV seq.

Primus et synchronus testis est Fr. *Salimbene Parmensis,* qui in suis Chronicis (ed. Parmensis pag. 129) haec habet: «Item, Fr. Ioannes de Parma dedit licentiam Fr. Bonaventurae de Balneo Regis, ut Parisius legeret, quod nunquam alicubi fecerat, quia bacellarius erat nec adhuc cathedratus; et tunc fecit lecturam super totum Evangelium Lucae, quae pulcra et optima est; et super Sententias quatuor libros fecit, qui usque in hodiernum diem utiles et solemnes habentur. Currebat tunc annus 1248, nunc autem agitur annus Domini 1284». — Licet in hoc testimonio non exhibeantur signa hunc Commentarium ab aliis satis distinguentia, tamen nullum dubium remanet, quin designaverit eundem, quem omnia saecula tanquam foetum Bonaventurianum celebraverunt, et quem alii testes et tot codices S. Doctori attribuunt.

Secundus testis est *Fr. Bartholomaeus Pisanus* (indiculus VII.), qui suas *Conformitates* an. 1385 incepit et an. 1399 Capitulo Generali Minorum obtulit. De Bonaventura inter alia habet (I. Conform. fruct. 8. part. 2. fol. 80 col. 4, edit. Mediolanen.): «Postillavit excellenter Evangelium beati Lucae». Allegat etiam et approbat nonnullas sententias eiusdem Commentarii, quae conveniunt cum editis, praesertim ea quae auctor in Luc. c. 10. n. 8. tradit de usu prohibito calceamentorum et de usu permisso sandaliorum.

Idem fere repetitur ab *anonymo Stronconiensi* (indic. VIII.), a *Iacobo Oddone* (indic. XIII.) et ab omnibus auctoribus (inter quos est etiam Trithemius) ibi subsequentium indiculorum, qui etiam plerumque praestantiam operis laudant.

Porro, duo *antiqui catalogi* duarum Ordinis bibliothecarum gravissimum pro Bonaventurae Commentario reddunt testimonium, scilicet catalogi bibliothecae S. Fortunati *Tuderti* et sacri Conventus *Assisii.* Quoad *primum* remittimus lectorem ad nostrum tom. V. Prolegom. c. 1, pag. III col. 2 seq. Ibi in inventario antiquiore, circa finem saec. XIII. confecto, ter notatur «Postilla fratris Bonaventure super Lucam» (cfr. Prodrom. col. 479) et similiter in secundo inventario, quod scriptum est «ex praecepto Domini Benedicti Papae XII.» (ab an. 1334-1342). In eadem bibliotheca duo exemplaria antiqua (n. 47. et 60.) adhuc exstant, quae a nobis collata sunt et infra § 4. descripta, scil. codd. C D. — Catalogus bibliothecae *Assisiensis* confectus est an. 1381 (cfr. Prodrom. col. 378 et noster tom. V. Prolegom. pag. LX col. 2), in quo legitur pag. 29: «Postille super Evangelium Luce fratris Bonaventure cum postibus et cathena, cuius principium: *Spiritus Domini super me,* finis vero: *Qui cum Patre et Spiritu sancto*» etc. — In eadem bibliotheca, teste Magistro Ubaldo Thebaldio Min. Conv. (cfr. Prodr. col. 387) exstitit saeculo XVII. codex huius Commentarii, inscriptus: «Postilla super Lucam secundum magistrum fratrem Bonaventuram de Balneo regio Ordinis Minorum». Idem hic cod. nunc pertinet ad nostrum Collegium, qui infra sub signo H describitur.

His testimoniis accedit auctoritas tot aliorum antiquorum codicum, qui librum Bonaventurae inscribunt (cfr. infra § 4.).

Secundo, *praedicta testimonia confirmantur criteriis internis.*

Quod auctor huius operis fuerit doctor Ordinis Minorum, manifeste probat P. Bonelli (Prodr. col. 639). Saepe enim in ipso commendatur altissima paupertas, praesertim c. 7. n. 42. seq., ubi ipsa commendatur «propter decem excellentissimas dignitates»; iterato laudatur B. Franciscus, item Fr. Aegidius (c. 9. n. 48.). Porro, ad ea verba: *Nolite portare calceamenta,* subditur haec interpretatio (c. 10. n. 8.): «Scilicet ad cooperiendos pedes... *Sandalia* enim a laesione pedem protegunt, sed non tegunt, sicut sunt soleae fratrum» (Vat. addit *nostrorum,* quod certe est supplendum).

Nulli autem alii Franciscano nisi seraphico Doctori hunc librum tribui posse, suadet conformitas doctrinae, methodi et stili, quae tanta est, ut qui versatus est in aliis scriptis eiusdem certo genuinis facile in hac postilla S. Doctoris indolem agnoscat. Quoad doctrinae conformitatem sexcenties allegavimus locos parallelos, quos qui voluerit inspicere et conferre ipse de hac conformitate sibi persuadebit. Nonnulla huiusmodi exempla videri possunt in Prodromo (loc. cit.), quae hic referre superfluum videtur.

§ 3. **De tempore, quo hic Commentarius scriptus est, et de ipsius indole et praestantia nonnulla notamus.**

Primo quoad *tempus* P. Bonelli asserit (Prodr. loc. cit.), «Lecturam super totum Evangelium Lucae a Bonaventura factam esse Parisiis an. 1248, cum primum fuisset inibi a Fr. Ioanne Parmensi institutus Lector». Hoc (ibid. col. 10) probare nititur verbis Fr. Salimbene supra § 2. relatis, quae sane hoc expresse testari primo aspectu videntur, cum ille dicat: «Currebat tunc annus 1248» etc. Attamen putamus, utriusque auctoris sensum ita duntaxat intelligendum esse, quod tunc Bonaventura *inceperit* circa memoratum librum tam operosum laborare; hoc enim brevi tempore eo minus potuit perficere, quia praeter interpretationem Lombardi in schola eadem periodo etiam immensum opus quatuor librorum in Lombardum inter manus habebat. Attendendum est etiam, auctorem tunc aetate iuvenem fuisse (factus est an. 1245 baccalaureus, quando non numerabat nisi 24 annos, et post tres annos incepit publicam lecturam).

Immo putamus, quod verba Fr. Salimbene « Currebat tunc annus 1248 », sine violentia restringi possint ad *initium publicae lectionis.*

Nam, ut sincere nostram opinionem manifestemus, tota huius operis, quale nunc legitur, indoles insinuat, saltem ultimam eius completionem ad maturiorem auctoris aetatem esse prorogandam, quidquid sit de tempore et modo, quo hoc Evangelium tractare inceperit.

Praeterea, non videtur nobis esse probabile, hoc scriptum in eadem qua nunc exstat forma traditum fuisse in *schola,* sicut aliud in *Evangelium Ioannis,* quod in scholis lectum esse, fide perantiqui codicis msc. in Prolegomenis ad tom. VI. pag. XXI col. 2 asseruimus. Non exigua enim apparet differentia indolis inter utrumque Commentarium. In Ioannem scribit auctor forma pro scholis adaptata, multus est in quaestionibus theologicis et exegeticis scholastice solvendis, parcius allegat locos Scripturae et Glossarum; ast Commentarius in Lucam se prodit scriptum potius ad scopum practicum, praesertim ad usum praedicatorum. Hinc accumulantur multa millia locorum utriusque testamenti, ita ut ad quamlibet sententiam plures suggerantur loci, quibus praedicator pro libitu uti possit, ut, quidquid dicat auctoritate Scripturae confirmet, prout consuetudo istius aetatis postulabat. Hinc etiam exhibetur continua catena auctoritatum ex Glossis et libris Patrum collecta. Unde vere dici potest, librum hunc tot millibus auctoritatum locis artificiose contextum similem esse operi musivo innumeris variisque lapidibus composito. In tanta varietate minime tamen ordine caret, sed mira synthesi est ordinatus gravibusque seraphicae mentis sententiis perfusus. Non obstante hoc scopo practico, satis tractantur etiam quaestiones proprie exegeticae, sed moderate, breviter et in forma non scholastica. — Haec omnia, sicut minus praelectionibus scholasticis conveniunt, sic optime ei scopo, quem supposuimus, scilicet quod liber sit in usum praecipue praedicatorum destinatus.

Praedictum scopum principalem in ipso prooemio aliquatenus insinuatum esse, nobis videtur. Nam textum Scripturae: *Spiritus Domini super me* etc., primo competere dicit « *cuilibet doctori* S. Scripturae eiusque *auditori* » (n. 2.). Quod autem hoc non tantum de doctore in scholis disputante intelligendum sit, sed etiam de praedicatoribus ad populum, exprimitur inferius (n. 5.) his verbis: « Evangelium autem Dei exponere et docere est *verbum divinum praedicare* ».

Quod attinet *fontes*, quibus auctor usus est, patet, eum *Glossas* tam *interlineares* quam *ordinarias* ea aetate notas fere integras in proprium usum vertisse. Notum est, ipsas Glossas excerptas esse ex libris Ss. Patrum; unde Glossae in Evangelium Lucae plerumque sumtae et contractae sunt ex duobus in idem Commentariis, scil. Ambrosii et Bedae. Praeterea, his ipsis Commentariis Bonaventura ita usus est, ut nihil notatu dignum praetermiserit. Passim allegat etiam locos congruentes ex egregiis Homiliis in Matthaeum ea aetate S. Ioanni Chrysostomo tributis, quae communiter nominantur *Opus imperfectum.* Etiam S. Thomas putavit, has Homilias esse opus Chrysostomi easque plurimi fecit (cfr. De Rubeis in S. Thomam dissert. 5. c. 4.). Ex aliis etiam operibus, praesertim Ss. Augustini, Hieronymi, Gregorii, Bernardi aliorumque passim afferuntur loci, ita ut in hoc uno Commentario fere invenias, quidquid Ss. Patres, saltem Latini, in elucidationem huius Evangelii scripserunt.

Praestantia huius Commentarii iam a coaevis scriptoribus et subsequentibus, qui eundem commemorant, laudibus celebratur (cfr. supra § 2.).

In hoc immensi laboris opere doctrina auctoris, diligentia, pietas et ingenium fecundum ac sublime manifeste apparet. Ut iuste de eius valore iudicetur, habenda est ratio tum aetatis, qua scriptum est, tum methodi tunc communis, tum etiam specialis finis ab ipso intenti, scilicet ut uberem praedicatoribus materiam et aptam rerum dispositionem praeberet. Censemus autem, etiam nostra aetate posse praedicatores pro elaborandis sermonibus, praesertim homiliis, pretiosa subsidia ibi invenire. Quod enim in Prolegomenis ad tom. VI. (pag. XXVI, § 7.) monuimus etiam quoad hunc Commentarium repetere possumus, falsum scilicet esse, quod Bonaventura, neglecto sensu litterali, fere totus sit in sectando sensu mystico. Sufficit notas nostras marginales inspicere, ut quam exigua pars libri de hoc sensu tractet, evidenter appareat.

§ 4. **De subsidiis in hac nostra editione adhibitis et nostro labore haec notamus.**

Quid editio Vaticana (tom. II. an. 1589) in praefixo argumento de propria sua editione et de Antverpiensi an. 1539 tradiderit, iam supra § 1. editores Veneti retulerunt. Iam nonnulla his adiungimus.

De editione illa Antverpiensi an. 1539, quam non vidimus, loquuntur etiam P. Bonelli (Prodr. col. 329) et P. Servatius Dirks, Ord. Min. Recoll. in suo libro: *Histoire littéraire et bibliographique des Mineurs de l'Observance en Belgique et dans les Pays-Bas,* Anvers, Van Os-de Wolf 1885, pag. 69. Sed uterque hanc editionem tribuit celebri fratri eiusdem Ordinis *Ioanni Mahusio,* qui opera praedicti Mathiae Dordracensis usus esse videtur. Mahusius, eximius Lector sacrarum litterarum in Conventu Lovanii, postea designatus est primus episcopus Daventriensis, cui sedi resignavit. A Geusis an. 1572 crudeliter vulneratus et instar cadaveris in platea relictus est. Obiit 1577. Ista editio Antverpiensis secundum P. Servatium omnium prima fuit huius Commentarii. Sed Bonelli (Prodr. coll. 310, 329, 357) refert Venetianam quandam an. 1524 apud Salvionum a pluribus auctoribus memoratam, quam neque ipse neque nos vidimus. — Alia Venetiana an. 1574 ex eiusdem Francisci Salvioni officina in Collegio nostro habetur, cuius titulus: « D. Bonaventurae in sacrosanct. Evangelium Iesu Christi sec. Lucam elaborata Enarratio, omnibus Christi fidelibus, tum maxime divini verbi declamatoribus apprime utilis ac salutaris ». Hanc editionem cum Vaticana incepimus conferre, sed postquam invenimus, textum utriusque vix in minutis rebus discrepare, ab inutili labore cessavimus. Si igitur Vaticana ed. exemplar sumsit ab Antverpiensi, concludendum est, etiam Venetianam an. 1574 illam esse secutam. Ceterum etiam tertiam editionem Venetianam invenimus in Prodromo memoratam, quae perhibetur eodem anno 1574 esse impressa apud *Petrum de Franciscis.* Sed haec non nisi novo titulo a praedicta anni 1574 videtur differre, de quo vide infra c. 2. § 1.

Codices huius Commentarii cum textu editionis Vaticanae a nobis collati.

1. *Claris Aquis* in archivo nostri Collegii (donatus ab illustri D. I. Spitthöver), olim bibliothecae sacri Conventus

S. Francisci Assisiensis, cod. membran. in folio, saeculi XIV. circa med. In fascia membranacea asseri posteriori exterius affixa legitur: *Postilla super Lucam secundum magistrum fratrem Bonaventuram de Balneo regio ordinis Minorum; reponatur versus orientem in banco VII.* — Folio 1. r. columna 1. incipit sine ullo titulo: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me ad annunciandum mansuetis terre, ut mederer contritos corde et predicarem captivis indulgenciam et clausis apercionem. Considerantibus nobis* etc. Desinit fol. ultimo r. col. 2. *Ad quem finem nos perducat Ihes Xs dei filius per intercessionem dulcissime matris sue et beatissimi Luce evangeliste, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit ac regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

Genuino Commentario hic cod. passim plura et prolixa addit, quae ultra tertiam partem editi operis excrescunt, ita ut verba *secundum Bonaventuram* proprie ipsi conveniant. Interdum quasdam particulas omittit vel immutat, praesertim difficiliores. Cum autem haec manifeste ab alio posteriore auctore facta sint, hic cod. vix ad aliud servire potuit nisi ad confirmandas genuinas aliorum codicum lectiones et paucos locos corruptos illustrandos. — Signatur littera H.

2. *Darmstadii* in Germania, biblioth. Ducalis, cod. 369. chart. saec. XV. circa med. Manus posterior eiusdem saeculi apposuit fol. 1. r. hanc memoriam: *Ex parte venerabilis magistri Martini de Monialve, quondam Provincialis huius provincie et filii huius conventus* (recens manus addidit: *Carmeli aquensis), et obiit anno Domini MCCCCLXXXIX. ipso die sancti Theodori martiris.* Incip. fol. 3. r.: *Spiritus domini super me* etc.; in fine adduntur haec alia: *Expliciunt postille fratris Bonaventure super Lucam.*

Etiam hic interdum habet additamenta, sed brevia, quae quidem non raro etiam in ed. Vat. habentur, sed desunt in antiquioribus codd. Solet etiam cum Vat. supplere locos Scripturae, quando in illis antiquis codd. consulto aliqua omissa vel tantum per *etc.* indicata sunt. — Sign. litt. G.

3. *Florentiae,* biblioth. Mediceo-Laurentiana, cod. Conv. suppr. 847. modo 360, de quo locuti sumus tom. VI. Prolegom. pag. XXII n. 5. Commentarius in Evangelium Lucae incipit fol. 2. r., cui manus saec. XV. praemisit: *Postilla super Lucam Conventus sancte Marie novelle de Florentia Ordinis Predicatorum.* Deinde columna 1. *Spiritus Domini super me* etc. Desinit fol. 128 v. col. 1 in fine.

Non parum mendose est scriptus, praesertim quia per saltum plura verba et integras lineas saepe omittit. Textus tamen communiter convenit cum C D, cum quibus constituit meliorem familiam. — Sign. litt. A.

4. *Ibidem,* Plut. XI. dext. cod. 3. membr. in fol. saec. XIV. incunt. Incipit. fol. 3. r. sine ulla nota: *Spiritus Domini super me* etc. Desinit fol. 114. r. ut in edito Commentario.

Non exhibet integrum Commentarium, sed passim verbis contractis sensum exprimit, vel etiam aliquatenus immutat. Ad marginem et calcem saepe habet additiones alienas. — Sign. litt. B.

5. *Ibidem,* Conv. suppr. 645, modo 99. 465. Vide quae de hoc codice diximus tom. VI. Prolegom. pag. XXII n. 4. Commentarius incipit fol. 84. r. sub rubrica alterius manus: *Postilla super Lucam.* Hinc: *Spiritus eius* (sic) *super me* etc. Desinit fol. 142 v. col. 2. ut in editione.

Etiam hic textum contractum habet; unde postquam vidimus, eum in illis partibus, quas habet, quoad sensum et plurima verba cum aliis codd. convenire, cessandum esse a parum utili labore decrevimus. — Sign. litt. I.

6. *Matriti,* biblioth. Escorialis, cod. III. R. 2. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Manus saec. XIV. praemisit in superiore parte recta primi folii haec verba: *Istam postillam fecit frater Bonaventura Ordinis Minorum Generalis Minister et Magister in theologia ac postmodum Cardinalis Episcopus Albanensis.* Post haec prima manus: *Incipiunt postille fratris Bonaventure super Lucam. Spiritus domini super me* etc. Desinit fol. 212. v. Eadem prima manus subiicit: *Expliciunt postille super Lucam fratris Bone aventure.*

Hic tantum secundum initium et quasdam partes collatus est; quo nobis constare potuit, eum in textu communiter convenire cum meliore familia A C D. — Sign. litt. K.

7. *Montis Alvernae,* biblioth. Conventus, cod. membr. in fol., de quo mentionem fecimus tom. VI. Prolegom. pag. XXIII n. 9.

De hoc idem valet, quod de cod. G diximus. Praeterea passim multa omittit et a c. 19, 48. penitus deficit. Observavimus autem, quod illae praecipue partes omittuntur, quae in missali non sunt receptae ut pericopae diebus dominicis et festis legendae, quae etiam ad marginem codicis indicantur. — Sign. litt. F.

8. *Neapolis,* biblioth. Nationalis, cod. VII. A. 42. membr. in fol. saec. XIV. ante med. Postillam in Evangelium Matthaei anonymam sequitur haec in Evangelium Lucae pariter anonyma. Incipit et desinit ut in editis.

Hic habet lectiones non raro speciales, praesertim in correctionibus, quae ab alia manu ad marginem positae sunt. — Sign. litt. E.

9. *Tuderti* in Umbria, biblioth. sancti Fortunati, cod. 47. membr. in fol. saec. XIII. versus finem exaratus. Incipit fol. 3. r. col. 1: *Spiritus Domini super me* etc., et desinit fol. 150 v. prope finem: *Vivit ac regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

Est satis correcte a prima manu scriptus, et vitia librarii saepe, sed non semper, ad marginem a manu paulo iuniore correcta sunt. Hunc et sequentem plurimum secuti sumus. — Sign. litt. C.

10. *Ibidem,* cod. 60. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Fol. 1. v. manus paulo posterior notavit: *Iste liber est deputatus ad usum fratris Munaldi de Tuderto lectoris; quicumque cum alienaverit absque eius licentia, anathema sit.* Parum infra: *Postilla Bonaventure super Lucam.* Sequuntur quaestiones de scientia Christi et de Mysterio Trinitatis, sed ab alia et antiquiori manu scriptae, ut praemonuimus tom. V. Prolegom. c. 1. § 2. et 4. n. 2. Commentarius in Evangelium Lucae incipit fol. 31. r.: *Spiritus Domini super me* etc. Desinit fol. 177. r. per verba: *Deo gracias.* Sequitur index rerum ordine alphabetico exaratus.

Hic in textu a prima manu scripto valde convenit cum praecedenti, licet non possit esse eiusdem apographum, cum aliquoties habeat quaedam verba, quae in illo desiderantur. Saepius prima manus in hoc quam in illo erravit, sed etiam in margine pluries ab alia manu est correctus, et passim etiam alias lectiones ibi praebet ac cod. C. — Sign. litt. D.

11. *Turonis* in Gallia, biblioth. Civitatis, cod. 27, olim S. Gratiani 43, membr. in fol. saec. XIII. post med. Hunc cod.

iam notavimus tom. VI. Prolegom. pag. XXV n. 45. Commentario in hoc Evangelium praemittitur tantum: *Lucas*, deinde columna prima sequitur: *Spiritus Domini super me* etc. In fine, post: *Amen.* additur: *Die sabati in festo B. Michaelis anno Domini millesimo CC.° septuagesimo quarto computatum fuit apud Caleriam in domo domini Regis inter Damirum doctorem et Adam.*

Omnes alios codd. nostros hic aetate praecedit, sed non correctione. Prologum tantum et partem cap. 1. cum ed. Vaticana conferri curavimus, et praescindentes a gravibus vitiis, conformem eum esse familiae A C D deprehendere potuimus. — Sign. litt. L.

Codices a nobis non collati.

12. *Caesenae* in Italia, biblioth. Malatestiana, Plut. VII. cod. IV. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Plures habet postillas marginales a pluribus librariis saec. XIV. et XV. exaratas, quorum unus addidit in fine: *Explicit postilla super Lucam, Conventus Cessene* (sic) *fratrum Minorum*, omisso auctoris nomine.

13. *Florentiae*, biblioth. Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVII. dext. cod. 3. membr. in folio saec. XIV. ineunt. Folio 2. r. notatur: *Tabula super Postillam super Lucam fratris de Turonia ordinis Minorum.* Alia manus eiusdem saec. XIV. inseruit: *Iste liber spectat ad Conventum florentinum ordinis fratrum Minorum, deputatus ad usum fratris Illuminati de Camposaccis eiusdem ordinis.* Hinc columna prima: *Spiritus Domini super me* etc. Multas habet additiones, omissiones et variationes sicut alii sub n. 1. et 2. descripti. Desinit fol. 156. r.: *Nos ergo de libro finito omnipotenti Deo gracias agimus, qui est Deus super omnia benedictus.* — Inscriptio illa *fratris de Turonia* non auctorem operis, sed tantum *tabulae* vi verborum indicare potest.

14. *Pragae* in Bohemia, biblioth. Universitatis, cod. III. A. 22. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Manus saec. XIV. notavit in principio: *Postilla super Lucam Bone venture;* alia posterior addidit: *Iste liber est emtus a Paulo sacerdote de Lythonnerziez cum aliis pluribus, scilicet...* Prima manus praemisit Commentario: *Postille super Lucam evangelistam*, et addidit in fine: *Expliciunt Postille super Lucam fratris Boneaventure.*

15. *Romae*, biblioth. Vaticana, cod. 5726. membr. in fol. saec. XIV. circa med. Alia manus posterioris aevi inseruit: *Fratris Bonaventure commentaria in Lucam.* Incipit et desinit ut in editis.

16. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 1298. membr. in fol. minore saec. XIV. ineunt. De quo satis diximus tom. VI. pag. XXVI n. 3.

Iam diximus, maioris auctoritatis esse codd. A C D, quibus in partibus collatis suffragantur K et L; ceteri collati plus minusve mutati, adaucti, contracti vel lacunis magnis foedati sunt, unde ipsis usi sumus praecipue vel in confirmationem vel in subsidium, quando melior illa familia defectum, vel corruptionem manifestabat. Multa millia locorum ope codicum corrigere et textum sincerum fere semper restituere potuimus.

Alium improbum laborem, cui quantum temporis et operis impensum sit, nemo nisi expertus facile credit, suscepimus, ut tot millia locorum tum ex Scriptura tum ex aliis scriptis allegatorum sedes inveniremus ipsosque cum originalibus collatos accurate indicaremus. Textum Glossarum frequenter invenimus depravatum, et non raro etiam auctor, a quo sumtae sunt, perperam indicatus. Verum fontem Glossarum et passim etiam integrum eius textum in notis exhibuimus. — Quoad locos Scripturae notandum est, quod illi loci, qui ad textum Evangelii Lucae illustrandum afferuntur, plerumque non perfecte conveniunt cum recenti textu Vulgatae, et hoc ob plures causas. Vel enim hoc accidit, quia exemplar, quo S. Doctor usus est, non conveniebat cum nostra Vulgata, vel, id quod frequentius accidit, ipse consulto quasdam particulas et integras partes omisit, vel etiam constructionem aliquatenus mutavit, ut sermo suo proposito et contextui magis congrueret; exempli gratia, pro forma interrogativa in sensu negativo pluries substituitur propositio absoluta negativa; vel pro *vos* ponitur *nos*. Saepissime etiam pars tantum locorum explicite exhibetur, reliqua vero per *etc.* indicantur. In edd. 1. et Vat., praesertim in prima parte Commentarii dicti loci allegantur plerumque secundum antiquam Vulgatam, et passim partes a codicibus omissae supplentur. Sed putavimus, standum nobis esse codicibus antiquioribus, quando inter se conveniebant. In locis tamen minus communiter notis in commodum lectoris pluries retinuimus verba Vaticanae, ubi codd. ponebant *etc.*

In textu vero *Evangelii Lucae* lectiones a Vulgata discrepantes fideliter annotavimus, vel in textum receptas auctoritate antiquorum vel coaetaneorum scriptorum confirmavimus, praesertim Hieronymi, Augustini, Bedae, Glossarum, B. Alberti, S. Thomae, Card. Hugonis et etiam Gorrani (de quo cfr. tom. VI. Prolegom. pag. XXI col. 1). In horum collatione saepius vidimus, varias editiones horum auctorum in ipso *textu* Scripturae substituisse praesentem lectionem Vulgatae, sed in *expositione* eiusdem retinuisse aliam lectionem, quam habebant etiam nostri codices aliique antiqui. Nobis non probatur ratio eorum editorum, qui in scriptis magnorum doctorum semper recentem Vulgatae textum substituunt antiquae lectioni auctoris. — Hoc quoad textum Evangelii Lucae. Sed in referendis millibus illis locis ex toto V. et N. T. allatis et a Bonaventura consulto, ut diximus, parumper contractis vel mutatis, intolerabile nobis et legentibus et inutile onus fuisset, quascumque minutas res a Vulgata discrepantes ad calcem annotare. Hoc non fecimus, nisi concurrente speciali ratione.

CAP. II.

De pluribus opusculis illegitimis vel saltem dubiis.

Primo agitur de Postilla in Lamentationes Ieremiae.

Hoc opusculum reiecimus in appendicem, quia graves rationes suadent, ut hoc opusculum tribuamus potius discipulo S. Bonaventurae, Ioanni Pechamo Ord. Min., quam ipsi nostro Doctori. Ille cathedram magistri obtinuit Parisiis, deinde Oxonii; postea in Curia Romana fuit primus ex Ordine Minorum Lector s. Palatii. Anno 1279 promotus est ad sedem primatialem Cantuariensem. Mortuus est 8. Dec. 1292. De eiusdem multis scriptis

cfr. Sbaralea (Supplementum ad Script. Ord. Min.) et de multis codicibus, qui exstant, in quibus habentur illa opera, vide nostrum oposculum De humanae cognitionis ratione, Prolegom. pag. XVI. et ibid. pag. 179 quandam eiusdem quaestionem disputatam.

§ 1. **Recensentur editiones huius Commentarii.**

Prima eiusdem editio typis expressa prodiit Venetiis 1574 apud Petrum Franciscum Salvionum. In titulo legitur: « Nunc primum in lucem emissa et ab innumeris quibus scatebat erroribus summo studio summaque cura expurgata ». Hanc editionem prae manibus habemus; cui in eodem tomo Commentarii S. Bonaventurae in Lucam et in Sapientiam, ast cum distinctis titulis et foliorum numerationibus praefixi sunt, sed eisdem typis impressi. In titulo operis in *Sapientiam*, ubi additur: *et Lamentationes Ieremiae*, paulo aliter legitur: « Nunc primum post diutinam exspectationem in lucem edita et ad veterum exemplarium fidem per F. Ioannem Balainium Andrium Conventualem Franciscanum accuratissime recognita ». Quoad locum et tempus editionis solum legitur: « Venetiis MDLXXIIII ». Sed in Prodromo (col. 344 seqq.) P. Bonelli describit Venetianam editionem eiusdem prorsus tituli, exceptis ultimis verbis, quae sunt: « Venetiis MDLXXIIII *apud Petrum de Franciscis et Nepotes in 8* ». — In utroque igitur titulo sunt verba *nunc primum edita*, in utroque eaedem sunt dedicationes, iidem typi et idem annus. Hinc certum esse videtur, non duas editiones in his haberi, sed titulum alium eidem prorsus editioni praefixum esse. Et cum etiam in titulo Commentarii in Lucam, quem habet nostra ed. Veneta an. 1574, legatur: *apud Franciscum Salvionum*, ast in alia eiusdem loci et anni: *apud Petrum de Franciscis;* minime de toto illo tomo dubitamus, quin habeamus non duas editiones, sed unam, mutato tantum titulo.

Prima haec editio Lamentationum, quae a Balaino ut « ab innumeris quibus scatebat erroribus summo studio summaque cura expurgata » laudatur, re vera quoad textum intolerabilibus scatet vitiis, quae passim sensum obscurant et perturbant. Nihilominus haec fere integra etiam in Vaticana et subsequentibus edd. reimpressa est. In ultima editione Parisiensi D. Peltier quosdam errores nimis obvios, coniectura usus, emendare conatus est, sed plerumque veram lectionem codicum non est assecutus; de quo non est mirandum. Insuper maximam partem falsarum lectionum, inter quas sunt gravissimae, ipse haud eliminavit.

§ 2. **Examinantur testimonia externa.**

S. Bonaventuram huius libelli auctorem esse, hucusque communiter iudicatum est; sed quod in iudicio de auctoribus antiquorum scriptorum opinio communis saepe erraverit, plurimis exemplis constat. Audiamus primo loco rationes, quas P. Bonelli (Prodr. col. 635) pro recepta sententia affert.

Postquam idem exagitavit editores Venetos (Diatrib. pag. 87), qui hunc Commentarium « non audent ex catalogo Bonaventurae operum expungere, quamquam nemo sit e vetustis, qui opusculum istud inter eius opera collocet », et tamen illud se legitimum habere asserunt « ob orationis maiestatem, gravitatem et rationem »; P. Bonelli ita prosequitur: « Verum enimvero, quia praefatorum editorum criticen nihil moror, ego quoque consentio, expositionem, de qua nunc loquimur, esse in catalogo Bonaventurae operum retinendam, utpote a duobus pervetustis inventariis Tudertinis testatam, *ad veterum exemplarium fidem recognitam* [ita legitur in titulo memoratae 1. editionis] ac per multiplices editiones publica luce sub nomine Bonaventurae donatam; tum quoque Bonaventuriano more frequentissimis divinae Scripturae textibus illustratam, nihilque stilo aut doctrina eiusdem seraphici Doctoris indignum continentem ».

Ad haec plura observanda sunt. Argumentum primum sumtum ex « pervetustis inventariis Tudertinis » certe magni momenti esset, si ista *luculentum* testimonium pro Bonaventura ferrent; sed hoc negandum est, quia verba eorum aliam interpretationem minime excludunt. De his inventariis iam supra c. 1. § 2. locuti sumus et expressius in Prolegomenis ad tom. V. c. 1. § 2; cfr. etiam Prodr. col. 479, et Tudertinae biblioth. Catalogus Leonii pag. 185. En verba primi inventarii fol. 1: « Postilla fratris Bonaventure super Ecclesiastes (sic!) et Gallensis super Apocalypsim ». Deinde fol. 5: « Postilla fratris Bonaventure super Lucam, et Postilla super Threnos, libros Sapientie et Apocalypsim ». P. Bonelli supponit verba *fratris Bonaventure,* referri etiam ad *Postillam super Threnos* etc., sed cum haec determinatio inter *Postilla* et *super Lucam* posita sit, et deinde vox *Postilla* repetatur; salvis regulis grammaticae, tres aliae postillae sine illis verbis, id est ut anonymae, intelligi possunt.

Verum est, quod in altero inventario, quod scriptum est inter annos 1334-1342, positio verborum magis favet interpretationi Patris Bonelli, cum legatur: « Postilla Bonaventure super Lucam et super Threnos, in libros Sapientie et Apocalypsim »; tamen etiam haec non excludunt rationabile dubium, tum quia verba ex primo inventario transcripta quandam in positione verborum non perfectam convenientiam facile habere possunt, tum quia etiam sic posita sine violentia intelligi possunt sicut locus primi inventarii. — Praeterea, etiam si supponamus, codicem illum Tudertinum re vera habuisse talem commentarium, restat semper quaestio indecisa, utrum hic fuerit idem cum pluries edito, an potius diversus, cum nec inventarium addat notam distinctivam, nec hodie in illa bibliotheca inveniatur aliquod manuscriptum editi commentarii. — Eodem defectu laborat etiam parvus ille indiculus quem ex Echardo descripsimus tom. VI. Prolegom. pag. XV col. 1. n. 20.

Sed maior adhuc solvenda est difficultas. Nam, teste ipso Bonelli, « in Waddingiano syllabo Scriptorum Ordinis Minorum (pag. 148, ed. Rom. an. 1806), inter opera *Ioannis Pecchami*, S. Bonaventurae aliquando discipuli, ex Pitseo refertur: *In Threnos Ieremiae lib. unus; Tempus plangendi* etc., quod ipsissimum est initium ac praesentis in Lamentationes Ieremiae Prophetae Commentarii ».

Hanc difficultatem Bonelli solvere conatur adductis verbis Echardi (Scriptores Ord. Praed. I. p. 444 col. 1): « Quisquis veteres postillas discutiet, plures, licet inter se diversissimas, eodem Scripturae versiculo incipere reperiet »; qua sententia secundum se verissima innixus, Bonelli putat, Pecchamum *alium* a Bonaventuriano commentarium in Threnos scripsisse, licet utrumque incipiat eodem versiculo: *Tempus plangendi* etc.

Sed haec solutio labefit, quia in cod. nostro B (de quo infra) non tantum iste versiculus, sed totus commentarius, salvis lectionibus variantibus, penitus convenit cum illo edito et Bonaventurae inscripto, et tamen prima manus istius codicis auctorem nominat Ioannem Pecchamum, ut infra § 5. notatur; unde praesumendum est, etiam Pitseum locutum esse de eodem libello.

Alter quo usi sumus cod. A est prorsus anonymus, nec P. Fidelis a Fanna unquam invenire potuit manuscriptum libelli aliud, quod nomen Bonaventurae habeat, licet huius commentarii apographa in tot bibliothecis attente quaesierit.

Hinc patet, pro Pecchamo auctore illius commentarii, qui incipit: *Tempus plangendi,* duplex exsistere testimonium externum et antiquum, pro Bonaventura vero nullum satis expressum.

§ 3. **Discutiuntur criteria interna.**

Si praescindimus a gravissimis vitiis, quae textum libelli hucusque misere foedabant, laudem illam, quam, approbante P. Bonelli, editores Veneti huic opusculo tribuunt (vide § 2.), penitus negare nolumus. Verum est etiam, quod in nonnullis locis inveniuntur sententiae, divisiones et loquendi modi Bonaventurae familiares. Sed hoc explicari facile potest, etiam si supponamus, Pecchamum, utpote fidelem discipulum Bonaventurae, esse auctorem operis.

Aliud argumentum intrinsecum P. Bonelli sumit ex auctoribus in eodem allegatis. Dicit enim: « Praeter Hieronymum, Augustinum et Gregorium saepe in ea laudatur Rabanus, nec praetermittuntur Bernardus et Hugo a S. Victore. Inter historicos citantur Iosephus et Hegesippus, inter rhetores autem Tullius ac inter grammaticos Papias, quae quidem citationes omnes conveniunt divo Bonaventurae, qui tanquam scriba doctus consuevit de thesauro suo nova et vetera proferre ».

Sed ex infra dicendis patebit, easdem citationes qualicumque auctori saeculi XIII. non indocto aeque bene convenire quam S. Bonaventurae. Nam Hieronymus, vel Pseudohieronymus (in quodam opusculo illa aetate perperam illi attributo), Rabanus, Hugo a S. Victore, Gilbertus, Paschasius iam scripserunt expositiones Threnorum satis notas; unde talium allegationes novo commentatori facile se praestabant. Quod autem ex Hugone a S. Victore tam multa describuntur, quin fons, unde hausta sunt, nominetur, S. Bonaventurae minus convenire censemus.

Nullius etiam momenti sunt observationes a P. Bonelli (ibid. n. 3.) allatae, scil. quod auctor opusculi « regulas metri bene noverit et etiam Hebraicae linguae non prorsus fuerit ignarus ». Nam loci, ad quos respicit Bonelli, descripti sunt ex antiquioribus commentariis, nempe ex Gilberto, Rabano, Paschasio et fortasse etiam ex illo Pseudohieronymo; quod in seq. § et in notis nostris probabimus.

Examinato hoc libello, nihil invenire potuimus, quod luculenta indicia indolis et stili Bonaventuriani praeberet eodem modo, ut plerumque in aliis scriptis nobis evenit; immo plura et gravia in contrarium facere omnino videntur. Methodus scribendi in hoc libello communis est commentatoribus, qui Scripturam saec. XIII. interpretabantur. Eadem quidem est omnibus consuetudo textum et explicationem continuo dividendi et subdividendi; sed in hac postilla auctor hunc usum usurpat cum quodam non communi excessu.

Singuli fere versiculi iterum dividuntur et passim pluries, fere usque ad singula verba, quod non ita fit in legitimis Bonaventurae Commentariis. Dum in Bonaventura ubique deprehenditur mirabilis synthesis qua partes divisae ad quandam unitatem rediguntur, in proposito opere partes potius coordinantur. Ipsa explicatio litteralis, quae post divisiones sequitur, magis nuda est et grammaticalis, ita ut desideretur seraphica illa doctrinae amplitudo, devotio et sensus litteralis ad morum disciplinam applicatio, qua legitimi Bonaventurae Commentarii excellent. Hic vero auctor moralia solet reservare sequenti expositioni mysticae, quam passim transcripsit ex aliis auctoribus.

Cum igitur criteria extrinseca valde faveant Ioanni Pecchamo, nec intrinseca dubium tollant, sed potius augeant, libellum illum saltem ad incerta reiiciendum esse et in appendice ponendum putavimus. Sane quando testes idonei de aliquo illius aetatis commentario desunt, plerumque valde difficile erit, certum de auctore iudicium ferre, quia omnes in methodo multisque aliis rebus conveniunt, et quia (quod peius est et a nobis in Prolegomenis ad tom. VI. c. 1. praecipue pag. XIV col. 1. monstratum), idem saepe commentarius parum mutatus, interpositis partibus adauctus vel brevius contractus, diversis auctoribus inscribitur.

§ 4. **Recensentur opera, quibus auctor huius postillae passim utitur.**

1. Sicut omnes medii aevi auctores, ita etiam hic plurimum usus est utraque Glossa, tam *interlineari* quam *ordinaria.* Sed observandum est, Walafridum Strabonem, auctorem Glossae *ordinariae* in Bibliam, non scripsisse Glossam in *Lamentationes.* Glossa in Threnos apud Lyranum fere tota sumta est ex Paschasio Radberto, qui scripsit *Expositionem* in Lamentationes Ieremiae (Migne, Patrol. Lat. tom. 120. col. 1061 seqq.) et fere totus circa sensum mysticum occupatur. Glossae *interlineares* vulgo tribuuntur Anselmo Laudanensi.

In hac nostra postilla Glossae transcriptae plerumque non expresse citantur, quod parum convenit consuetudini Bonaventurae.

2. Pluries allegatur opusculum S. Hieronymo perperam attributum, quod habetur in ed. Vallarsii, Veronae 1742. tom. XI. col. 727-732, in quo tantum primum capitulum Threnorum breviter exponitur. Eodem tanquam legitimo Hieronymi labore iam usi sunt Paschasius et Rabanus, qui inter alia interpretationem mysticam alphabeti Hebraici inde sumsisse videntur.

3. Frequenter citatur Rabani Mauri *Expositio super Ieremiam,* in qua libro XIII. incipit expositio Threnorum, cui praefigitur quaedam introductio, quae tractat de interpretatione litterali et mystica alphabeti Hebraici, quam noster auctor passim transcribit. Habetur apud Migne in Patrol. Lat. tom. 111.

4. Item, multa descripta sunt ex opusculo Hugonis a S. Victore *Annotatiunculae elucidatoriae in Threnos* (Migne, Patrol. Lat. tom. 175. col. 256 seqq.). Etiam hic libellus est incompletus, quia non exponit nisi initium cap. 1. et totum c. 2. Harum partium sententias principales, praesertim expositiones mysticas, auctor etiam in locis a nobis non indicatis excerpsit et passim transcripsit, additis saepe aliis interpretationibus. Tamen hoc opusculum non citat expresso nomine nisi quater aut quinquies.

5. Gilbertus Porretanus, episc. Pictaviensis, notus saeculi XII. theologus, praeter alia multa scripsit tum prologos in singulos Scripturae libros (cfr. Sixtus Senens., Bibliotheca sancta, lib. III. pag. 471. ed. Neapol. 1742) tum ineditas *Glossas* super Prophetam Ieremiam, ut dicitur in *Histoire littéraire de la France* par des Religieux Bénédictins tom. XII. pag. 471, et apud Migne, Patrol. Lat. tom. 188. col. 1251. Illorum prologorum unus, scil. in Apocalypsim, legitur in P. Bonelli Supplemento tom. II. col. 2-6. Ex hac Glossa in Threnos sumta sunt ea quae in fine Prologi proferuntur de *indignationibus* et

*

conquestionibus (quae Gilbertus descripsit ex libris Rhetoricis Ciceronis). Verba Gilberti refert Lyranus in *Prothemata in Threnos*, quae praefixa sunt libro Lamentationum. Auctor autem huius postillae circa finem prologi et alibi eadem allegat ut verba *Glossae*.

6. Observavimus etiam, quod plura in hac postilla verbotenus conveniunt cum his quae leguntur in Commentario in Threnos celebris Card. Hugonis a S. Charo Ord. Praed. Vel igitur uterque eodem antiquiore fonte usus est, vel auctor noster, utpote recentior, ex illo descripsit id quod in utroque invenitur.

Probabile est, auctorem huius postillae etiam alia opera nobis ignota pro suo labore perficiendo adhibuisse; sed ea quae certe ab aliis deprompta sunt, magnam opusculi partem explent. Cum igitur doctrinae Pecchami detrahamus, putamus, scriptorem mediocriter eruditum bene potuisse illum libellum conscribere.

§ 5. **De nostra editione haec notamus.**

Duobus tantum codicibus uti licuit, Parisiensi et Pragensi.

1. *Parisiis*, biblioth. Nationalis, cod. 14260. membr. in fol. olim domui S. Victoris donatus, ut legitur in initio, a Praeposito sancti Audomari anno 1289. Post alia opera fol. 205. r. col. 1. praemittitur a prima manu rubrica: *Postille super Lamentationes Hieremie*, tacito autoris nomine, deinde prosequitur: *Tempus plangendi et tempus saltandi. In verbo isto ostenditur.* Desinit fol. 233. v. col. 1. in fine per verba: *abscondita revelabit.*

Hic cod. multis quidem scatet vitiis librarii, qui Latinae linguae fuit prorsus ignarus; sed eo maiorem meretur fidem, quando bonam praebet lectionem, praesertim cum sit valde antiquus. Ad marginem et ad calcem multa scripta sunt ab alia manu per modum tabulae seu schematis, quorum quaedam et fortasse pleraque sumta sunt ex Commentariis Card. Hugonis. — Sign. litt. A.

2. *Pragae* in Bohemia, biblioth. Metropolitana, cod. A. CVIII. chart. in fol. saec. XIV. exeunt. A manu posteriore a principio indicantur opera, quae codex complectitur, scilicet: *Lectura super Iohannem domini Iohannis de Peczanno, Lectura super Trenorum, Lectura super epistolam ad Hebreos.* Ad calcem Lecturae super Evangelium Ioannis prima manus notavit: *Et sic finitur lectura Iohannis de Peczanno super evangelium Iohannis.* Deinde absque alia rubrica prosequitur: *Tempus plangendi et tempus saltandi. Eccl. 3. In verbo isto ostenditur* etc.; desinit fol. r. non numerato: *abscondita revelavit. Hec sunt dicta eiusdem Doctoris super Trenos.*

Est satis correcte scriptus; in locis difficilioribus et minus bona latinitate expressis passim deprehenditur studium textum emendandi, vel claritatis causa pauca verba addendi. — Sign. litt. B.

Nihilominus hi duo codices contra tot falsas et saepe ineptas lectiones editionum mire plerumque consentiunt. Ope utriusque codicis textum tam depravatum satis corrigere potuimus, excepto uno alterove loco. In notis nostris ad cap. I. retulimus non omnes, sed graviores lectiones depravatas, quae in Vaticana editione aliisque textum foede maculant. Editiones praecedentes huius postillae exemplum praebent mirae depravationis, quae in non paucis scriptorum medii aevi editionibus lectorem offendunt, ita « ut quandoque indigna auctoribus visa sunt, quae antequam corrumperentur, dignissima erant », de quo queritur P. Fidelis a Fanna (Ratio novae collectionis etc. pag. 46, 47). Sed quia parum interest, absurdas lectiones iterum oculis legentium subiicere, a cap. II. omisimus in notis annotare depravatas praecedentium editionum lectiones, ut ibi ad calcem notavimus.

Secundo, de Expositione orationis dominicae in appendice posita et nonnullis aliis spuriis opusculis.

§ 6. **De Expositione orationis dominicae in appendice posita.**

De hoc libello toties impresso, quod ab omnibus, exceptis editoribus Venetis, laudatur tanquam certum Bonaventurae opusculum, nos ipsi in principio vix aliquam dubitationem habuimus. Est enim cum brevitate quam maxime succosum et perfecte convenit in doctrina cum his quae S. Doctor de eadem oratione habet in suo Breviloquio, p. V. c. 10. et etiam in Commentario in Evangelium S. Lucae, c. 11, 2-4, ubi, ut notum est, brevior orationis huius formula cum quinque tantum petitionibus exhibetur. Accedunt pro eodem testimonia multiplicia, scil. Trithemii, Francisci Samsonis, Ludovici Pruteni, Bernardini de Bustis aliorumque auctorum; itemque auctoritas antiquissimarum editionum et plurium codicum mss., qui tamen, excepto uno saeculi XIV, sunt sequioris aetatis.

Ab hac tamen opinione nobis recedendum erat, postquam deprehendimus, hunc libellum, quoad substantiam acceptum, restituendum esse celeberrimo Papae Innocentio III, qui in libro V. de Sacro altaris Mysterio, c. 16-20. expositionem eiusdem orationis habet ita similem, ut haec nostra iure possit vocari eadem, sed interpositis locis Scripturae aucta et hinc inde parum mutata. Quod autem S. Bonaventura ipse auctor sit horum insertorum et mutationum, minime est probabile; omnino autem est incredibile, quod vir humillimus libellum alienum tanquam suum evulgaverit. Ut ipse benevolus lector advertere possit, quam arcta sit relatio inter duplicem eiusdem opusculi formam; in notis ad calcem positis pleraque ex Innocentii opere transcripsimus. — Insuper notamus, illam adaptationem septem petitionum ad septem dona Spiritus S., ad septem beatitudines et septem virtutes ab Innocentio sumtam esse ex Glossa *ordinaria* in Matth. 6, 8. seqq. Similem adaptationem petitionum, sed ordine inverso, exhibet August., II. de Sermone Domini in monte, c. 11. n. 38. Guntherus Ord. Cisterc., IX-XI. de Oratione, ieiunio et eleemosyna habet talem adaptationem duplicem (Migne, Patrol. Lat. tom. 212.). Apud Hugonem a S. Vict., II. Allegor. in N. T. c. 2-14, septem istae petitiones opponuntur septem vitiis capitalibus, ordine tamen inverso.

§ 7. **De editionibus huius libelli et codicibus mss. haec notamus.**

Primo typis expressa est haec expositio in vetustissima collectione plurium opusculorum S. Bonaventurae, quae est sine indicatione loci et anni, deinde in auctioribus collectionibus editis Coloniae an. 1484 et 1486 atque Argentinae an. 1489 et 1495 et in omnibus deinde subsequentibus collectionibus opusculorum vel operum omnium (cfr. tom. V. Prolegom. c. 11.).

Tres tantum codd. pro emendatione textus adhibuimus, qui sequuntur.

1. *Moguntiae*, biblioth. Civitatis, msc. 558. oct. chart. saec. XV. Incipit fol. 67. r. In margine superiore: *Bonaventura*

super Pater noster. Hic ponitur oracio dominica, de qua tria promitto notanda, quia est primo commendanda, ut ostendatur eius efficacia; 2. dividenda, ut manifestetur eiusdem precium, numerus, ordo et sufficiencia; 3. exponenda, ut omnis sciat, que et qualiter debeat petere que sint sibi petenti necessaria etc. — Sign. litt. C.

Hoc opusculum est multo diffusius quam impressum; non pauca transcribit verbotenus ex illo, alia omittit; additamenta confuse scripta sunt et evagantur ad digressiones parum aptas. Ad petitionem secundam, quartam et quintam iterum in margine superiore vocabulum *Bonaventura* scriptum est. Additamenta illa minime sapiunt indolem S. Doctoris. Hinc cod. hic nobis non servivit nisi ad confirmationem plurium locorum.

2. *Monachii*, biblioth. Universitatis, 15. a. chart. saec. XV. Incipit fol. 286. v.: *Exposicio oracionis Pater noster. Oracio hec privilegiata est in tribus* etc. Desinit fol. 291. ut in editis. — Paucas tantum lectiones exhibet variantes, nisi quod fere constanter omittit *scilicet, nempe* aliaque similia. — Sign. litt. B.

3. *Wratislaviae* in Silesia, biblioth. Universitatis, cl. I. oct. 35, chart. saec. XV. exeuntis. Incipit fol. 5: *Exposicio oracionis dominice per bonamventuram. Hec oracio est privilegiata in tribus* etc. Desinit fol. 53. r. *Sela, id est semper.*

Hic cod. ob scripturam pessimam est lectu valde difficilis. Cl. Dr. Clemens Bäumker, Prof. philos. in dicta Universitate, pro sua humanitate et in nos amicitia apographum accuratissimum eiusdem nobis communicavit, quod grato animo hic commemoramus. Convenit iste codex satis cum editis, nonnulla tamen scripta sunt per modum tabellae; propter quod omittuntur quaedam verba in tabellis superflua. — Sign. litt. A.

Codices non collati.

4. *Bruxellis*, biblioth. Regia, 5062. cod. chart. anni 1502. Fol. 1.: *Exposicio oracionis dominice s. Bonav. Pater noster. Privilegiata est.* Desinit fol. 2. r.: *sempiterne calamitatis. Amen. fiat. fiat.*

5. *Cantabrigae*, biblioth. Univers., cod. D. d. IV. 50. chart. saec. XV. Fol. 108. r.: *Pater noster, qui es in celis. Oracio hec privilegiata est in tribus.* Desinit fol. 109.: *confirmata in veritate.*

6. *Darmstadt* in Hassia, biblioth. Ducalis, 95. chart. saec. XV. exeunt. fol. 196. r.: *Pater noster. Privilegiata est ista oracio in tribus.* Desinit fol. 198. v.: *Fiant nobis ex tua gratia. Explicit.*

7. *Ibid* 961. chart. saec. XIV. membr. fol. 14. v.: *Pater noster. Privilegiata est ista oracio in tribus.* Desinit fol. 16. v.: *Fiant nobis ex tua gracia.*

8. *Lambaci*, monaster. in Austria, cod. 462. chart. saec. XV. fol. 162. v.: *Exposicio S. Bonaventure de dominica oracione. Pater noster etc. Oracio hec privilegiata est in tribus.* Desinit fol. 166. r.: *Fiant nobis ex tua gracia. Finit Pater noster.* Scripta est ad modum schematis.

9. *Parisiis*, biblioth. Mazarinea, cod. 902. chart. saec. XVI. ineunt. Fol. 81. r.: *Exposicio s. Bonav. super Pater noster. Pater noster. Oracio hec privilegiata est.* Desinit fol. 87. r.: *ex tua gracia. Explicit exposicio oracionis dominice secundum Doctorem seraphicum s. Bonaventuram.*

10. *Traiecti ad Rhenum*, biblioth. Academ., cod. 108. inter. S. E. saec. XV. exeunt. Fol. 23. v.: *Incipit exposicio super Pater noster. Pater noster etc. Oracio hec privilegiata est in tribus.* Desinit fol. 28. v.: *Fiant nobis ex gracia. Explicit exposicio super Pater noster.*

11. *Ulmae*, biblioth. Civitatis, cod. 15190. XIV. E. 1. saec. XVI. ineunt. Fol. 254. r.: *Pater noster. Privilegiata est ista oracio in tribus.* Desinit fol. 255. v.: *per vitium inanis glorie amiserunt.*

12. *Vindobonae*, biblioth. Palatina, 3655. chart. saec. XV. exeunt. in fol. parv. Fol. 80. r.: *Incipit exposicio Bonaventure super dominicam oracionem. Pater noster. Hec oracio privilegiata est in tribus.* Desinit fol. 84. v. *Amen. Omnia predicta fiant nobis ex tua gracia.* Scripta est ad modum schematis.

§ 8. De aliis expositionibus orationis dominicae falso S. Bonaventurae attributis.

a) P. Bened. Bonelli in suo Supplemento ad opera S. Bonav., Tridenti 1774 (tom. III. col. 268 seqq.) edidit quandam expositionem vel potius *orationem*, quae incipit: « *Pater noster.* O immensa clementia! O ineffabilis benignitas! O mira dignatio! O longitudo, latitudo » etc., et plena est similibus exclamationibus. Ipse putat, eam esse legitimum seraphici Doctoris opusculum, quia eidem inscriptum invenit in quodam codice iuniore Conventus Fontis Columbae (vide Prodr. col. 420) et in altero Monasterii Lunilaci in Austria (ibid. col. 427).

Sed certum est, doctum virum in hoc errasse. Primo enim haec oratio, licet sit devota, tota est in affectibus ita verbose repetitis, ut minime indolem et stilum seraphici Doctoris sapiat. — Secundo, eadem *pluries* iam edita aliisque tributa est, quod Bonelli non satis cognovit. In opusculo *Stimulus amoris*, (p. III. c. 17.) toties iam impresso et ipsi Bonaventurae perperam attributo eadem prorsus oratio habetur, exceptis pluribus lectionibus variantibus (ibidem, c. 18. etiam duae aliae et breviores expositiones eiusdem orationis dominicae exhibentur). Illud non latuit P. Bonelli, sed asserit, auctorem *Stimuli amoris* libellum Bonaventurae sibi accommodasse, « cum alia quoque ab ipsomet Bonaventura fuerit mutuatus ». Hoc quidem verum est, cum iste soleat sententias Bonaventurianas multis verbis et affectibus augere; sed quod *integrum tractatum* fere verbotenus descripserit, nullo exemplo probari potest. E contrario, quia antiquitus, istum *Stimulum* esse librum Bonaventurae, communiter putabatur, facilius intelligitur, quomodo in istis duobus codicibus haec oratio ex *Stimulo amoris* transcripta Bonaventurae tributa sit.

Sed graviora dicenda sunt, quae nescivit P. Bonelli. Iam a P. Waddingo haec meditatio cum tribus aliis super *Ave Maria* et *Salve Regina* edita est ut opus *S. Anselmi*, episc. Lucen., sed tamen *dubium.* Nam in praemonitione dicitur: « Liceat itaque praecedentibus opusculis ista subtexere, saltem ne pereant ». Unde apparet, Waddingum latuisse, ista iam toties vulgata esse in illo *Stimulo amoris.*

Eadem recepta inveniuntur in *Bibliotheca veterum Patrum*, Supplementum, tom. XXVII. col. 436 et denuo in Patrologia Lat. Migne, tom. 149. col. 568.

Consentiendum est Oudino (Comment. Script. Ecclesiast. II. pag. 710) haec scripta indigna esse S. Anselmo Lucensi.

b) In eodem tomo praefati Supplementi (col. 284) a P. Bonelli tribuitur S. Bonaventurae alia brevissima expositio ex quodam codice Balneoregiensi (ibid. col. 389) deprompta et

per modum cuiusdam tabellae sive schematis scripta, quae incipit:

Pater noster	privilegio conditionis, sacrificio recreationis, mysterio pietatis, reparatione supernae beatitudinis.
Qui es in caelis	per illuminantem gratiam, per gubernantem potentiam, per dignantem naturam, per sublimantem gloriam etc.

c, d) Aliae expositiones orationis dominicae tribuuntur nostro Doctori in cod. quodam bibliothecae publicae *Dresdae* in Saxonia, sign. A. 191. Haec incipit: « *Pater noster, qui es in celis.* Formam orandi brevem et utilem tradidit Christus discipulis suis; et hoc propter quinque: primo, ut Deus honoretur » etc. Plura in eadem inveniuntur, quae *verbotenus* sumta sunt ex illis duabus expositionibus utriusque formulae, scil. apud Lucam et Matthaeum, sed pleraque sumta sunt ex Card. Hugone in Matth. 6, 9. seqq. — Ibidem alia huiusmodie expositio Bonaventurae inscripta habetur prorsus diversa, in qua nihil invenire potuimus, quod nostrum Doctorem indicet.

e) Denique longiorem expositionem apud nos habemus transcriptam ex cod. C supra § 7. n. 3. notato, quae quidem multa habet sumta ex illa expositione, quae Bonaventurae tribuebatur, sed multo plura ab alia manu addita et in formam plurium sermonum redacta.

§. 9. De inedita quadam postilla in Cantica Canticorum falso S. Bonaventurae tributa.

In bibliotheca *Wolfenbüttel* cod. 401. Helmst. chart. habetur postilla in Canticum Canticorum, quae fol. 180 r. incipit: *Osculetur me osculo oris...* In persona virginis gloriose hoc verbum... Desinit fol. 216 r.: « Solite pietatis ponderetur. Et in hoc terminatur postilla super Cantica inter prolem Virginis et suam benedictam Matrem et e converso. Ex tripartita Glossa fratris Bonaventure excerpta, scripta anno Domini 1402, completa in die St. Elisabeth per manum fratris Marquardi de Tessyn in antiqua Hilgendis (?) quasi in insula (sic) Patmos relegati ».

Auctor verba huius Cantici continuo applicat ad mysterium incarnationis per modum colloquii Christi cum benedicta sua Matre. Praeter S. Bernardum frequentissime allegat expositionem *Alexandri*, citans libros et capitula. Cum autem Alexander Halensis, teste Sbaralea (Supplem. ad Script. Ord. Min.), commentarium in Canticum Canticorum scripserit distributum in libros et capitula, censendum est, Halensem esse illum *Alexandrum* ibi citatum. Praeter hos passim citat quendam expositorem *Willhelmum*, porro *Remigium*, *Vercellensem* et *Gilbertum*. Sed a more seraphici Doctoris alienum est, pro antiquis Patribus potissime recentiores magistros in medium proferre.

Peremptorium autem est quod in initio cap. 2. legitur: « Vide Glossam *Thomae* », et in aliis quatuor locis allegat *expositorem Cantuariensem*, scil. Fr. Ioannem Pecchamum, discipulum S. Bonaventurae, an. 1279 ad sedem Cantuariensem promotum, qui re vera ineditam postillam in Canticum Canticorum scripsit. Nullum autem dubium restat, quominus auctor postillam illam Pecchami prae manibus habuerit. Nam in expositione verborum *Fulcite me floribus* (c. 2, 5.) allegat ex Cantuariensi eundem locum, quem etiam auctor libri *De septem Itineribus aeternitatis*, (iter IV. dist. 4. a. 1, pag. 176, ed. Vatic.) ita refert: « Primo quidem notandum, quod quidam doctor, scil. Cantuariensis super Cantica, incipit rationabiliter ab infimo gradu caritatis sive amoris gratuiti ascendendo per sex gradus usque ad gradus amoris violenti sive vehementis dicens: Non omnis amor inducit languorem » etc. Et in cit. expositione legitur: « Ad commendationem B. Virginis dicit quidem expositor, videlicet *Cantuariensis*: Non omnis amor est, sed vehemens, qui potissimum fuit in beata Virgine et habet sex gradus » etc. Sicut Sbaralea recte inde arguit, illud opus *de Septem Itineribus aeternitatis* non esse S. Bonaventurae, ita etiam nos concludimus respectu dictae postillae. — Pro confirmatione adiungimus, quod in fine illius codicis dicitur: « Ex tripartita Glossa fratris Bonaventure *excerpta* », quo insinuatur, *tripartitam hanc Glossam* diversam esse a postilla illius codicis.

Utrum autem S. Bonaventura scripserit talem *tripartitam Glossam*; item, utrum per eam fortasse intelligatur spuria illa postilla, cuius verus auctor est Petrus Ioannis Olivi (cfr. tom. VI. Prolegom. c. 1. § 7.), vel alia et diversa inter tot anonymas; denique, utrum Bonaventura saltem oretenus discipulis tradiderit glossas in Canticum Canticorum et alios plures libros Scripturae, quae ab ipsis exceptae et postea immutatae sint; haec determinare minime possumus. Indiculi quidem complures in Prolegomenis tom. VI. publicati ipsi attribuunt postillam non tantum in Canticum Canticorum, sed etiam in alios sacros libros, quorum nullum manuscriptum cum nomine Bonaventurae hucusque inventum est, nec inter tot postillas anonymas bibliothecarum hucusque aliqua reperta est, quae saltem probabiliter possit libris eiusdem certe genuinis adnumerari.

Hoc igitur septimo tomo absoluta est secunda operum Bonaventurianorum classis, scilicet opera exegetica. Volumen octavum exhibebit pretiosa opuscula mystica et ascetica atque ea quae ad statum religiosum et Ordinem Minorum spectant. Duo altera et ultima volumina exhibebunt multos sancti Doctoris sermones.

TABULA

CODICUM COLLATORUM PRO EMENDANDIS OPERIBUS

HUIUS SEPTIMI TOMI.

I. *Codices adhibiti pro Commentario in Evangelium S. Lucae:*

A. Cod. Florentinus I. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) Conv. soppr. 360. (n. 3.[1]).
B. » Florentinus II. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) Plut. XI. Dext. 3. (n. 4.).
C. » Tudertinus I. (biblioth. Conventus S. Fortunati) 47. (n. 9.).
D. » Tudertinus II. (biblioth. Conventus S. Fortunati) 60. (n. 10.).
E. » Neapolitanus (biblioth. Nationalis) VII. A. 42. (n. 8.).
F. » Montis Alvernae (biblioth. Conventus), sine signo (n. 7.).
G. » Darmstadiensis (biblioth. Ducalis) 369. (n. 2.).
H. » Archivi huius nostri Collegii (n. 1.).
I. » Florentinus III. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) Conv. soppr. 465. (n. 5.).
K. » Matritensis (biblioth. Excorialis) III. R. 2. (n. 6.).
L. » Turonensis (biblioth. Civitatis) 27. (n. 11.).

II. *Adhibiti pro Commentario in Lamentationes Ieremiae Prophetae:*

A. Cod. Parisiensis (biblioth. Nationalis) 14260. (n. 1.).
B. » Pragensis (biblioth. Metropolitana) A. CVII. (n. 2.).

III. *Adhibiti pro Expositione Orationis dominicae:*

A. Cod. Wratislaviensis (biblioth. Universitatis) cl. I. oct. 35. (n. 3.).
B. » Monacensis (biblioth. Universitatis) 15. a. (n. 2.).
C. » Moguntinus (biblioth. Civitatis) msc. 558. oct. (n. 1.).

EDITIONES.

1. Sine indicatione loci et anni.
2. Brixiensis an. 1497.

---

[1] Numeri intra parenthesim inclusi indicant locos, ubi codd. supra in respectivis §§ describuntur.

In seq. pagina est tabula divisionum Evangelii Lucae, sed tantum prima et principalia membra notata sunt, reliqua videri possunt ad marginem paginarum Commentarii.

TABULA DIVISIONUM PRINCIPALIUM.

Evangelium S. Lucae, licet principaliter prosequatur Christi sacerdotium et passionis remedium, dividitur in quatuor partes principales:

- **Pars I. De incarnationis mysterio (c. 1-3.)**
  - nativitas in utero
    - de duplici fecundatione
      - Praecursoris (c. 1, 5.): parentum conditio — angelica annuntiatio — denuntiationis ministralis confirmatio — mirabilis promissionis impletio
      - Salvatoris (c. 1, 26.): destinatio nuntii descripta — exsecutio ministerii — assecutio propositi in consensu Virginis
    - de gratiarum actione (c. 1, 30.)
      - pro conceptu Salvatoris
      - pro conceptu Praecursoris (c. 1, 56.)
  - nativitas ex utero (c. 2.)
    - nativitatis Christi veritas: qualiter consummata — ab Angelo annuntiata — per pastores manifestata
    - nascentis humilitas, quia factus sub Lege sacramentali — caeremoniali — morali
  - nativitas extra uterum (c. 3.)
    - de baptismo et praedicatione Ioannis in generali: praedicatio Ioannis commendatur: a temporis opportunitate — ab officii auctoritate — a zeli severitate
    - de eisdem in speciali (c. 3, 10.): respectu ad exigentias diversas populi — ad excellentiam Christi — ad perfidiam tyranni
    - item, in singulari (c. 3, 21.)
      - Christi regeneratio sacramentalis
      - » genealogia temporalis (c. 3, 23.)
- **Pars II. De praedicationis magisterio (c. 4-21.)**
  - Primo explicatur veritas doctrinae quadrupliciter (c. 4-11.)
    - doctrinae Christi authenticatio
      - per meritum vitae in victoria tentationum: tentationis occasio — tentandi modus — tentationis consummatio
      - per testimonium Scripturae (c. 4, 14.): authenticum ad eruditionem — ad confutationem
      - per miraculum potentiae (c. 4, 31.): communicatio doctrinae — confirmatio miraculorum — acceptatio populi
    - discipulorum vocatio (c. 5, 1.)
      - de statu iustitiae
        - vocatio discipulorum
        - vocatorum confirmatio
      - de statu culpae (c. 5, 27.)
        - de vocationis perfectione
        - de vocatorum defensione
    - vocatorum institutio (c. 6, 12.)
      - per institutionem communem
        - veritas doctrinae
        - sublimitas Doctoris
      - » institutionem specialem (c. 8, 1.): instructio parabolica — informatio apostolica — confirmatio authentica
    - institutorum delegatio (c. 9, 1.)
      - missio Apostolorum
        - forma praedicandi — via proficiendi —
        - norma praesidendi
      - » discipulorum (c. 10, 1.): forma praedicandi — vivendi — orandi
  - Secundo confutatur falsitas Iudaeorum adversantium quadrupliciter (c. 11, 14. — c. 21.)
    - dolositas calumniantium miracula
      - ex parte causae efficientis
        - confutatio Iudaeorum blasphemantium — tentantium — simulantium
        - informatio discipulorum (c. 12, 1.) ad cavendam duplicitatem — cupiditatem
      - ex parte temporis (c. 13, 21.)
        - confutatio in concilio
        - » » convivio
    - impietas (c. 15, 1.)
      - expressio impietatis Iudaicae
      - manifestatio pietatis divinae (c. 15, 3.): per parabolam de perdita ove — de drachma — de patre ac duobus filiis.
      - commendatio pietatis humanae (c. 16, 1.)
        - quoad opera corporalia
        - » » spiritualia
    - curiositas duplex (c. 17, 20.)
      - in perscrutando: reprehensio curiositatis Iudaeorum — assignatio rationis — persuasio studiositatis
      - in possidendo (c. 18, 18.)
        - commendatur paupertas quadrupliciter
        - approbatur liberalitas dupliciter (c. 19, 11.)
    - incredulitas (c. 19, 29.)
      - confutatur per facta: ostendendo potestatem regalem — pietatem pontificalem — aequitatem iudicialem — auctoritatem magistralem
      - confutatur per verba et documenta (c. 20, 1.)
        - confutantur Pharisaei
        - » Saducaei
        - informantur discipuli ad tria
- **Pars III. de passionis medicamento (c. 22-23.)**
  - Passio Christi quoad quatuor antecedentia
    - de machinatione proditoris
    - de institutione Sacramenti altaris (c. 22, 7.)
    - de eruditione discipulorum (c. 22, 24.)
    - de devota supplicatione ad Deum (c. 22, 39.)
  - » quoad sex concomitantia (c. 22, 47.)
    - de comprehensione Christi
    - de comprehensi illusione
    - de illusi accusatione
    - de accusati condemnatione
    - de condemnati crucifixione
    - de crucifixi morte et sepultura
- **Pars IV. de resurrectionis tropaeo (c. 24.)**
  - de revelatione resurrectionis
    - revelationis occasio
    - » certitudo
    - » manifestatio
  - de apparitione resurgentis respectu duorum discipulorum (c. 24, 13.)
  - de certitudine apparitionis (c. 24, 33.)
  - de divulgatione iam cognitae veritatis (c. 24, 48.)

OPUSCULA HUIUS TOMI.

CLASSIS I. OPUSCULA MYSTICA.

Opusc. I. De Triplici Via, alias Incendium amoris . . . . *pag.* 3
» II. Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis. . . » 28
» III. Lignum vitae. . . . . » 68
» IV. De Quinque Festivitatibus pueri Iesu. . . . . » 88
» V. Tractatus de praeparatione ad Missam . . . . » 99
» VI. De Perfectione vitae ad Sorores . . . . . . » 107
» VII. De Regimine animae . . . . » 128
» VIII. De Sex Alis Seraphim . . . . » 131
» IX. Officium de passione Domini . . . . » 152
» X. Vitis mystica sive Tractatus de passione Domini . » 159

CLASSIS II. OPUSCULA AD ORDINEM SPECTANTIA.

Opusc. XI. Apologia pauperum . . . . » 233
» XII. Epistola de tribus quaestionibus . . . . . . » 331
» XIII. Determinationes quaestionum circa Regulam FF. Min.
Pars I. . . . . » 337
Pars II. . . . . » 356
» XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant . . . . » 375
» XV. Epistola de sandaliis Apostolorum . . . . . . » 386
» XVI. Expositio super Regulam Fratrum Minorum . . » 391
» XVII. Sermo super Regulam Fratrum Minorum . . . » 438
» XVIII. Constitutiones Generales Narbonenses. . . . » 449
» XIX. Epistolae officiales. . . . . » 468
» XX. Regula novitiorum . . . . » 475

Opusc. XXI. Epistola continens XXV Memorialia . . . . . *pag.* 491
» XXII. Epistola de imitatione Christi . . . . » 499
» XXIII. Legenda S. Francisci . . . . » 504
» XXIV. Legenda minor S. Francisci . . . . » 565

APPENDIX PLURIUM OPUSCULORUM QUAE SUNT DUBIA.

Opusc. I. Speculum disciplinae Pars I. . . . . » 583
» » Pars II. . . . . » 615
» II. Speculum conscientiae . . . . » 623
» III. Summa de gradibus virtutum . . . . » 646
» IV. Collatio de contemptu saeculi . . . . » 655
» V. Compendium de virtute humilitatis. . . . . . » 658
» VI. Epistola ad quendam novitium . . . . » 663
» VII. Rhythmica . . . . » 667

PROLEGOMENA

IN OCTAVUM TOMUM.

In editionibus Omnium Operum S. Bonaventurae Vaticana eamque sequentibus multa inveniuntur opuscula mystica et ad res Ordinis nostri spectantia, quae vel certe sunt supposititia, vel saltem dubia. Unde incumbit nobis de tot opusculis quaestionem instituere, utrum legitima sint, nec ne. Quod ut ordinate procedat, in capitulo primo loquemur de genuinis operibus, quae ad theologiam mysticam magis generatim sumtam spectant; in secundo, de iis quae ad res Ordinis quoquo modo pertinent; in tertio agemus de dubiis et spuriis ad hanc duplicem classem pertinentibus.

CAP. I.

De genuinis operibus spectantibus ad theologiam mysticam sive asceticam generatim sumtam.

§ I. **Opusculum I.** sive **de Triplici Via,** alias **Incendium amoris.**

a. Casimirus Oudinus (Comment. de Scriptoribus ecclesiast., tom. III. col. 422, ed. Lipsiae 1722) ausus est hoc praestantissimum, in summa brevitate maximum opus inter spuria relegare. Ratio eiusdem nititur in eo, quod prologus ille, qui invenitur in editionibus (exceptis tribus antiquioribus, infra notandis) et incipit *Evigilans vero* (vide Additamentum I. infra pag. 18), manifeste sit alienus a stilo et indole S. Doctoris; et cum prologus iste sit supposititius, Oudinus perperam infert, totum opusculum, quod certe evidentissima signa genuinitatis prae se fert, esse spurium. P. Bonelli (Prodromus etc. col. 453 seqq.) inutili labore conatur etiam istum prologum Bonaventurae vindicare, et P. Sbaralea (Supplement. ad Scriptores Ordinis Minorum, pag. 152) opinatur: « De prologo non satis liquet, an verum, vel addititium sit ». Sed ratio causam omnino conficiens est auctoritas codicum plurimorum et probatissimorum. Nam praeter tres memoratas edd. inter fere *trecentos* quos notavimus codd., quorum multi antiquitate eminent, tres solummodo sequioris aetatis (sunt enim saeculi XV. exeuntis et saec. XVI.) inveniuntur, qui habent praeter genuinum prologum: *Ecce, descripsi* etc., etiam alterum memoratum. Insuper cum Oudino censemus, praefatum prologum a S. Bonaventurae indole et stilo esse alienum, quidquid dixerit Bonelli. In Vat. et aliis edd. genuinus ille prologus perperam trahitur ad cap. I, qui si recte positus fuisset ante hoc capitulum, facilius error duplicis prologi perspicuus fuisset. — Eadem auctoritate codicum reprobatur etiam singularis error Possevini, qui in suo *Apparatu sacro* (tom. I. in Appendice, pag. 635 ed. Venetiis 1606.) scripsit: « Bonaventura Patavinus, Ord. Fratrum Eremitarum S. Augustini scripsit... *Ternarium* seu *Primum* (parvum?) *Bonum, de regimine conscientiae* ac *Breviloquium(!)*, quo accurate ac theologice procedit a prima causa ad suos effectus, sicut e contrario philosophica deductio progreditur ab effectibus ad Deum benedictum ». Mira sane in tam docto viro auctorum et notissimorum opusculorum confusio!

b. Cum supposititio prologo etiam falsus *titulus* in editiones irrepsit, cum in fine spurii prologi dicatur: « Istius libri titulus est *Incendium amoris* »; quam inscriptionem antiqui codd. ignorant, licet ipsi miro modo dissentiant in assignandis diversis titulis, ut videre licet in subsequenti elencho codicum. Libellus enim inscribitur modo *Parvum bonum*, modo *Itinerarium* (Itinerarius) *mentis in se ipsum*, modo *Fons vitae* (ab ultimis verbis cap. III: « Nota diligenter, quoniam in illis est *fons vitae* »), modo *Regimen conscientiae*, modo *Incentivum amoris*, modo *Mystica theologia*, modo *Stimulus conscientiae*, vel *amoris* (ut alius libellus falso Bonaventurae tributus), modo *Trinarius* sive *Ternarius de vita contemplativa*. Praeter alios nonnullos titulos vagos in multis antiquis codicibus inscribitur *De Triplici Via*, sive *Libellus de triplici via*. Hanc formam, utpote rei tractatae magis conformem, prae aliis elegimus, quamvis de primitiva inscriptione ob tantum codicum et aliorum testium dissensum constare non possit, immo dubium remaneat, utrum auctor specialem titulum suo operi praefixerit. — De ipsius autem opusculi legitimitate nulla dubitatio insurgere potest tum propter auctoritatem codicum et aliorum testium, ut Chronicorum XXIV Generalium, S. Antonini, Ioan. Trithemii aliorumque, quibus subscribunt Sbaralea, Editores Veneti et Bonelli. Hic (Prodrom. loc. cit.) opinatur, hoc opusculum editum esse post aliud inscriptum de *Reductione artium ad theologiam*. Rationem hoc asserendi sumit ex verbis, quae in ed. Argentina an. 1495 et seqq. editionibus in fine genuini prologi leguntur (cfr. infra pag. 3, nota 6 in fine): « Sicut ostensum est supra in tractatu de Reductione artium ad theologiam ». Ipse Bonelli confitetur, verba: *in tractatu* etc. *non inveniri* in editionibus illa Argentinae publicata anterioribus; sed

nec in codicibus habentur; quinimmo probatiores eorum omittunt etiam verba *sicut ostensum est supra.* Hinc tota ratio Patris Bonelli deficit.

c. Pretium huius opusculi vix satis aestimari potest, cum totam theologiam mysticam in nucleo comprehendat et iure alterum quoddam *Breviloquium*, sed theologiae non scholasticae, sed mysticae, vocari possit. Celeberrimus et famosus Savonarola an. 1497 scripsit in partem huius libelli (scil. in c. II, de oratione) accuratam elucidationem cum inscriptione *Graduum doctissimi ac religiosissimi viri S. Bonaventurae* etc., Florentiae 1497 in 4, et Venetiis 1537 in 16; etiam versio huius Italiana prodiit Venetiis 1538 et 1547 in 8. Ita testatur Echard. *(Scriptores Ord. Praed.*, tom. I. pag. 887. n. 18); cfr. etiam Sbaralea (loc. cit.) et Bonelli, Prodromi col. 309. Multae existunt editiones huius libelli tum in collectionibus opusculorum (vide tom. V. Prolegomena pag. LIII), tum etiam separatim, multae etiam versiones in linguas vernaculas. Prima editio, quam vidimus, est in quadam collectione plurium opusculorum sine loco et anno in principio et in fine totius collectionis; sed in fine inserti Breviloquii legitur: Anno Domini MCCCCLXXXIIII. Alia est Coloniensis an. 1486; alia Brixiensis 1497, quae tres non habent illum spurium prologum, sed incipiunt: « Ecce, descripsi eam tibi tripliciter ». Editio Argentinae an. 1495 est prima, quae habet illum prologum spurium.

d. Denique observandum est, complures codices omittere integrum capitulum III. (cfr. infra pag. 11, nota 7.); quod facile explicatur hac ratione, quod res in illo tractata ad altam et non communem spectat perfectionem et excedit vitae ordinariae praxim. Alii codices quaedam alia omittunt (vide pag. 11, notam 1.) — E contrario in fere omnibus editionibus praeter spurium prologum habentur quaedam insertiones manifeste illegitimae, quas reiecimus ad calcem opusculi (vide pag. 18, 19, Additamentum II.); quod additamentum fere omnes codices et editio an. 1484 omittunt. Accedit, quod prima pars ipsius (scil. *Meditanda* inter Missam), incohaerens et extranea est argumento tractato, et altera pars (quod *sumus quadrupliciter debitores*) eodem vitio laborat et insuper transcripta est ex Bernardo, Serm. 22. de Diversis, n. 5-9. — Tertium additamentum et quartum non habetur in editionibus, sed tertium (pag. 19) in codd. S T Z, quartum in S T. Haec exhibent complura extracta ex diversis aliis operibus S. Bonaventurae (cfr. pag. 19. nota 13.), quae deinde conflata sunt in specialem tractatum, qui sub nomine *de Pietate* invenitur in aliquibus codd. et S. Bonaventurae attribuitur. Eo sensu hoc recte dici potest, quo et *Centiloquium* Bonaventurae inscribitur, nempe quia materia libelli collecta est saepe verbotenus ex eiusdem libris; minime vero credendum est, ex his centonibus ipsum Bonaventuram consuisse tractatulum. Praeter codd. S T Z hic tractatus de Pietate habetur in bibliotheca Hospitalis *Castelli Tabernarum* in cod. 20. C. progess. 43. miscellaneo saec. XV., qui in nostra editione signatur aa. In bibliotheca Universitatis *Pragensis* in codd. infra descriptis sub n. 202. sign. bb et n. 203. sign. cc. In bibliotheca civitatis *Metensis* in cod. 497 chartac. in 8. parvo sub titulo *Libellus de contemplatione;* in bibliotheca *Avenionis* in cod. sine numero, olim Caelestinorum Avenionensium cum signo A. 8 7; porro *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3939, miscell. in fol. saec. XV. fol. 275 r, ubi legitur: « Sequitur passus repertus in uno libro et tractatus Domini Bonaventure, qui est de triplici actu ierarchico, scilicet via purgativa, illuminativa et unitiva, et quomodo perveniatur ad sapientiam contemplationis. Notandum, quod sex sunt potentiae animae, quas plantavit in nobis natura » etc. Cod. est mutilus, habens tantum primam partem. — Quia ille tractatus habet aliqua non spernenda, ipsum duximus dignum, ut post opus genuinum de *Triplici Via* publicetur in praedictis additamentis.

Huius opusculi P. Fidelis a Fanna b. m. invenit in bibliothecis quam plurimos codices msc., quos hic notamus.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Claris Aquis*, in archivo nostri Collegii S. Bonaventurae, cod. membranaceus in folio parvo saeculi XIV. ineuntis. — Folio 1. recto, manus saec. posterioris inscripsit hoc opusculum: *Tractatus deducendi animam in Deum sub misterio mirabilis triplicitatis; et potest dici funiculus triplex*. Deinde fol. 35. v. incipit sine titulo: *Ecce, descripsi tibi eam tripliciter, Prov. XXII. Cum omnis scientia gerat Trinitatis insigne* etc. Desinit fol. 42. r. verbis cap. 3. n. 12: *Et ideo in hoc utile est exerceri. Deo gracias.* Signatur littera V.

Nota, ubi infra in recensione codd. nihil dicitur de prologo, supponitur, eum convenire cum nostra editione, id est incipere *Ecce, descripsi* **etc., qui tamen textus interdum omittitur.**

2. *Cortonae*, in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. 209. chartaceus saec. XV, de quo egimus etiam tom. V. pag. XXVII n. 1. — Fol. 52. r. exhibetur tabula capitulorum huius opusculi, postea legitur: *Incipit liber Domini Bonaventure Ordinis Minorum, qui dicitur itinerarium mentis in se ipsam. Incipit prologus. Ecce, descripsi eam* etc. Additur opus de Pietate, de quo modo locuti sumus. Desinit verbis: *Et hoc Seraphim.* Sign. Z.

3. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. II. II. 67. ex libris Antonii Magliabecchi, miscellaneus saec. XV. ineuntis. — Fol. 55. r.: *Incipit itinerarium compendiosum magistri Bonaventure de Balneoregio Ordinis Minorum, de triplici via perveniendi ad perfectionem vite. Ecce, scripsi eam* etc. Desinit cap. 3. n. 7. verbis: *Et a te nunquam separabor.* Sign. B.

4. *Maydeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 25. chart. saec. XV, ut iam notavimus tom. V. pag. XXVII n. 2. — Hoc opusculum incipit fol. 40. v. sub rubrica: *Incipit ternarius sive nucleus seu parvum bonum domini ac patris nostri Bonaventure. Liber delectabilis.* Desinit fol. 49. v. ad verba cap. 3. n. 7: *et amplexum, quo nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit parvum bonum patris Bonaventure sub anno Domini MCCCCLXXVI in conventu Gottingensi.* Sign. C.

5. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 2657. membr. in fol. saec. XIV, quem alias notavimus, scilicet tom. V. pag. XXVIII n. 10. — Opusculum incipit fol. 224. v., cui prima manus praemisit hunc titulum: *Stimulus conscientie Bonaventure*, ac desinit fol. 229. r. cap. 2. n. 12: *Ponit misericordiam, que est utriusque principium.* Deinde pergit: *Quid sit cogitandum in Missa. Cogitandum est in Missa, quod.... Nec liberamur omnino. Explicit*, de quo cfr. pag. 11, nota 7. et pag. 18, nota 2. Sign. D.

6. *Ibidem*, cod. 5950. chart. in 4. saec. XIV, quem iam recensuimus tom. V. pag. XVII n. 10. — Fol. 192. r. opusculo

praemittitur haec rubrica: *Bonaventura. Incipit stimulus conscientie, vel secundum alios, tractatus trium graduum, quibus pervenitur ad sapientiam*, et desinit fol. 199. r. in cap. 2. n. 12: *Exhibendo complacentiam. Et sic est finis istius operis. Amen. Explicit stimulus conscientie Bonaventure.* Sign. E.

7. *Ibidem*, cod. 7971. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis, de quo egimus tom. V. pag. XXVIII n. 13. — Opusculum incipit sine titulo fol. 15. r. et desinit fol. 18. v. per verba: *Nec tamen liberamur omnino. Explicit Itinerarius mentis in Deum* (sic); vide pag. 11, notam 7. Sign. F.

8. *Ibidem*, cod. 8439. miscell. in fol. saec. XV, ut iam notavimus tom. V. pag. XXVII n. 4. — Hoc opusculum incipit fol. 173. r. sequenti rubrica: *Tractatus graduum, quibus ad veram sapientiam pervenitur. Ecce, descripsi eam* etc., et desinit fol. 166. v. verbis cap. 3. n. 7: *osculum et amplexum. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.* Sign. G.

9. *Ibidem*, cod. 9612, quem iam descripsimus tom. V. pag. XLVI n. 1. — Hoc opusculum incipit fol. 343. sine ullo titulo et desinit fol. 348. in cap. 2. n. 10. ad verba: *cum profectus eius ducat ad perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Cetera desiderantur. Sign. H.

10. *Ibidem*, cod. 15311. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 137. v. in margine superiore notatur: *Incipit ternarius*; deinde col. 1: *Cum omnis scientia* etc. Prosequitur usque ad cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Ad quod* etc., et desinit fol. 143. r.: *primum ad miranda beneficia, secundum ad cantica exsolvenda, tertium ad oscula geminanda* (in nostra edit. pag. 16, nota 9.). Cetera desiderantur. Sign. I.

11. *Ibidem*, cod. 16064. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 48. r. est rubrica huius opusculi sic expressa: *Stimulus conscientie de regendo rationem, Bonaventure.* Desinit fol. 55. v. per verba: *Quoniam in eis est fons vite.* Quibus additur: *Explicit liber Bone Fortune, qui dicitur parvum bonum.* Sign. K.

12. *Ibidem*, cod. 16456. chart. saec. XV. — Fol. 66. r. est titulus huius opusculi: *Incipit tractatus Bonaventure de tribus punctis. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 70. v. in cap. 2. n. 12. verbis: *Interponit misericordiam, que est utriusque principium.* Sign. L.

13. *Ibidem*, cod. 17837. iam descriptus tom. V. pag. XXVII n. 5. — Opusculum incipit folio 274. r. sub titulo: *Trinarius Bonaventure, Ministri generalis Ordinis Fratrum Minorum, eoque dicitur Trinarius, eo quod de triplici via ad sapientiam tractat, scilicet de tropologico* (sic), *seu morali, de allegorico et anagogico. Ecce, ego descripsi eam* etc. Post verba cap. 3. n. 7: *osculum et amplexum*, interponit hanc conclusionem: *Ad quod perducat nos Iesus Christus, Filius Dei benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.* Hinc prosequitur: *Possunt autem isti gradus reduci ad compendium* etc. usque ad verba: *et hoc Seraphim* (in nostra edit. n. 14.), quibus subnectit: *Et sic est finis. Finit liber Bonaventure Ministri generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui dicitur ternarius, eo quod de triplici via ad sapientiam in eo tractet.* Sign. M.

14. *Ibidem*, cod. 18779. chart. in 4. — Opusculum incipit fol. 220. r., praemisso titulo: *Tractatus Bonaventure de exercitatione mentali secundum triplicem actum hierarchicum: purgationem, illuminationem et perfectionem.* Desinit fol. 231. v. cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum, ad quod nos perducat Iesus Christus, in secula seculorum benedictus. Amen. Explicit tractatus compendiosus de triplici exercitio mentis: meditatione, oratione et contemplatione, 1457.* Sign. N.

15. *Ibidem*, cod. 19855. chart. exaratus anno 1457. — Fol. 190. v. incipit sine aliquo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. ac desinit fol. 197. r. post verbum *mori* in cap. 2. n. 10: *Sciendum autem, quod ad proficiendum in caritate erit perfectus in omni bono opere. Ad quam caritatem nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Laus Trinitati, alleluia, alleluia. Explicit tractatus Bone venture cardinalis de tribus punctis.* Sign. O.

16. *Ibidem*, cod. 23861. iam notatus tom. V. pag. XXIV n. 8. — Tractatus hic continetur a fol. 219. v. usque ad fol. 223. v. sub titulo: *Tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.* Sign. P.

17. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. D. 43. saec. XIII. exeuntis. — Opusculo huic praemittitur haec rubrica: *Incipit libellus quantum ad triplicem viam, per quam pervenitur ad veram sapientiam, a fratre Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro compositus. Ecce, descripsi eam* etc. Cap. 3. numero 7. addit conclusionem hoc modo: *et osculum et amplexum, ad quod nos perducat. Amen.* Hinc prosequitur: *Possunt autem* etc. usque ad verba: *et hoc Seraphim. Laus tibi sit Xte, quoniam liber explicit iste.* Sign. Q.

18. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 14976. membr. in fol. parvo saec. XIII. exeuntis. — Fol. 17. r. est initium huius opusculi sub hac rubrica: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure*, quod prosequitur usque ad verba: *In illis est fons vite. Amen. Explicit.* Sign. R.

19. *Romae*, cod. apud Dom. Spithoever asservatus, olim bibliothecae sacri Conventus Assisiensis, iam a nobis descriptus tom. V. pag. XXXIV n. 11. — Incipit fol. 202. r. sub titulo: *Fratris Bonaventure tractatus de conscientia regenda.* Desinit fol. 204. r. verbis cap. 2. n. 12: *interponit misericordiam, que est utriusque principium. Explicit tractatus fratris Bonaventure de conscientia regenda.* Sign. A.

20. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca sancti Fortunati, cod. 174. membr. in 8. saec. XIV, iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 120. — Hoc opusculum incipit fol. 122. r.: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 132. v. Sign. S.

21. *Ibidem*, cod. 182. membr. saec. XIV, de quo egimus tom. V. pag. XXVIII n. 15. — Incipit opusculum fol. 102. r., omisso titulo et nomine auctoris; excurrit usque ad folium 109. r. et verba: *Hoc Seraphim* (cap. 3. n. 14.). Immediate sequitur opusculum de Pietate, de quo vide supra ante elenchum codicum. Sign. T.

22. *Venetiis*, bibliotheca Seminarii patriarchatus, cod. F. III. 16. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 92. v.: *Incipit libellus de triplici via, scilicet purgativa, illuminativa et perfectiva, compositus a magistro Bonaventura Ordinis Minorum.* Desinit fol. 97. r. in cap. 2. n. 12. verbis: *Quae est utriusque principium. Explicit tractatus.* Sign. U.

Quoad relationem, quam codices a nobis collati inter se habent, principalior differentia in eo consistit, quod iam tetigimus supra, scilicet quod codd. A L U integrum cap. 3 omittunt, et

H O insuper praecedentem § 5, qui inscribitur *Recapitulatio* (cfr. pag. 11, nota 1. et 7.); porro, quod in fine capituli 2. codd. K R et ex parte D F addunt cum Vaticana manifestam insertionem, infra in Additamento II. impressam; quod E S alia quaedam adiiciunt (cfr. pag. 16, nota 9.); denique, quod codd. S T Z copiosa extracta ex aliis libris Bonaventurae addunt (vide Additam. 3. et 4.), ex quibus illud opusculum *de Pietate* conflatum est.

Praeterea confitemur, dubium esse, utrum recapitulatio illa in cap. 2. § 5. sit auctori tribuenda, nec ne, cum plurimi codices pag. 11, nota 1. notati (quibus etiam H O iam penitus exinde deficientes accedunt) hanc § non necessariam omittant. Attamen eam non expunximus, cum iam in antiquis codicibus, ut R, et editionibus exhibeatur.

Ceterum quoad ipsum textum egregii libelli tantam in minutis rebus varietatem lectionum ex codicibus collegimus, ut longe maiorem earum partem in notis nostris negligere debuerimus. Praeterea, omnes quidem isti codices unum originale primitivum satis fideliter referunt, sed in rebus minoris momenti ita arbitrarie librarii processisse videntur, ut quoad textum reformandum certa et determinata familia ab aliis distingui non potuerit. Praecipue secuti sumus antiquiores codd. A B D E F P S T U V et etiam R, qui tamen non solum memoratum maius additamentum, sed etiam interdum quaedam superflua vocabula interserit.

II. Codices non collati.

23. *Admont* in Styria Austriae, bibliotheca Monasterii S. Blasii O. S. B., cod. 627. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato opusculum hoc incipit sine titulo et desinit: *et hoc est Seraphim* (in nostra edit. cap. 3. n. 14.). Sequitur fragmentum: *Deus est esse* etc. usque: *absque appetitu. Finis est.* Vide infra n. 93.

24. *Altovadi,* bibliotheca Monasterii Cisterciensium, cod. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. v. habetur: *Incipit triplicitas Bone venture. Cum omnis scientia* etc. Desinit fol. 4. ad verba cap. 2. n. 8. *Qui non est amabilis nisi propter Deum, qui dilexit nos et tradidit se pro nobis, Iesus Xtus.*

25. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Civitatis (olim Conventus sancti Francisci), cod. 129. membr. in 4. saec. XIV. — Opusculum hoc est sub rubrica: *Incipit liber de regimine conscientie*, et desinit verbis cap. 2. n. 11.: *cum profectus eius inducat perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestare dignetur etc.*

26. *Augustae Taurinorum,* bibliotheca Universitatis, cod. E. VI. 3. membr. saec. XIV. ineuntis. — Incipit fol. 133. r. col. 1: *Ecce, descripsi eam tibi tripliciter, Prov. 52. Cum omnis scientia* etc., ac desinit fol. 142. v.: *amplectenda per osculum et dilectionem, et hoc seraphim. Explicit, per omnia benedictus Deus* (cap. 3. n. 14.). De hoc codice aliqua iam diximus tom. V. pag. XXV n. 203.

27. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Publica, cod. 746. progress. 565. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Folio non numerato r.: *Incipit quidam tractatus, qui dicitur parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc., et desinit cap. 2. n. 12. ad verba: *quae est utriusque principium. Explicit parvum bonum, quod est perutile. Deo gracias.*

28. *Ibidem,* cod. 889. progress. 1057. iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 119. — In superiore parte fol. r. praemittitur rubrica: *Opusculum domini Bone aventure;* et in fine post verba: *In illis est fons vite,* additur tantum: *Amen. Explicit.*

29. *Ibidem,* cod. 666. progress. 775, de quo egimus tom. V. pag. XXXII n. 114. — Fol. 14. r. legitur: *Incipit meditatio seu liber fratris Boneventure de triplici via.* Fini, qui est fol. 22. r., subiicitur: *Explicit liber de triplici via per fratrem Bonaventuram compositus. Deo gracias.*

30. *Ibidem,* cod. 853. progress. 580, de quo vide quae diximus tom. V. pag. XXXII n. 117. — Incipit fol. 64. r. hoc titulo: *Tractatus Bonaventure de triplici via.* Fini additur post verba *et hoc seraphim: Exerce igitur te* etc. ut infra n. 33.

31. *Ibidem,* cod. 271. progress. 683. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 5. v. sub titulo: *Incipit liber Bonaventure intitulatus parvum bonum, vel imago vite, de triplici via perveniendi ad sapientiam.* Desinit verbis: *et hoc seraphim;* repetit titulum ut in principio.

32. *Augustae Vindelicorum* in Bavaria, bibliotheca Civitatis, cod. chart. lat. LXVIII. saec. XV. — Legitur fol. 1. r.: *Incipit Speculum sive Itinerarium mentis in Deum Bonaventure, sacrosancte Romane Ecclesie Cardinalis egregiique doctoris. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 6. v. verbis: *in sequentibus dominatur affectio* (quae habentur cap. 3. n. 7.); subiicitur: *Explicit Speculum sive Itinerarium mentis in Deum Bonaventure.*

33. *Aurelianis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 166. membr. in 4. exaratus anno 1426. — Opusculum praenotatur per verba: *Incipit liber Bonaventure de triplici via;* et desinit: *et hoc est Seraphim.* Sequitur haec admonitio, quae habetur etiam infra n. 95: *Exerce te igitur ad virtutes secundum conformitatem ad Ierusalem supremam, de qua gloriosa dicta sunt, quae est civitas Dei omnipotentis, ad quam nos perducat Dominus noster, qui cuncta gubernat per infinita secula seculorum. Amen.*

34. *Avenione* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 105, olim Caelestinorum Avenionensium, in 8. saec. XIV. — Fol. 2. praemittitur opusculo: *Incipit speculatio fratris Bonaventure secundum triplicem viam: purgationis, illuminationis et perfectionis.* Opus decurrit usque ad fol. 4. et verba: *Secundo dilatandus est radius intelligentie ad beneficia* (cap. 1. n. 1). Hinc notatur: *verte in fine libri:* ubi revera prosequitur usque ad verba eiusdem capituli n. 13: *Per quem fecit animam xtianam, suam amicam, filiam, sponsam. Hec omnia mira sunt.*

35. *Balneoregii* in Italia, cod. Ecclesiae cathedralis inter Reliquias Sanctorum adservatus, membr. in 4. parvo saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum est post libros sacrae Scripturae et ab alia manu ac illi exaratum. Incipit: *Ecce, descripsi eam tibi* etc., et desinit cap. 2. n. 11. verbis: *cum profectus eius inducat perfectionem omnium bonorum* etc.

36. *Basileae* in Helvetia, bibliotheca Publica, cod. B. VIII. 29, quem notavimus tom. V. pag. XXXIV. n. 12. — Post opus de Reductione artium ad theologiam ponitur rubrica: *Alia distinctio,* deinde sequitur: *Ecce, descripsi eam* etc. Sed manus saeculi XV. praeponit: *Incipit parvum bonum vel regimen conscientie eiusdem doctoris, quod vocatur fons vite.* Opusculum desinit cap. 2. n. 10. verbis: *Nec tamen liberamur omnino* (cfr. pag. 16, nota 9. et pag. 18, nota 2.).

37. *Ibidem*, cod. A. VIII. 26. chart. in 4. saec. XV. — Foliorum series non numeratur. Opusculum incipit sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., et desinit: *et hoc Seraphim. Et sic est finis. Explicit liber Bonaventure, Ministri generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui trinarium dicitur, eo quod de triplici via ad sapientiam tractetur in ipso.*

38. *Ibidem*, cod. A. IX. 37. membr. saec. XIV. ineuntis. — Folio 79. r. a prima manu notatur: *Tractatus fratris Bonaventure de conscientia regenda.* Deficit fol. 85. v. ad verba cap. 2. n. 12: *optabat gratiam et pacem.* Reliqua pars folii remansit alba.

39. *Ibidem*, cod. B. VIII. 32. miscell. plurium aetatum. — Hoc opusculum est saec. XV. et incipit fol. 26. v. sub titulo: *Trivium Bonaventure*, ac desinit fol. 33. v.: *In illis est fons vite. Ad quam* etc.

40. *Berolini*, bibliotheca Regia, MS. theol. lat. 165. chart. in 4. saec. XV. — Folio 59. v. legitur: *Incipit ternarius Bone venture de regimine conscientie. Ecce, descripsi eam* etc. Protrahitur usque ad fol. 69. r, ubi deficit cap. 3. n. 7. verbis: *et osculum et amplexum, quo nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit ternarius de regenda conscientia.*

41. *Ibidem*, MS. theol. lat. 105. chart. saec. XV. — Fol. 161. r. incipit sub rubrica: *Sequitur ex tractatu fratris Bonaventure de triplici via ad sapientiam.* Continet aliquos numeros cap. 2. et desinit fol. 182. r.: *perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestet qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.* (in nostra edit. cap. 2. n. 11.).

42. *Ibidem*, cod. 106. in fol. membr. saec. XV. — Fol. 1. praemittitur haec memoria a librario coaevo exarata: *Iste liber comparatus est pro perpetua memoria cuiusdam boni viri, uxoris sue et parentele totius utriusque, anno Domini millesimo CCCCXLIV. pro usu Conventus Fratrum Minorum in veteri Brandeborg sub tali conditione, quod a Conventu nullo modo debeat alienari.* Hinc fol. 174. r.: *Incipit Ternarius domini et fratris Bonaventure Cardinalis, doctoris*, ac desinit fol. 177. v.: *et hic Seraphim.* Sequitur: *Dicitur Deus cognoscere absque possibilitate* etc., usque ad verba: *absque appetitu.* De qua additione vide infra n. 93.

43. *Ibidem*, cod. theol. 4. membr. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit fol. 52. v. sub titulo: *De stimulo conscientie*, et desinit fol. 59. v. verbis: *amplectenda per osculum et dilectionem, et hoc Seraphim* (in nostra edit. cap. 3. n. 14).

44. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 500. miscell. saec. XV, in quo inveniuntur etiam quaedam impressa. — Legitur fol. r. non numerato: *Incipit libellus, qui appellatur regimen conscientie vel parvum bonum, editus a fratre Bonaventura Cardinali.* Desinit: *Et hec Seraphim. Explicit libellus* etc., ut in initio.

45. *Brunopoli* (Braunschweig) in Germania, bibliotheca Civitatis, cod. 121. chart. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. v. notatur: *Ternarius Bonaventure, liber Fratrum Minorum in Brunswic. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 9. r. verbis cap. 3. n. 7: *ad copulam et osculum divine.* Cetera desunt.

46. *Ibidem*, cod. 44. chart. in fol. saec. XV, quem iam notavimus tom. V. pag. XXXIX. n. 1. — Fol. 11. r.: *Incipit Ternarius Bonaventure, doctoris devoti ac Cardinalis ordinis minorum Fratrum.* Desinit fol. 14. v.: *et hoc Seraphim. Deo gracias.* Deinde repetit quae opusculo praemiserat.

47. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 1520-42. miscell. saec. XV. — Fol. 74. v.: *Incipit Itinerarius mentis ad seipsam, sive meditationes vel parvum bonum Boneventure, et debet precedere Itinerarium mentis ad Deum ab eodem compositum.* Desinit fol. 79. v.: *et hoc Seraphim. Explicit Itinerarium mentis ad se ipsam Bonaventure.*

48. *Ibidem*, cod. 3716-28, ut notavimus tom. V. pag. XIX n. 46. — Incipit fol. 148. r. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., et desinit fol. 155. v. verbis: *In illis est fons vite. Amen. Explicit parvum bonum Bonaventure.*

49. *Ibidem*, cod. 9978-82. membr. in 8: exaratus anno 1497. — Fol. 93. v.: *Incipit liber sancti Bonaventure de triplici via ad sapientiam.* Desinit fol. 108. v.: *et hoc Seraphim. Ad quod perducere dignetur qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

50. *Ibidem*, cod. 19610. membr. in 8. saec. XIV. — Hoc opusculum occurrit fol. 26. r. sub rubrica: *Incipit tractatus, quem fecit Bonaventura, generalis Minister Fratrum Minorum.* Desinit fol. 44. v. verbis: *In illis est fons vite. Amen.*

51. *Burdigalae* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 267. membr. in fol. saec. XIV. — Huic opusculo praemittitur: *Incipit liber de triplici via.* Desinit verbis: *Tertia Seraphim. Explicit liber de triplici. Deo gracias.*

52. *Cantabrigae* in Anglia, bibliotheca Universitatis, cod. L. i. VI. 15. iam descriptus tom. V. pag. XX n. 50. — Fol. 135. r. post alia sancti Bonaventurae habetur: *Sequitur alius tractatus ab eodem de triplici via.* Desinit fol. 160. verbis: *Et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in unitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus domini Bonaventure de Triplici Via.*

53. *Ibidem*, cod. F. f. VI. 53. membr. in 12. saec. XIV. — Fol. 8. r. legitur: *Documentum Bone fortune, qualiter possumus illuminari.* Desinit fol. 30. v.: *In illis est fons vite. Amen. Explicit documentum Bone fortune.*

54. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sanctissimae Trinitatis, cod. B. I. 44, quem notavimus etiam tom. V. pag. XX n. 57. — Hoc opusculum incipit sub titulo: *Meditatio Boneventure* et desinit: *Tertia Seraphim* (in nostra edit. cap. 3. n. 14.).

55. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Emmanuelis, cod. 1. 3. 12, cuius mentionem fecimus tom. V. pag. XXVIII n. 27. — Opusculum incipit post Itinerarium mentis in Deum, nullo medio: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit verbis: *Sapere absque appetitu.* Sequitur: *Explicit liber secundum Fratrem Minorem;* alia antiqua manus addidit: *Bonaventuram.*

56. *Carnuti* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 238. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 203. r. habetur rubrica: *Incipit tractatus, qualiter se debet habere homo in lectione, meditatione, oratione, contemplatione. I. capitulum. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 208. r. per verba cap. 3. n. 8: *in te exsulto, tibi in sempiternum adhereo. Explicit.*

57. *Carolopoli* (Charleville) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 92. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Incipit fol. 1. et desinit ut editio nostra Indicationes tituli et nominis auctoris omnino omittuntur.

58. *Colmariae* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. chart. in 8. saec. XV, ut notavimus tom. V. pag. XXVIII n. 28. —

Opusculum incipit fol. 150. v. sine ullo titulo et desinit fol. 160. v. verbis cap. 3. n. 7: *Osculum et amplexum, ad quos nos perducat Iesus Christus, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.*

59. *Coloniae*, bibliotheca Seminarii archiepiscopalis, cod. XLI. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 177. v. sic: *Ad sapientiam christianam via triplici pervenitur, scilicet meditando, orando et contemplando.* Desinit fol. 182. r. verbis cap. 3. n. 5: *habebit lumen vite in hac via, gratie et postmodum glorie. Explicit determinatio Boneventure de triplici via, qua pervenitur ad sapientiam christianam. Deo gracias. Amen.*

60. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis Iagellonicae, cod. 399. A. III. 35. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 150, sed inseruntur in principio haec: *Stimulus conscientiae, quare debeat homo penitere. Conscientia debet gerere insigne et praecipue illa que in sacra Scriptura* etc. Desinit fol. 154. his his verbis: *Explicit summa confessionis.*

61. *Ibidem*, cod. 1298. A. A. I. 15. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 311. legitur: *Incipit Hugo de arra anime. Speculum sive Itinerarium mentis in Deum fratris Bone venture. Ecce, descripsi eam tibi tripliciter. Prov. Cum omnes scientie gerant sancte Trinitatis* etc. Desinit fol. 327. cap. 3. n. 5. ad verba: *et amplexum. Quo nos conducat.* Inde abrupte prosequitur: *In primis vigent, in sequentibus dominantur affectus. Explicit Ternarius fratris Bone Venture.*

62. *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Patrum Ord. S. Benedicti, cod. 280. membr. saec. XIV, ut notavimus tom. V. pag. XXIX n. 32. — Opusculum hoc incipit fol. 131. r., cui praemittitur tantum: *Triplicitas Bonaventure.* Desinit fol. 317. v. ad verba: *Et hec Seraphim. Explicit de triplici via ad Deum.*

63. *Ibidem*, cod. 49. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 64. r. legitur: *Incipit Triplicitas Bonaventure de meditatione.* Deinde, omisso textu Scripturae: *Cum omnis scientia* etc., desinit fol. 69. v.: *nec tamen liberarem* (cfr. pag. 11, nota 7. et pag. 18, nota 2.).

64. *Darmstadii* in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. 673. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 155. r. *Incipit parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 163. r. per verba: *in his est fons vite, ad quam nos perducat Iesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

65. *Ibidem*, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. ineuntis, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXIX n. 33. — Opusculum incipit fol. 185. r., cui praemittitur rubrica: *Parvum bonum;* alia manus posterioris saeculi addidit: *Sancti Bonaventure.* Desinit fol. 196. ut editi. Post: *Amen,* subiicitur: *Orate pro scriptore Ioanne de Walbeec.*

66. *Ibidem*, cod. 1021. membr. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 62. r. sine ullo titulo; desinit incompletum fol. 163. r. verbis cap. 1. n. 8: *utique facere iudicium* etc.; sequentia non fuerunt scripta.

67. *Ibidem*, cod. 961. membr. in 8. saec. XIV. — Librarius saeculi XV. praemisit opusculo: *Parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit: *in illis est fons vite. Amen. Explicit.*

68. *Duaci* (Douai) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 503. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 45. v. legitur: *Incipit contemplatio Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 54. v. verbis: *Tertia Seraphim.* Hinc additur: *Expliciunt contemplationes Bonaventure cardinalis.*

69. *Ibidem*, cod. 430. membr. in fol. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 22. v. sine ullo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., et decurrit usque ad fol. 32. v.: *Et hec est Seraphim. Ad quos nos perducere dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit libellus de triplici via, qui vocatur Ternarium.*

70. *Ducumburgi* (Herzogenburg) in Austria, bibliotheca Canonicorum Regularium, cod. 16. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Titulus opusculi est fol. 183. v.: *Incipit libellus fratris Bonaventure, qui dicitur stimulum* (sic) *consciencie. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 190. v.: *Tertium Seraphim,* sine alia additione.

71. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca Regia, collect. Amploniana, cod. 98. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 99. v. legitur: *Incipit tractatus Bonaventure de gradibus ascendendi in veram sapientiam,* et desinit fol. 107. verbis: *et hoc est Seraphim.*

72. *Ibidem*, cod. I. in 8. chart. saec. XV. — Folio sine numero parte recta incipit absolute: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit ut in editis. Ad calcem additur: *Explicit tractatulus bonus de regimine consciencie editus a Bonaventura cardinali et intitulatur: Ternarius Bonaventure. Explicit.*

73. *Ibidem*, cod. 13. in 8. chartaceus. — Hoc opusculum incipit fol. 67. r. sine ullo titulo; desinit fol. 78. v. in cap. 3. n. 7. per verba: *osculum et amplexum, quo nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Deo gracias. Gloria fine carens sit ter pia parens. Explicit tractatulus bonus de regimine consciencie, editus a Bonaventura cardinali 1477.*

74. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. VIII. B. 1817. membr. saec. XV, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXIX n. 39. — Incipit fol. 17. r. sub titulo: *Trinarium de vita contemplativa Bonaventure.* Desinit fol. 22. v.: *et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit liber de triplici via, qui vocatur Trinarium, compilatus per B. Bonaventuram cardinalem, Ordinis Fratrum Minorum.*

75. *Ibidem*, cod. XXXV. D. 237. chart. — Fol. 11. legitur: *Incipit prologus in Parvum bonum S. Bonaventurae, quod etiam Incendium amoris dicitur, vel regimen conscientie. Evigilans vero* etc., sequitur ut in editis usque ad fol. 39. v. Hinc additur: *Deo gracias. Finit Parvum bonum vel regimen consciencie S. Bonaventure, quod vocatur fons vite vel Stimulus amoris. MDXVI.*

76. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 51. (olim Camaldulensium 116.) chart. saec. XV. — Titulus opusculi exhibetur fol. 148. r. hoc modo: *Incipit libellus quantum ad triplicem viam, per quam pervenitur ad veram sapientiam, a fratre Bonaventura compositus, qui est de Ordine Fratrum Minorum et magister in theologia.* Desinit fol. 160. r. verbis: *Et hoc Seraphim.*

77. *Ibidem*, bibliotheca Riccardiana, cod. CCCXLIX. chartac. iam descriptus tom. V. pag. XXXIV n. 2. — Opusculum incipit fol. 79. v. et desinit 88. v., ut in editis, dein additur: *Haec compendia composuit dominus frater Bonaventura.*

78. *Friburgi* in Brisgovia, bibliotheca Universitatis, cod. 388. a. chart. in 8. saec. XV. — Fol. r. non numerato legitur: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure.* Prosequitur opusculum usque ad verba: *In his est fons vite. Ad quam nos perducat Iesus Xtus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.*

79. *Gandavi* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 226. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 212. r. legitur: *Incipit liber fratris domini Bonaventure de regimine consciencie.* Desinit fol. 217. r. verbis cap. 2. n. 11: *Inducat perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestet qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Sequitur: *Explicit,* et titulus qui supra.

80. *Ibidem*, cod. 291. iam descriptus tom. V. pag. XXIX n. 42. — Opusculum est fol. 14. r. indicatum hac rubrica: *Incipit meditatio seu liber fratris Bonaventure ordinis minorum de triplici via: Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 23. r. per verba: *Et hec est Seraphim. Ad que nos perducat qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Explicit liber de triplici via a fratre Bonaventura Ordinis Minorum compositus, cuius anima requiescat in gaudium sempiternum. Amen.*

81. *Gedani* (Danzig) in Borussia, bibliotheca sanctae Mariae, cod. 95. progress. Scrinio 298. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 92. r. sine titulo et nomine auctoris, desinit fol. 98. v. in cap. 3. n. 5. verbis: *et osculum et amplexum Iesu xti, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.*

82. *Ibidem*, cod. 10. progress. Scrinio 55. iam descriptus tom. V. pag. XXIX n. 43. — Incipit fol. 195. r. et desinit 198. v. *et haec Seraphim.* Sequitur fragmentum: *Deus est esse absque non entitate* etc. Omittitur omnino titulus operis et nomen auctoris.

83. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 788. chart. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. sine ullo titulo, et desinit fol. 7. v. verbis cap. 2. n. 11: *ad perfectionem omnium bonorum, quam nobis prestare dignetur in secula benedictus. Deo laus.*

84. *Gottingae* in Borussia, bibliotheca Universitatis, ms. 114. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 2. r. sine titulo: *Cum omnis scientia gerat* etc., desinit fol. 18. r. verbis: *et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur Iesus xtus, qui est benedictus in secula. Amen. Anno 62.º* (1462).

85. *Gottwicii* (Göttweih) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 102. (74). — Folio 134. v. post alium librum *finitum anno 1577. post diem sanctae Luciae*, sequitur rubrica: *Nucleus Bone Venture de contemplacione, vel stimulus amoris, seu consciencie.* Desinit fol. 138. r. in cap. 3. n. 8. post *adhaereo* verbis: *A te nunquam separabor.*

86. *Ibidem*, cod. 256. (456.) chart. in 4. saec. XV. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit Itinerarium mentis in seipsam editum per dominum Bonaventuram cardinalem.* Desinit fol. 13. v. *Et hoc Seraphim. Et sic est finis.* Hinc sequenti folio sequitur compendium opusculi sub hac inscriptione: *Incipit tabula exercitii interioris hominis, quo pervenitur ad veram scientiam et sapientiam ex ternario reverendi patris et doctoris Bonaventure. Sacra Scriptura in se continet triplicem intellectum* etc. Hoc schema desinit fol. 16. r.: *In qua est cognitio per veram experientiam. Et sic est finis. Explicit verum et pulcherrimum speculum corporis et anime medicinale.*

87. *Graecii* Styriae in Austria, bibliotheca Universitatis, cod. 1011. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Folio non numerato r. incipit absolute: *Ecce, ego descripsi eam* etc., desinit per verba cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum, quam nobis prebeat Iesus christus Dominus noster. Amen.*

88. *Ibidem*, cod. 1082. chart. in 4. saec. XV. — Opusculo praemittitur titulus fol. 89. r. hoc modo: *Incipit stimulus consciencie fratris Bonaventure.* Protrahitur usque ad verba cap. 2. n. 12: *exhibendo complacentiam. Deo gracias. Explicit tractatus perutilis volenti proficere, de stimulo consciencie.*

89. *Ibidem*, cod. 886. iam relatus tom. V. pag. XVII § 3, ubi erronee fuit tributus bibliothecae Capituli Posoniensis. — Opusculum, de quo hic agimus, incipit circa finem voluminis et detruncatur cap. 2. n. 11. ad verba: *In qua tanta est pax et quies, ut...*

90. *Ibidem*, cod. 851. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 171. v. a cap. 1. n. 2. sub titulo: *Stimulus consciencie fratris Bonaventure. Sciendum est, quod tria sunt intra nos* etc. Desinit fol. 174. in cap. 2. n. 2: *Tria debet habere, dolorem, pudorem et timorem.* Alia desunt omnino.

91. *Ibidem*, cod. 1112. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Post medietatem voluminis fol. v. non numerato incipit opus: *Ecce, descripsi eam* etc., et desinit per verba cap. 2. n. 12: *interponit misericordiam, que est utriusque principium. Amen.* Titulus et nomen auctoris omittitur.

92. *Ibidem*, cod. 1015. membr. in 4. saec. XIV, quem notavimus tom. V. pag. XLIV n. 18. — Fol. 44. r. incipit sine titulo et desinit fol. 56. v. verbis: *Tercia Seraphim.* Additur: *Deus habet esse absque non entitate, per se esse absque accidentalitate, actuale esse absque materialitate, vivere absque nutribilitate, cognoscere absque passibilitate, movere absque variabilitate, conferre absque successione, intelligere absque abstractione, contemplari absque ascensu, sapere absque appetitu.*

93. *Gratianopoli* (Grenoble) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 607. saec. XIII. exeuntis, foliis non numeratis. — Fol. 1. r. prima manus in margine inferiori haec exaravit: *Incipit speculatio fratris Bone venture secundum triplicem viam.* Desinit detruncatum cap. 2. n. 4. ad verba: *Exhibitio latrie, ex quacunque gratia colatur, debet habere tria...*

94. *Hafniae* (Kopenhagen) in Dania, bibliotheca Regia, cod. 3397. in 8. membr. saec. XIV. — Fol. 2. r. est rubrica: *Parvum bonum Bone venture.* Hinc: *Incipit processus ordinarius ad perfectionem vite presentis et future beatitudinis. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 19. r.: *quoniam in illis est fons vite. Amen.*

95. *Hagae comitum* in Hollandia, bibliotheca Regia, cod. 162. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Circa medium voluminis: *Incipit liber de triplici via a beato Bonaventura compositus.* Desinit: *In illis est fons vite. Et exerce te ad virtutes in conformitatem ad supernam Ierusalem, de qua gloriosa dicta sunt, que est civitas Dei omnipotentis. Ad quam nos perducere dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

96. *Heidelbergae*, bibliotheca Universitatis, cod. Scrin. VIII. n. 43. in 4. chart. saec. XV. — Est rubrica opusculi huius fol. 132. r. sic efformata: *Incipit tractatus Bone Venture*

de triplici actu hierarchico. Desinit fol. 143. v. verbis cap. 3. n. 7: *ad osculum et amplexum, ad quod nos perducat Iesus xtus, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.*

97. *Herbipoli* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. M. ch. 9. 16/2. saec. XV. — Hoc opusculum incipit post alia fol. 369. r. hac rubrica: *Sequitur tractatus domini Bonaventure, qui dicitur speculum anime de tribus viis, scilicet purgative, illuminative et perfective. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 372. r. verbis cap. 2. n. 12: *Cum fiducia spei, quam habemus a Christo, qui mortuus est pro nobis omnibus.*

98. *Ibidem*, bibliotheca Conventus sanctae Crucis Minorum Conventualium, cod. I. 124. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Circa medium voluminis fol. r. non numerato incipit opusculum, praemissa rubrica: *I. capitulum. Nota quod ad veram sapientiam triplici via pervenitur, scilicet, via meditationis et via orationis et via contemplationis, et de his tractatur in presenti opusculo. Ecce descripsi eam* etc. Desinit per verba fragmenti additi: *sapere absque appetitu.* Fini subiicitur: *Explicit tractatus de triplici via perveniendi ad veram sapientiam, quarum prima est via meditationis, secunda via orationis, tertia via contemplationis. Et intitulatur: Parvum bonum Bonaventure. Deo gracias.*

99. *Ibidem*, cod. I. 48. chart. in fol. saec. XV. — Post alia opera fol. r. legitur sub titulo: *Incipit ternarius Bonaventure de regimine consciencie.* Desinit verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Quo nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Hinc iterum: *Explicit ternarius de regenda conscientia.*

100. *Hilarini* (Wilhering) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 103, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXIX n. 51. Huic opusculo praemittitur tantum: *Bonaventura.* Desinit verbis: *Et hoc Seraphim.*

101. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. BB. Tab. 145. n. 17, de quo egimus tom. V. pag. XXI n. 93. Incipit hoc opusculum fol. 106. v.: *Ecce descripsi eam* etc. desinit 109. r. per verba cap. 2. n. 12: *interponit misericordiam, que est utriusque principium. Deo gracias.* Titulus operis et nomen auctoris desiderantur.

102. *Lambacii* in Austria superiore, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. 463. chart. in 8. saec. XV. ineuntis. — Fol. 40. v. occurrit opusculum hoc sub rubrica: *Incipit Itinerarium sive speculacio magistri Bonaventure.* Desinit fol. 52. r. per verba cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prebeat Iesus xtus Dominus noster, Filius Dei, qui cum Patre* etc. *Amen.* Iterum additur titulus, ut in initio.

103. *Ibidem*, cod. 18. chart. in fol. saec. XV. — Huic opusculo, quod incipit fol. 330. v., praemittitur tantum: *Prologus ad vias. Ecce descripsi eam* etc. Desinit mutilus fol. 333. r. verbis cap. 3. n. 3: *Tertio, quantus est qui patitur...*

104. *Ibidem*, cod. 335. chart. in 4. saec. XIV. — Incipit prope finem voluminis, fol. v. non numerato, et desinit fol. ultimo per verba cap. 2. n. 12: *ponit misericordiam, que est utriusque principium. Amen.* Titulus et nomen auctoris omittitur.

105. *Lauduni* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 146. chart. in fol. saec. XV. — Fol. r.: *Incipit liber fratris Bonaventure Ordinis Minorum de triplici via, per quam venitur ad veram sapientiam.* Desinit: *Et hec Seraphim. Ad quam nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit liber de triplici via ad perfectam sapientiam.*

106. *Leodii* in Belgio, bibliotheca maioris Seminarii, cod. 6. N. 2. iam descriptus tom. V. pag. XXX n. 55. — Opusculum hoc incipit fol. 65. r. post alia, nullo medio: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 78. r.: *In illis est fons vite. Amen.* Eadem manus addit: *Explicit parvum bonum fratris Bonaventure. Deo gracias.*

107. *Leopoli* (Lemberg) in Austria, bibliotheca Publica, cod. 380. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 36. r. praefert hunc titulum: *Incipit liber de regimine consciencie secundum Ambrosium* (!), *valde pulcherrimus* etc. *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 40. r. cap. 3. n. 7. verbis: *et osculum et amplexum. Quo nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

108. *Lignitii* Silesiae in Borussia, bibliotheca Ecclesiae sanctorum Petri et Pauli, cod. 16. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 365. v.: *Incipit ternarius Bonaventure de regimine consciencie.* Eadem repetuntur in fine, qui occurrit fol. 371. r. per verba capituli 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Quo nos perducere dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

109. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina, cod. 426. in fol. chart. saec. XV. — Folio non numerato, post alia opera habetur: *Sequitur ternarius Bona Venture. Ecce, descripsi eam* etc.; desinit: *Et hoc Seraphim;* additur: *Deus est esse absque entitate* etc. De hoc additamento vide quae diximus pag. 18 nota 2. huius voluminis et supra n. 92.

110. *Ibidem*, cod. 348. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 54. r.: *Incipit liber, qui dicitur trivium vel speculum anime, sive Itinerarium mentis in Deum, editus a fratre Bonaventura.* Desinit fol. 65. r. verbis ipsius Itinerarii mentis in Deum: *Et dicet omnis populus: Amen, amen.*

111. *Ibidem*, cod. 486. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 213. et desinit fol. 218. Convenit cum praecedenti cod. 348. in titulo, quem praemittit, et in fine sic: *dicat omnis populus fiat, fiat. Amen.*

112. *Ibidem*, cod. 133. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 96. r. est titulus: *Incipit ternarius Bone Venture. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 100. r.: *sapere absque appetitu. Amen, amen.* Haec verba sunt ex additamento, de quo locuti sumus supra n. 92. Post *Amen* additur *Explicit ternale anime.*

113. *Ibidem*, cod. 594. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum hoc incipit circa medietatem voluminis fol. r. sine ulla rubrica. Desinit cap. 2. n. 11. per verba: *inducat perfectionem omnium bonorum; quod nobis prestare dignetur qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

114. *Ibidem*, cod. 564. membr. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 57. r. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 66. v. verbis cap. 3. n. 7: *osculum et amplexum, quo nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen, amen. Explicit.*

115. *Ibidem*, cod. 725. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 384. r. sine titulo et desinit 388. v. verbis: *et in sequentibus dominatur affectio*, quae occurrunt in cap. 3. n. 7.

116. *Londini* in Anglia, collect. Harleana, cod. 3216. membr. in 4. saec. XV. — Titulus huius opusculi ponitur fol.

180. r. hoc modo: *Incipit tractatus Bonaventure de triplici via.* Desinit fol. 199. v.: *Et hoc per Seraphim. Ad quod osculum nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Explicit trinario* (sic!) *Bonaventure de vita contemplativa, de trinitate creata similitudine Trinitatis increate.*

117. *Ibidem,* cod. 3811. descriptus tom. V. pag. XXII n. 104. — Fol. 155. r.: *Incipit tractatulus domini Bonaventure subtilis et pulcer de triplici via, que ducit ad veram sapientiam, et primo de meditatione.* Desinit fol. 162. v. ut in editis. Deinde additur fragmentum: *Deus est esse absque non entitate* etc., ut supra n. 92.

118. *Ibidem,* cod. 106. membr. saec. XIV. exeuntis. — Incipit hoc opusculum fol. 91. praemissa sequenti rubrica: *Nota parvum bonum ad informationem vite secundum Bonaventuram in tractatu, qui incipit: Ecce, descripsi eam.* Desinit fol. 93. r. verbis cap. 2. n. 11: *In pace factus est locus eius.*

119. *Ibidem,* cod. 3227. membr. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit Itinerarium fratris Bonaventure hominis in seipsum.* Desinit fol. 14. r. per verba: *Et hoc Seraphim.* Sequitur opus, quod incipit: *Notandum quod sex sunt potentie* etc., de quo vide Additamentum III. (pag. 19).

120. *Ibidem,* collectio Arundeliana, cod. 507. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Incipit fol. 12. r. hoc titulo: *Meditatio fratris Bone aventure.* Desinit fol. 13. v. verbis: *Secundum hunc modum et in aliis est intelligendum* (cap. 1. n. 19.).

121. *Ibidem,* cod. 205. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 6. r. notatur tantum: *Bonaventura cardinalis. Capitulum 1. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 11. r. verbis cap. 3. n. 7: *Et osculum et amplexum. Quo nos perducat qui vivit et regnat* etc.

122. *Ibidem,* collectio Cottoniana, cod. Vespasianus E. I. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 69. r. est rubrica huius opusculi sic exarata: *Hic incipiunt meditationes Bone venture Fratris Minoris.* Desinit fol. 78. r.: *Tertia hierarchia Thronorum, Cherubim, Seraphim.*

123. *Ibidem,* cod. Faustina, A. VI. membr. in 4. saec. XIV. — Secunda manus fol. 160. v. parte superiore advertit: *Tractatus valde eruditus, sed non satis emendate scriptus, et est Bonaventure libellus, dictus Parvum bonum.* Desinit fol. 166. r.: *Tertia Seraphim.*

124. *Ibidem,* collectio Regia, cod. 8. B. VIII. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 84. v. post alia Bonaventurae tributa: *Incipit tractatus eiusdem de contemplatione.* Desinit fol. 93. v. per verba: *Tertia Seraphim.*

125. *Luneburgi* in Germania, bibliotheca Civitatis, cod. theol. 13. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 207. r.: *Incipit speculatio fratris Bonaventure secundum triplicem viam.* Desinit folio 213. r.: *et hoc est Seraphim. Ad que nos perducat qui super thronos Angelorum in eternum vivit et regnat. Amen.*

126. *Madriti,* bibliotheca Escurialis, cod. I. P. 4. membr. saec. XIV. ante medium. — Fol. 263. r. ad calcem opusculi Stimuli amoris sub nomine Bonaventurae exarati est sequens rubrica: *Ratio, quare sub triplici divisione scripsi istum libellum. Ecce, descripsi tibi eam tripliciter, Proverbiorum vigesimo secundo capitulo. Cum omnis scientia gerat insignia* (sic) *et precipue illa que docetur in Scriptura sacra, debet in se representare vestigium Trinitatis, propter quod dicit sapientia de hac sacra Scriptura, se eam tripliciter descripsisse. Deo gratias.* Hic scriba defecit; reliqua pars huius folii et sequentis adhuc remanent albae.

127. *Ibidem,* cod. J. II. 25, quem notavimus tom. V. pag. XXX n. 62. — Opusculum incipit fol. 98. v. sub antiquo titulo: *Itinerarium mentis in seipsam.* Desinit fol. 109. v.: *Et hec Seraphim. Qui dedit alpha et omega, sit laus et gloria xto. Explicit Itinerarium mentis in seipsam compositum a fratre Bonaventura generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum.*

128. *Magdeburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. XII. fol. 148. chart. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit libellus, qui appellatur regimen conscientie vel parvum bonum, editum a fratre Bonaventura Cardinali. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 9. r. per verba: *Et hoc est Seraphim.* Hinc post *Explicit* adduntur eadem, quae praemittuntur initio.

129. *Medelcii* (Melck) in Austria, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. C. 1. chart. in fol. saec. XIV. — Fol. 61. r. *Incipit Viaticum anime ad Deum Bonaventure.* Desinit fol. 65. r. verbis cap. 3. n. 8.: *adhereo, a te nunquam separabor. Amen.*

130. *Ibidem,* cod. B. 23. chart. in 12. exaratus, ut notavimus tom. V. pag. XXX n. 62, anno 1452. — Pag. 49. est titulus: *Incipit tractatus Bonaventure de triplici actu ierarchico, sive de triplici modo se exercendi.* Desinit pag. 70. ad verba cap. 3. n. 7: *Osculum et amplexum. Ad quod nos perducat* etc. *Explicit Bonaventura de triplici actu yerarchico.*

131. *Ibidem,* cod. B. 29. chart. in 12. saec. XV. — Opusculum hoc incipit fol. 145. r.: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 158. v., ut in editis. Dein: *Explicit tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.*

132. *Ibidem,* cod. O. 18. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 21. v. habet exaratum in parte superiore: *Quoddam opus parvum, sed bonum Bonaventure incipit.* Desinit fol. 40. v. verbis cap. 3. n. 7: *In sequentibus dominatur affectio.*

133. *Ibidem,* cod. P. 14. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. notatur: *Incipit tractatus Bonaventure, qui intitulatur stimulus consciencie de regendo racionem; et lege attente et pondera de verbo ad verbum. Tunc ascendes in contemplacionem et in providenciam tui ipsius et erit tibi super mel et favum in anima tua.* Hinc prosequitur opusculum usque ad fol. 11. v. ubi desinit verbis: *In illis est fons vite. Amen. Explicit tractatus Bonaventure.*

134. *Ibidem,* cod. B. 36. chart. in 12. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 2. r. sub titulo: *Tractatus Bonaventure multum utilis et bonus. Ecce ego descripsi tibi eam* etc., desinit fol. 7. v. verbis cap. 2. n. 11: *Inducat perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prebeat Iesus xtus Dominus noster, qui etc.*

135. *Ibidem,* cod. E. 38. chart. saec. XV. — Pag. 367: *Incipit Itinerarium, sive speculacio magistri Bonaventure.* Desinit pag. 380. per verba cap. 2. n. 11, ut praecedens.

136. *Ibidem,* cod. N. 7., de quo vide tom. V. pag. XXX n. 66. — Huic opusculo fol. 16. r. praemittitur tantum: *Sermo eiusdem,* sed rubricista addidit a latere: *Tractatulus eiusdem de triplici actu yerarchico.* Desinit fol. 22. v. in cap. 3. n. 7. verbis: *Osculum et amplexum, ad quod nos perducat. Amen.*

137. *Ibidem*, cod. H. 99. chart. saec. XV. — Incipit hoc opusculum pag. 1. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. et desinit pag. 32. verbis cap. 3. n. 7: *osculum et amplexum. Ad quod perducat nos Iesus. Explicit tractatus Bonaventure.*

138. *Ibidem*, cod. L. 35. chart. saec. XV. — Pag. 385. praemittitur opusculo: *Tractatus Bonaventure multum utilis.* Desinit pag. 415. ipsis verbis, quibus praecedens.

139. *Ibidem*, cod. L. 37. chart. saec. XV. — Fol. 317. r. incipit absolute: *Ecce, descripsi eam* etc. et desinit fol. 329. v. in cap. 3. n. 7. ut praecedentes, cui alia, sed coaeva manus addidit: *Explicit tractatus Bonaventure de triplici modo se exercendi.*

140. *Merseburgi* in Borussia, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. 11. chart. in fol. saec. XV. — Folio 146. r.: *Incipit ternarius Bonaventure cardinalis.* Desinit fol. 158. v.: *et hoc seraphim.* Inde sequitur: *Quid est Deus? Deus est esse absque entitate* etc. usque: *sapere absque appetitu. Explicit ternarius Boneventure cardinalis.*

141. *Metis* cod. 235. chart. in 4. saec. XV. — Post alia folio 2. r.: *Sequitur parvum bonum, in quo est fons vite, editum a fratre Bonaventura doctore eximio Ordinis Minorum.* Desinit verbis: *Et hoc Seraphim.*

142. *Ibidem*, cod. 241. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 45. v.: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure.* Desinit fol. 54. v. per verba: *In illis est fons vite.* Hinc: *Explicit parvum bonum a fratre Iohanne Perrini scriptum.*

143. *Ibidem*, cod. 601. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. r. sine numero praemittitur tantum: *Bonaventura*, cui imperiti manus adiunxit: *Centiloquium.* Incipit: *Ecce, descripsi eam* etc.; et desinit verbis cap. 3. n. 7: *Et osculum et amplexum. Ad quod nos perducat Iesus xtus dominus noster. Amen.*

144. *Ibidem*, cod. 607. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 5. r. legitur: *Incipit liber fratris Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum et cardinalis de triplici via, per quam pervenitur ad sapientiam. Ecce, descripsi eam* etc. Sequitur usque ad verba: *Et hoc Seraphim.* Additur admonitio: *Exerce te* etc. ut supra n. 95.

145. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. chart. 178. progress. CVII. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Incipit fol. 119. r. sine titulo et nomine auctoris. Desinit fol. 125. r. verbis: *sapere absque appetitu. Explicit Itinerarium in seipsum.*

146. *Ibidem*, cod. chart. 283. progress. CLXXIV. in 4. saec. XIV. — Fol. 108. r. est eadem rubrica, quam in codice n. 8. notavimus, et eadem repetuntur in fine, qui occurrit folio 118. v. Postea legitur: *Explicit parvum bonum Bonaventure. Amen.*

147. *Ibidem*, cod. chart. 438. progress. CCXL. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Incipit opusculum circa finem voluminis et desinit cap. 2. n. 12. per verba: *exhibendo complacentiam. Explicit hoc corpusculum* (sic) *Bonaventure fratris Minoris, quondam Cardinalis et Patriarche.*

148. *Ibidem*, cod. chart. 586. progress. CCCXXXI. saec. XV. — Fol. 1. r. est titulus efformatus: *Parvum bonum Bonaventure.* Desinit fol. 8. v.: *in illis est fons vite. Deo laus et gloria. Amen. Explicit parvum bonum Bonaventure perutile.*

149. *Ibidem*, cod. chart. 605. progress. CCCXLI. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. non numerato circa medietatem codicis est titulus huius opusculi a prima manu exaratus: *Incipit parvum bonum Bonaventure.* Desinit: *in his est fons vite. Ad quam nos perducat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.*

150. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 3034. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 228. v. sine ullo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 232. v. in cap. 2. n. 11. verbis: *Sciendum autem, quod ad proficiendum in caritate erit profectus in omni bono opere. Ad quam caritatem nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Explicit tractatus Bonaventure de tribus Punctis.*

151. *Ibidem*, cod. 3603. chart. saec. XV. — Fol. 250. v. habetur haec rubrica: *Subscripta sunt sumta de ternario Bonaventure, eo quod de triplici via ad sapientiam tractat. Ecce, descripsi eam* etc. Protrahitur usque ad n. 14. cap. 1: *debemus in ipsum tendere*, fol. codicis 252. v. Cetera ablata fuerunt.

152. *Ibidem*, cod. 2991. chart. — Fol. 153. v. incipit sub hoc titulo: *Incipit tractatus de conscientia regenda, qui dicitur Stimulus conscientie, parvum bonum fratris Bonaventure.* Alia manus saec. posterioris adiunxit: *Registrum huius libri quere in fine.* Desinit fol. 181. ut in editis, cui adiungitur: *Explicit tractatus Boneventure de conscientia regenda. Anno Domini 1399. in die Othomari.*

153. *Ibidem*, cod. 5914. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 129. r. legitur: *Incipit parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 140. r. verbis: *in illis est fons vite. Amen.*

154. *Ibidem*, cod. 5014. in chart. saec. XV, ut iam innuimus tom. V. pag. XXX n. 72. — Incendium amoris incipit post alia opera fol. 70. v. hoc titulo: *Tractatus eiusdem de triplici actu ierarchico;* desinit fol. 95. r. his verbis cap. 3. n. 7: *ad copulam et amplexum. Ad quod nos perducat* etc.

155. *Ibidem*, cod. 14835. membr. saec. XIV. — Fol. 102. r. manus posterior exaravit ante opusculum hunc titulum: *Parvum bonum vel regimen conscientie sancti Bonaventure, quod vocatur fons vite.* Desinit fol. 108. r.: *in ceteris vero dominatur affectio* (cap. 3. n. 7.).

156. *Ibidem*, cod. 7959. membr. saec. XIV. — Incipit fol. 118. r. sub hac rubrica: *Sermo generalis peroptimus Bone venture.* Desinit fol. 120. v. in cap. 2, n. 12. ad verba: *ponit misericordiam, que est utriusque principium.*

157. *Ibidem*, cod. 8981. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 62. r. praemittitur: *Parvulum bonum domini Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 61. r. c. 3. n. 7: *et amplexum, ad quod nos perducat xtus Iesus Marie gloriosissime filius. Amen.*

158. *Ibidem*, cod. 7505. chart. in fol. saec. XV. iam descriptus tom. V. pag. XXX n. 73. — Hoc opusculum incipit fol. 238. r. sine titulo, desinit in cap. 3. n. 7. ut praecedens: *Ad quod nos perducat Iesus xtus Filius Dei benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.*

159. *Ibidem*, cod. 18651. chart. saec. XV, de quo vide quae diximus tom. V. pag. XXXV n. 22. — Fol. 161. praemittitur: *Tractatus de triplici actu ierarchico*, et alia manus addidit: *Bonaventure.* Desinit fol. 168. r. in cap. 3. n. 7.

verbis: *ad quod nos perducat Iesus xtus in secula seculorum benedictus. Amen.*

160. *Ibidem*, cod. 23449. membr. saec. XIV. exeuntis ex pluribus compactus. — Fol. 33. v. incipit opusculum hoc sine titulo et decurrit usque ad fol. 43. r., ubi desinit verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum, ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat.*

161. *Ibidem*, in eodem codice occurrit idem opusculum, a folio 154. r. usque ad folium 159. r., ubi desinit, vel potius deficit verbis cap. 2. n. 12. (cfr. pag. 11, nota 7.): *nec tamen liberamur omnino. Explicit Itinerarius mentis in Deum.* — Hunc cod. notavimus tom. V. pag. XXXIV n. 7.

162. *Ibidem*, cod. 18186. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 196. v. incipit Incendium amoris sub titulo: *Opus gloriosum, quod appellatur trinarium, per dominum Bonam venturam Fratrem Minorem et cardinalem, et potest appellari opus aureum. Cum omnis scientia* etc. Desinit fol. 202. r. per verba: *et hoc est Seraphim. Explicit liber trinarius B. Boneventure Ordinis Fratrum Minorum et cardinalis.*

163. *Ibidem*, cod. 5983. chart. saec. XV. — Fol. 157. r. legitur: *Incipit parvum bonum Bonaventure.* Desinit fol. 170. r.: *in illis est fons vite. Explicit parvum bonum Bonaventure.*

164. *Ibidem*, cod. 2729. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 134. r. legitur: *Incipit libellus fratris Bone Venture, qui dicitur Stimulus consciencie. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 144. v. verbis: *tertium Seraphim.*

165. *Ibidem*, cod. 2633. membr. in 8. saec. XIV. ineunt. iam notatus tom. V. pag. XXVII n. 8. — Opusculum incipit fol. 94. r. a cap. 1. n. 7. verbis: *crastina? Secundo acuitur cum homo considerat sanguinem xti effusum* etc. Desinit vel potius deficit fol. 97. v.: *et de eo malo, quod adimus, timemus.* Cetera fuerunt avulsa.

166. *Ibidem*, cod. 18402. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 294. r. et desinit 302. r. cap. 3. n. 7: *in sequentibus dominatur affectio. Explicit speculum seu Itinerarius mentis in Deum Bonaventure.*

167. *Ibidem*, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 421. r. incipit absolute a prologo: *Evigilans vero.* Desinit fol. 437 r.: *in illis est fons vite. Explicit parvum bonum sancti Bonaventure.*

168. *Ibidem*, cod. 18573. chart. in 4. saec XV. — Opusculum est post alia opera Bonaventurae sub rubrica: *Ex tractatu eiusdem de triplici actu ierarchico.* Est exaratum per modum schematis, et desinit cap. 3. n. 7. per verba: *ut perveniatur ad amplexum.*

169. *Ibidem*, cod. 12591. chart. in fol. saec. XV. — Incipit absque ullo titulo fol. 19. r.: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit vel potius deficit fol. 27. v. cap. 3. n. 5. verbis: *sed habebit lumen vite eterne, ad quam nos perducat Iesus xtus. Amen.*

170. *Ibidem*, cod. 11929. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 250. r.: *Incipit parvum bonum S. Bonaventure, quod vocatur Fons vite.* Desinit fol. 253. r. verbis: *voluntarie penitentie lamenta*, quae leguntur cap. 1. n. 19.

171. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 344. in 8. chart. saec. XV. ante medium. — Fol. 237. r. est sequens rubrica: *Incendium vel parvum bonum Bonaventure, prologus in fine. Ecce, descripsi eam* etc. Prosequitur, ut in editis, usque ad fol. 216. r., cui additur: *Explicit liber, qui vocatur Incendium amoris sive parvum bonum fratris Bonaventure.* Inde subiicitur: *Sequitur prologus in praecedentem tractatum. Evigilans vero... conabor.* Desinit verbis: *Istius libri titulus Incendium amoris sortiatur.*

172. *Ibidem*, cod. 97. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 150. v.: *Incipit Itinerarius mentis in Deum Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum.* Desinit fol. 157. r. verbis: *et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit Itinerarius Bonaventure mentis in Deum.*

173. *Ibidem*, cod. 30. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 49. r. habetur rubrica: *Nota: Bonaventura de divina sapientia. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 53. r. verbis cap. 3. n. 7: *ad osculum et amplexum, ad quem nos perducat Iesus xtus dulcissimus.* Hinc eadem prima manus: *Explicit bonus tractatus Bone Venture de divina sapientia.*

174. *Ibidem*, cod. 3. chart. in 8. saec. XV. sub fine, ut innuimus tom. V. pag. XXXI n. 81. In fine enim codicis eadem manus, quae eum exaravit, addidit hanc memoriam: *Anno Domini 1482. in octava Pasche canonizatus seraphicus doctor dominus Bonaventura episcopus Albanensis et cardinalis S. R. Ecclesiae.* — Fol. 39. r. incipit opusculum hoc sub titulo: *Prologus domini Bonaventure in Incendium amoris. Evigilans vero* etc. Post hunc prologum iterum rubrica: *Parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit ut in editis fol. 47. verso.

175. *Neuburgi* in Austria, bibliotheca Canoniae, cod. 349. chart. iam notatus tom. V. pag. XXXIII n. 132. — Opusculum incipit fol. 154. r. sine titulo, et desinit fol. 159. v. per verba: *Et hec Seraphim. Bernhardus super Cantica. Explicit Itinerarium mentis in seipsam editum per dominum Bonaventuram cardinalem.*

176. *Ibidem*, cod. 800. membr. in 4. saec. XIV. — Post aliud opus sancti Bonaventurae sequitur, fol. non numerato: *Tractatus graduum, quibus ad veram sapientiam pervenitur.* Desinit cap. 3. n. 7: *Osculum et amplexum. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.*

177. *Ibidem*, cod. 825. iam descriptus tom. V. pag. XXXIII n. 133. — Hoc opus incipit fol. 27. r. et desinit vel potius deficit fol. 32. r., uti praecedens, sine alio additamento.

178. *Oeniponte* in Tyrolo, bibliotheca Patrum Ord. Praemonstratensium in Wilten, cod. chart. in fol. parvo, sine numero. — Opusculum praesens incipit fol. 179, cui praemittitur tantum: *Bonaventura.* Desinit fol. 182. cap. 2. n. 11. his verbis: *Studendum est igitur ad perfectionem in caritate, ad quam nos perducat qui vivit et regnat. Explicit primus tractatus Bonaventure de stimulo conscientie.*

179. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 219/9. chart. in fol. saec. XV. prope medium. — Fol. 55. r. indicatur annus, quo fuit exaratus, hoc modo *142.* Fol. 109. r. praemittitur: *Stimulus amoris Bonaventure.* Desinit fol. 111. v. per verba cap. 2. n. 12: *per Christum crucifixum cum assistentia patrocinii etc. Explicit de stimulo Bonaventure.*

180. *Ibidem*, cod. 264. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 103. r. praemisso tantum: *Bonaventura*, incipit: *Ecce, descripsi eam* etc., usque ad verba: *et hoc Seraphim*, quae occurrunt fol. 114. v.

181. *Olomutii* in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. g. 27. chart. saec. XVI. ineuntis. — Vol. 33. r. incipit: *Parvum bonum sancti Bonaventure, alias regimen conscientie. Evigilans vero animam meam* etc. Desinit fol. 43. r.: *Quoniam in illis est fons vite.*

182. *Ibidem,* bibliotheca Capituli Ecclesiae cathedralis, cod. 33. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 82. v. est rubrica: *Incipit stimulus conscientie, quem aliqui nominant speculum anime.* Desinit fol. 87. r.: *ad osculum, ad amplexum. Amen* (cap. 3. n. 7.). *Explicit speculum animae editum a fratre Bonaventura de Ordine Minorum.*

183. *Oxonii* in Anglia, cod. Canonic. 284. membr. in 4. saec. XIV. iam relatus tom. V. pag. XXIII n. 149. — Hoc opusculum est post alia opera fol. 81. v. sub hac indicatione: *Incipit tractatus predicti fratris B. de conscientia regenda.* Desinit fol. 83. v. verbis cap. 2. n. 12: *interponit misericordiam, que est utriusque principium.*

184. *Ibidem,* bibliotheca Bodleiana, cod. 181. membr. saec. XIV. — Fol. 117. r. est rubrica: *De triplici via Bone venture.* Opusculum deficit fol. 122. in cap. 3. n. 9. verbis: *per contemptum concupiscentiarum terrenorum, modestia...*

185. *Ibidem,* cod. Collegii Mertonensis, 2. miscell. saec. XV. — Rubrica huius operis reperitur fol. 2. r. verbis: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure, quod a quibusdam vocatur meditatio eiusdem.* Eadem repetuntur in fine fol. 6. r. post verba: *Tertia Seraphim. Amen.*

186. *Papiae* in Italia, bibliotheca Universitatis, cod. CXXX. A. 21. miscell. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 17. r. sub hac rubrica: *Opus gloriosum, quod appellatur ternarium, per sanctum Bonaventuram Fratrem Minorem et cardinalem. Et potest appellari opus aureum. Cum omnis scientia gerat Trinitatis insigne.* Desinit fol. 30. v.: *Et hoc est Seraphim.*

187. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, collect. Regia, cod. 3574. membr. in 8. saec. XIII. — Fol. 71. r. incipit absolute: *Ecce, descripsi eam* etc., desinit fol. 79. r.: *In illis est fons vite. Amen.*

188. *Ibidem,* bibliotheca Nationalis, collect. supplem. cod. 10630. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 120. r. incipit sub titulo: *Parvum bonum Bonaventure,* desinit fol. 125. r.: *In illis est fons vite. Amen. Finit parvum bonum.*

189. *Ibidem,* cod. 9615, de quo egimus tom. V. pag. XXXI n. 90. — Fol. 2. r.: *Incipit Itinerarium mentis in se quoad Deum,* desinit fol. 13. v.: *Et hec Seraphin. Ad quod nos perducat ipse, qui trinus est et unus. Amen. Explicit Itinerarium mentis in seipsam quoad Deum.*

190. *Ibidem,* cod. 2042. iam descriptus tom. V. pag. XXIV n. 163. — Fol. 84. est titulus huius opusculi: *Incipit liber de triplici via perveniendi ad sapientiam a fratre Bonaventura compositus.* Desinit folio 86. v.: *Et hoc est Seraphim. Ad quod nos perducere dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

191. *Ibidem,* cod. 2049. membr. saec. XV, ut notavimus tom. V. pag. XXIV n. 164. — Titulus huius operis est fol. 16. r.: *Incipit contemplatio fratris Bonaventure Ministri generalis Fratrum Minorum. Cum omnis scientia gerat* etc. Finis est fol. 20. r.: *Tertia Seraphim. Explicit.*

192. *Ibidem,* cod. 3756. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 57. r. post alia, nullo interiecto titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 79: *Tertia Seraphim. Amen. Explicit liber Bonaventure in meditationibus suis.*

193. *Ibidem,* cod. 2980. membr. in 8. saec. XV. — Fol. r. legitur: *In nomine Domini nostri Iesu Xti. Amen. Incipit liber fratris Bone venture Ordinis Fratrum Minorum de triplici via, per quam pervenitur ad veram sapientiam.* Finis est fol. 15. r. verbis: *Et hoc est Seraphim. Ad quam nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit. Deo gratias.*

194. *Ibidem,* cod. 590. membr. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum est fol. 153. r. sub titulo: *Incipit liber de triplici via,* et protenditur usque ad fol. 162. v. Verbis desinit: *Tertia Seraphim. Explicit liber de triplici via;* nomen auctoris omittitur.

195. *Ibidem,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 1255. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. v. non numerato notatur: *Incipit de triplici liber iste. Ecce, descripsi eam* etc., desinit verbis: *Tertia Seraphim.*

196. *Ibidem,* cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. — Fol. 68. r.: *Incipit prologus in parvum bonum sancti Bonaventure, quod alias Incendium amoris dicitur, vel regimen conscientie, vel fons vite. Evigilans vera* etc. Sequitur opusculum usque ad verba: *In illis est fons vite.* Quibus subiicitur hoc elogium: *Finit parvum bonum, vel regimen conscientie sancti Bonaventure, quod vocatur Fons vite vel Itinerarius mentis in proximum; qui quanti pretii sit, brevi stilo sufficienter explicari non potest; nam si quis seipsum cognoscere voluerit et proximo laudabiliter et meritorie convivere, hunc libellum studeat memoriter retinere et opere exercere.*

197. *Ibidem,* cod. 663. membr. plurium aetatum; opusculum hoc est pessime exaratum sub fine saec. XV. — Incipit fol. 4. titulo: *Liber fratris Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum de triplici via.* Desinit fol. 8. r. verbis: *Et hoc est Seraphim. Ad quam nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

198. *Pelplini* in Borussia, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. b. 7. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 116. v. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., decurrit usque ad fol. 120. v. et desinit verbis cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum. Quam nobis concedere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Expliciunt excerpta Boneventure de contemplatione. Deo gratias.*

199. *Ibidem,* cod. B. 254. antiquitus, nunc sine numero, chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Incipit fol. 57. r., omisso titulo, desinit fol. 62. r. verbis cap. 3. n. 7: *viget consideratio et in sequentibus affectio. Hec compilatio magistri Bonaventure dicitur parvum bonum.*

200. *Placentiae* in Insubria, bibliotheca Civitatis, cod. 77. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 20. r. habetur: *Incipit Itinerarium hominis in seipsum, compilatum a fratre Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum. Ecce, descripsi eam* etc. Explicit fol. 31. r.: *Et hoc seraphim.* Additur fragmentum ut supra n. 92: *Deus habet esse* etc. usque ad verba: *Sapere absque appetitu.* Sequitur: *Tabula super itinerario hominis in seipsum.*

201. *Pragae,* bibliotheca Universitatis in Clementino, cod. X. B. 24. chart. in fol. saec. XV. ante medietatem. — Fol. 12. r. legitur: *Hic est compendens (!) de Stimulo Bone Venture. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 15. r.: *in illis fons vite. Amen. Explicit Bone Venture optimum.*

202. *Ibidem*, cod. III. D. 17. chart. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit sine titulo fol. 29. v. et desinit fol. 31. v. verbis cap. 2. n. 9: *omnis boni et complementum.* Sequitur de gradibus pietatis, de quibus locuti sumus supra n. 119.

203. *Ibidem*, XIII. G. 5. chart. in 4. saec. XV. — Est rubrica fol. 144. v. in parte superiore: *Incipit Tractatus magistri Bona Venture de triplici actu yerarchico.* Desinit, ut editi, fol. 166. v.

204. *Ibidem*, bibliotheca Capituli Metropolitani, cod. N. LVI. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 133. v. est titulus: *Tractatus pulcher domini Bonaventure de modo contemplandi.* Desinit fol. 138. r. verbis: *in te exsulto, tibi adhereo,* quae sunt cap. 3. n. 8. Sequitur Breviloquium, de quo egimus tom. V. pag. XXXI n. 93.

205. *Ibidem*, cod. O. LXIII. chart. in 4. saec. XV. — Fol. non numerato incipit: *Ecce, descripsi eam* etc., desinit: *et dilectionem, hoc Seraphim.*

206. *Ibidem*, cod. E. XLIII. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum circa medietatem voluminis: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit: *et hoc Seraphim.* Omittitur, ut in praecedenti, titulus et nomen auctoris.

207. *Ibidem*, cod. O. LXX. chart. in 8. saec. XIV. — Fol. 54. v. praemisso superiori margine: *A Bonaventura,* incipit absolute: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 64. v.: *in sequentibus dominatur affectio* (cap. 3. n. 7.). Hinc additur: *Et sic est finis speculi anime, sive Itinerarii mentis in Deum a fratre Bonaventura.*

208. *Ratisbonae,* bibliotheca Civitatis, cod. 55. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 15. v.: *Incipit libellus fratris Bonaventure, qui dicitur Stimulus conscientie.* Desinit fol. 24. r. verbis: *tertium Seraphim. Amen.*

209. *Raygern* in Moravia, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. 406. chart. in fol. exaratus anno *MCCCC. VI.* — Hoc opusculum incipit fol. 135. v. et desinit 141. r. verbis cap. 3. n. 7: *in sequentibus dominatur affectio etc. Explicit Trivium, sive speculum anime, sive itinerarium mentis in Deum, editum a fratre Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum.*

210. *Ibidem*, cod. 497. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 64. v. est titulus: *Incipit tractatus domini Bonaventure subtilis et pulcher de triplici via, que ducit ad veram sapientiam.* Desinit fol. 70. v.: *et hoc Seraphim.* Deinde additur: *Explicit tractatulus utilissimus dictus Ternarius Bonaventure, alias processus ad summum gradum. Item de profectu vite religiose, et sub pluribus aliis titulis invenitur allegatus.*

211. *Regimontii* in Borussia, bibliotheca Regia, cod. theol. in fol. 1070, de quo egimus tom. V. pag. XXIV n. 179. — Post opus Breviloquii fol. 213. r. sequitur ex Incendio amoris cap. 2. n. 11. desinit ad finem eiusdem numeri verbis: *cum profectus eius inducat perfectionem omnium bonorum. Quem nobis prestet qui vivit et regnat.*

212. *Ibidem*, cod. 1301. chart. in fol. saec. XV. — Folio non numerato incipit opusculum a cap. 1. n. 1. sub titulo: *Viarium Boneventure ad veram sapientiam. Triplex est via, per quam* etc. Desinit c. 3. n. 8. per verba: *a te nunquam separabor. Amen.*

213. *Ibidem*, cod. 1350. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 89. v. est titulus sic expressus: *Incipit liber parvus bonus Bonaventure.* Desinit fol. 107. v.: *quoniam in illis fons vite.*

214. *Ibidem*, cod. 1349. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 141. legitur: *Trivium Boneventure. Cum omnis scientia gerat Trinitatis insigne* etc. Desinit fol. 151. verbis: *et osculum et amplexum, quo nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen* (cap. 3. n. 7.).

215. *Ibidem*, cod. 1359. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. r. non numerato alia manus eiusdem aevi exaravit: *Ex Ternario Boneventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit in cap. 2. n. 11. verbis: *inducat perfectionem omnium bonorum, quod nobis concedere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit hoc Opusculum, quod summe vere doctrine constat habere.*

216. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 1041. miscell. in fol. saec. XV, ut notavimus tom. V. pag. XXXI n. 97. — Hoc opusculum incipit parte prima voluminis et prosequitur, ut in editis, usque ad verba: *In ea est fons vite. Explicit.*

217. *Ibidem*, cod. 7690. chart. saec. XV. — Opusculum incipit post alia multa fol. 264. r. sine ullo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit sine alia indicatione fol. 272. r. verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Ad quos nos perducat qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.* Opusculo praemittitur haec memoria: *Ego A. scripsi, dum essem medicus in Urbe veteri 1475, die 10 Iunii in vesperis.*

218. *Ibidem*, cod. 7708. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 99. r. est rubrica: *Incipit Ternarius Bonaventure. Cum omnis scientia* etc. Fol. 113. r. est finis: *Tertium ad oscula geminanda. Deo gratias.* Haec ultima verba sunt addita opusculo (vide pag. 16, notam 9.).

219. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. A. V. 43, de quo egimus tom. V. pag. XXX n. 192. — Post alia opera est rubrica: *Incipit libellus quantum ad triplicem viam, per quam pervenitur ad veram sapientiam, a fratre Bonaventura Ordinis Minorum editus.* Desinit verbis: *Et hoc Seraphim. Explicit.*

220. *Ibidem*, bibliotheca Principum Barberinorum, cod. XLIV. 2. membr. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit post aliud et prosequitur ut in editis. Pro titulo praemittitur: *Speculatio fratris Bonaventure.*

221. *Ibidem*, cod. XI. 53. iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 99. — Incipit fol. 1. r. sub titulo: *De triplici via Bonaventure*, et prosequitur cum editis usque ad verba: *Et hoc Seraphim.*

222. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Isidori, cod. num. 133. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 25. r. et desinit fol. 33. r. per verba: *Et hoc est Seraphim. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.*

223. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii S. Petri Ord. S. Benedicti, cod. A. V. 25. membr. saec. XIV. — Post medium voluminis fol. non numerato r. habetur: *Tractatus Bonaventure de tribus punctis.* Desinit verbis: *nec tamen liberamur omnino* (cfr. pag. 19, nota 2.).

224. *Ibidem*, in archivo eiusdem Monasterii, cod. B. I. 31. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 13. r. opusculo praemittitur tantum: *Bonaventura,* hinc sequitur: *Cum omnis scientia gerat* etc. usque ad fol. 22. v. verbis cap. 2. n. 11: *perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prestare dignetur qui vivit et regnat etc. Hec Bonaventura.*

225. *Sancti Floriani* in Austria, bibliotheca Canonicorum Regularium, cod. XI. 163. miscell. in 8. saec. XIV exeuntis et XV. ineuntis. — Incipit opusculum fol. 356. r. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 367: *et hoc Seraphim.* Inde sequitur: *Explicit Itinerarium in seipsum per dominum Bonaventuram cardinalem.*

226. *Ibidem,* cod. XI. 96. chart. in fol. saec. XV. ineuntis, de quo iam sermo est tom. V. pag. XXXII n. 103. — Opusculum incipit fol. 167. sine rubrica et desinit fol. 179. r. cum additione, ut in praecedente.

227. *Ibidem,* cod. XI. 160. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r. superponitur: *Incipit tractatus de exercitio beate vite*, manus saeculi posterioris addidit: *Beati Thome de Aquino.* Desinit fol. 10. r. in cap. 3. n. 7. verbis: *osculum et amplexum. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.* Vide quae de hoc codice praefati sumus tom. V. pag. XXXV n. 29.

228. *Sancti Galli* in Helvetia, bibliotheca Monasterii, cod. 946. chart. in 4. saec. XIV. — Pag. 10. prima manus exaravit: *Tractatus Boneventure de contemplatione.* Sequitur opusculum, quod desinit pag. 25. in cap. 3. n. 7. ad verba: *Osculum et amplexum. Ad quod nos perducat Iesus xtus qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen. Explicit.*

229. *Ibidem,* cod. 988. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit pag. 138: *Ecce, descripsi eam* etc., desinit pag. 142. verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum etc. Explicit libellus, qui intitulatur parvum bonum fratris Bonaventure, vel speculatio anime in deserto, scriptum per me Mathiam Bürer de Lindow, tunc temporis adiutorem in Rauenspurg, anno 1467.*

230. *Ibidem,* cod. 972. chart. in 4. saec. XV. — In indiculo codicis est titulus huius opusculi his verbis expressus: *Item Bonaventura de triplici via profectus spiritualis.* Opusculum incipit pag. 139. et desinit 160: *Et hoc seraphim.*

231. *Sancti Trudonis* in Belgio, bibliotheca patrum Ord. Minorum Recollect., cod. iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 106. — Opusculum incipit pag. 36. sub titulo: *Parvum Bonum,* et decurrit usque ad pag. 73: *In his est fons vite. Ad quam nos perducat qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Explicit libellus de triplici via Bonaventure, qui intitulatur parvum bonum, sed merito vocaretur vel intitularetur maximum bonum. G. Scots scripsi.*

232. *Seitenstetten* in Austria, bibliotheca Monasterii patrum Ord. S. Benedicti, cod. CXCI, quem iam descripsimus tom. I. pag. LXV n. 5. — Opusculum hoc recurrit fol. non numerato: *Incipit Bonaventura Stimulus consciencie, vel secundum alium tytulum: Tractatus graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam. Ecce, descripsi tibi eam* etc. Desinit verbis: *Sapere absque appetitu.* (Cfr. supra n. 92.). *Explicit.*

233. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. U. V. 5. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittitur haec rubrica: *Incipit Itinerarium mentis in seipsam compositum per venerandum Bonaventuram de Bagnoregio Ordinis Minorum professorem.* Additur tractatus de Pietate, de quo supra n. 119. locuti sumus.

234. *Stronconii* in Umbria, bibliotheca Conventus Fratrum Minorum, cod. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit sine nomine auctoris et desinit in cap. 2. n. 11. verbis: *inducat ad perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prestet qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit Itinerarium fratris Bonaventure.* Hinc prosequitur capitulum tertium usque ad verba: *Voluit de nihilo plena virtutibus facere cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

235. *Ibidem,* cod. chart. saec. XV. — Incipit ut praecedens et desinit cum ipso verbis cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum* etc. Post *Amen* additur: *Explicit Itinerarium mentis secundum Bonaventuram.*

236. *Stutgardiae,* bibliotheca Publica, cod. theol. 240. in 8. saec. XV. — Legitur fol. 1. r.: *Bonaventura, nota bene.* Opusculum incipit a cap. 1. n. 2: *Si vis purgari converte te* etc. et desinit verbis: *Ad internam letitiam. Explicit de triplici via purgationis Bonaventure.*

237. *Ibidem,* cod. philos. et theol. in 4. chart. saec. XV. — Occurrit hoc opusculum fol. 288. r. sub titulo: *Tractatus domini Bone venture de stimulo conscientie.* Desinit fol. 297. r.: *In illis est fons vite,* sine ullo additamento.

238. *Ibidem,* bibliotheca Regis privata, cod. 5. chart. saec. XV. — Fol. 84. r. est rubrica: *De triplici via. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 93. v., ut in editis, sed alia alterius auctoris adnectuntur opusculo.

239. *Suessionibus* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 121. miscell. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r. praemittitur opusculo: *Incipit liber de triplici via perveniendi ad sapientiam fratris Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum, qui alio nomine vocatur trinarium.* Desinit fol. 12. v.: *Et hec Seraphim. Explicit* etc., ut in initio.

240. *Ibidem,* cod. 113. chart. in 8. saec. XV. — Rubrica huius opusculi est expressa folio r. sine numero: *Incipit liber de triplici via a domino Bonaventura eleganti stilo compositus. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit ut praecedens.

241. *Ibidem,* cod. 118. iam descriptus tom. V. pag. XXXII n. 109. — Fol. 18. r. sub titulo: *Incipit tractatus de conscientia regenda.* Desinit fol. 26. v.: *Dilectionem, hoc Seraphim.* Nihil aliud additur.

242. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 47. int. S. E. miscell. in fol. saec. XV. — Huius opusculi initium habetur fol. 162. r. sub rubrica: *Incipit tractatus parvus;* alia manus addidit: *Sive parvum bonum dictus de stimulo conscientie, compilatus a fratre Bonaventura Minorum Ordinis.* Finis est fol. 167. r. verbis: *In ipsis est fons vite ad creaturam. Explicit parvum bonum Bonaventure de stimulo conscientie.*

243. *Ibidem,* cod. 108. int. S. E., de quo locuti sumus tom. VII. pag. XV n. 10. — Fol. 1. r.: *Incipit parvum bonum, vel regimen conscientie sancti Bonaventure, quod vocatur: fons vite.* Eadem repetuntur in fine fol. 23. r. per verba: *In illis est fons vite.*

244. *Ibidem,* cod. 246. chart. saec. XV. post medietatem. — Opus incipit sub nomine Bonaventurae et titulo: *Parvum bonum.* Desinit: *In illis est fons vite. Ad quem nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Explicit parvum bonum, quod etiam dicitur speculum, sive Itinerarium, valde devotum et multum utile ad purgandam conscientiam, compositum a venerabili patre Iohanne, cognomento Bonaventura, cardinali Ecclesie Romane de Ordine Fratrum Minorum.*

245. *Ibidem,* cod. 290. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 119. v. legitur: *Incipit meditatio, seu liber Bonaventure fratris*

Ordinis sancti Francisci, de triplici via, que dicitur parvum bonum. Ecce, descripsi eam etc. Desinit fol. 132. r.: *In his est fons vite. Ad quam perducat nos Dominus noster dulcissimus Iesus xtus, cui laus honor et gratiarum actio usque in eternum. Amen. Explicit quidam tractatus, qui dicitur parvum bonum magistri Bonaventure perbrevis et multum utilis circa meditationem, orationem et contemplationem.*

246. *Trecis* (Troyes) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 1267. miscell. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. non numerato r. sine titulo et prosequitur, ut in editis; fini subiicitur: *Explicit parvum bonum fratris Bonaventure de Ordine Minorum.*

247. *Ibidem*, cod. 1891. membr. in 8. miscell. saec. XIII. — Opusculum incipit fol. 149. praemissa rubrica: *Libellus Bonaventure de triplici via. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 166. v.: *In illis est fons vite.*

248. *Tubingae*, bibliotheca Universitatis, cod. (olim bibliothecae Erlangensis signatus 55.) nunc numero vacat, chart. in folio. — Opusculum hoc est fol. 37. r. cum titulo: *Stimulus conscientie fratris Bonaventure.* Finis est fol. 41. r. ad verba: *Hoc Seraphim. Amen.* Cui adnectuntur haec alia: *In hoc finitur stimulus conscientie ipsius Bonaventure in profesto Lucie anno 1466. per me Petrum May in Oberesslingen presbiterum.*

249. *Turonibus* (Tours) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 519. de quo locuti sumus tom. V. pag. XXXII n. 121. — Hoc opusculum incipit sine titulo fol. 38. r. et desinit fol. 46. v.: *In his est fons vite. Ad quam nos perducat* etc. *Amen. Deo gratias. Explicit.* Titulus et nomen auctoris omittuntur.

250. *Ibidem*, cod. 405. chart. in 4. saec. XV. — Folio 172. in superiore parte legitur: *Incipit de regimine conscientie a fratre Bonaventura.* Desinit fol. 184. r.: *In illis est fons vite.* Hinc immediate: *Scriptus est iste liber per Nicolaum Gomaud die IIII. Ianuarii 1404. incipiendo annum a Ianuario.*

251. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, class. VII. cod. 5. membr. saec. XVI. — Est rubrica opusculi fol. 5. r.: *Itinerarium in seipsum Bonaventure incipit.* Continuatur usque ad verba cap. 3. n. 7. fol. 23. v.: *Quousque perveniatur ad osculum et copulam et amplexum. Ad quam nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Finis.*

252. *Ibidem*, class. VII. cod. 19. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 49. v.: *Incipit Trinarius beati Bonaventure cardinalis. Ecce, eam descripsi* etc. Desinit fol. 56. v. cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnium bonorum. Quam nobis prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Deo gratias. Amen.*

253. *Ibidem*, class. IV. cod. 182. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum est fol. 64. v. titulatum: *Itinerarium in seipsam Bonaventure incipit.* Desinit fol. 79. v. in cap. 3. n. 7: *Ad osculum, copulam et amplexum. Ad quam nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

254. *Ibidem*, bibliotheca Musaei Correr, cod. Cicogna 2279. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 82. v. sub rubrica: *Trinarium Bonaventure de vita contemplativa incipit.* Explicit fol. 92. v. verbis: *Et hec est Seraphim. Ad quam nos perducere dignetur qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Finit liber de triplici via spirituali qui vocatur Trinarium, compilatus per beatum Bonaventuram cardinalem Ordinis Fratrum Minorum.*

255. *Vici* (Vich) in Hispania, bibliotheca Capituli, cod. XCIV, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXV n. 211. — Fol. 3. r.: *Incipit libellus quantum ad triplicem viam, per quam venitur ad summam sapientiam, a fratre Bonaventura Ordinis Minorum generali Ministro compositus.* Desinit fol. 10. v.: *Et hoc Seraphim.*

256. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1650. membr. in fol. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit fol. 16. sub rubrica: *Incipit Ternarius.* Additur fragmentum: *Deus est esse* etc. usque ad verba: *sapere absque appetitu;* quibus subiicitur: *Finitus est Ternarius.*

257. *Ibidem*, cod. 3711. chart. saec. XV. — Fol. 214. r.: *Incipit Speculum sive Itinerarium mentis in Deum Boneventure. Ecce, descripsi eam tibi tripliciter, ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis.* Desinit fol. 219. v. verbis: *in sequentibus dominatur affectio. Amen. Iesu xte nostri nunc miserere.* Post *Explicit* repetit titulum ut in principio.

258. *Ibidem*, cod. 4031. chart. in 4. — Opusculum incipit fol. 88. v. et desinit fol. 95. v. verbis: *et osculum et amplexum, ad quod perducat nos Iesus xtus Filius Dei benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus bonus et pulcher trium graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam, editus a domino Bonaventura, in vigilia Annunciationis beate virginis Marie. 1452.*

259. *Ibidem*, cod. 4670, chart. in 4. saec. XV. — Fol. 134. r. legitur: *Incipit Compendium compendiorum totius beatitudinis. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit folio 145. r.: *et hoc Seraphim.*

260. *Ibidem*, cod. 1723. membr. in 8. saec. XIV. — Incipit opusculum sine ullo titulo fol. 106. r.: *Ecce, descripsi eam* etc. et deficit fol. 109. v. verbis cap. 2. n. 3: *Imploratio misericordie.*

261. *Ibidem*, cod. 1602. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 140. v. praemittitur rubrica: *Incipit Bonaventura stimulus conscientie, vel secundum alium titulum: Tractatus graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam.* Desinit fol. 146. r. verbis fragmenti additi: *Sapere absque appetitu.* Deinde repetitur titulus ut in initio.

262. *Ibidem*, cod. 2511. iam descriptus tom. V. pag. XXXIII n. 128. — Fol. 128. r. opusculo praemittitur: *Tractatus graduum, quibus ad veram sapientiam pervenitur. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 133. v. ad verba cap. 3. n. 7: *Et osculum et amplexum. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat.*

263. *Ibidem*, cod. 3859. chart. in 8. saec. XV. post medium. — Praemittitur fol. 144. r. tantum: *Tractatus bonus.* Hinc: *Cum omnis scientia gerat* etc. Desinit fol. 150. r. verbis cap. 2. n. 12: *Que est utriusque principium. Explicit.*

264. *Ibidem*, cod. 3986. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 309. r. est opusculi titulus sub hac forma: *Incipit liber de Bonaventura. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 317. v. verbis additi fragmenti: *Sapere absque appetitu.*

265. *Ibidem*, cod. 4240. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Est rubrica fol. 80. r.: *Sermo Bone venture de anime discussione secundum formam meditationis, orationis et contemplationis, ut perveniat ad veram sapientiam sacre Scripture, ad meritum vite felicitatis eterne secundum triplicem actum ierarchicum, scilicet purgativum, illuminativum et perfectivum. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit ut in editis fol. 83. r.

266. *Ibidem*, cod. 4502. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 207. v.: *Incipit tractatus Bonaventure de triplici via. Cum omnis scientia gerat* etc. Desinit fol. 226. v.: *in his est fons vite. Ad quem nos perducat qui vivit et regnat etc. Explicit.*

267. *Ibidem*, bibliotheca Monasterii sanctae Crucis Ordinis Cisterciensium, cod. 290. iam notatus tom. V. pag. XXXIII n. 130. — Fol. 138. v. praemittitur opusculo: *Libellus domini Bonaventure de lectione, oracione et meditacione.* Desinit fol. 148. v.: *Sapere absque appetitu.* Hinc: *Explicit tractatus domini Bonaventure de meditacione, oracione et contemplacione.*

268. *Ibidem*, cod. 4714. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 141. r. praemisso tantum: *Bonaventura;* sequitur: *Ecce, descripsi tibi eam* etc. ut in editis.

269. *Ibidem*, cod. 5086, iam descriptus tom. V. pag. XXXV n. 32. — Opusculum incipit. fol. 71. r. sine titulo et desinit fol. 76. r. in cap. 2. n. 12. verbis: *interponit misericordiam, que est utriusque principium.* In fine codicis notatur: *Anno Domini 1441.*

270. *Ibidem*, bibliotheca privata Imperatoris, cod. 7906. miscell. saec. XV. — Fol. 114. r.: *Incipit parvum bonum fratris Bonaventure.* Desinit fol. 134. v.: *In his est fons vite. Ad quam etc. Amen. Explicit parvum bonum Bonaventure.*

271. *Voravii* (Vorau) in Styria, bibliotheca Canonicae, cod. CLXXXIII, quem notavimus tom. V. pag. XXXV n. 33. — Opusculum incipit sub titulo: *Itinerarium Bonaventure;* desinit verbis cap. 2. n. 12: *que est utriusque principium.*

272. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. 613. Helm. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 23. r. est rubrica: *Incipit de triplici statu bonorum incipientium, proficientium et perfectorum. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit folio 30. v.: *et hoc Seraphim. Amen.*

273. *Ibidem*, cod. 550. iam descriptus tom. V. pag. XV n. 12. — Fol. 371. r.: *Incipit ternarius seu maleus Bonaventure.* Desinit folio 378. r. fragmento: *Deus est esse* etc., *sapere absque appetitu;* cui additur ab ipso librario: *Hoc per manus fr. Iohannis Rümeland pro tunc Custodis Custodie Magdeburgi. Anno Domini 1457.*

274. *Ibidem*, cod. 900. chart. in 4. saec. XV. — Fol. XV. r. praemittitur operi: *Incipit libellus editus a fratre Bonaventura appellatus Regimen conscientie.* Desinit fol. XXVI. v. in cap. 3. n. 7. verbis: *in sequentibus dominatur affectio. Benedictus sit Iesus et pia Mater eius.*

275. *Ibidem*, cod. 81. 2. August. membr. saec. XV. — Fol. 39. v. est sequens rubrica: *Opusculum fratris Bonaventure de conscientia regenda.* Desinit fol. 55. v. verbis cap. 3. n. 7: *et osculum et amplexum. Quo nos perducat qui vi...* et nihil aliud.

276. *Ibidem*, cod. 1310. Helm. chart. in 12. saec. XV. — Incipit et desinit ut in editis, sine ullo titulo et nomine auctoris.

277. *Ibidem*, cod. 1167. membr. in 4. saec. XIV. ante medietatem. — Incipit. fol. 8. ante ultimum non numerato a cap. 1. n. 1: *Sciendum, quod triplex est intellectus.* Desinit cap. 3. n. 7. ad verba: *et osculum et amplexum. Quo nos perducat Iesus xtus Filius Dei crucifixus, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

278. *Ibidem*, cod. 17. 18. August. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 251. r. et desinit 265. r. verbis: *et hoc Seraphim. Explicit Itinerarium mentis in seipsam editum per dominum Bonaventuram cardinalem.*

279. *Ibidem*, cod. 783. Helm. chart. saec. XV. — Opusculo praemittitur rubrica: *Incipit libellus.* Desinit verbis cap. 3. n. 7: *in sequentibus dominatur affectio.* Additur: *Explicit Trivium a Bonaventura editum.*

280. *Ibidem*, cod. 122. Helm. cod. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 329. r. et desinit 337. v.: *in his est fons vite. Ad quam nos perducere dignetur misericors Deus. Amen.* Omittitur titulus operis et nomen auctoris.

281. *Ibidem*, cod. 272. Helm. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 125. v. post alia opera legitur: *Sequitur parvum bonum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 132. r. iisdem verbis, quibus praecedens.

282. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. class. I. in fol. 226. chart. — Fol. 117. r. operi praemittitur: *Incipit Stimulus conscientie sive tractatus graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam, Bonaventure.* Desinit fol. 120. verbis: *et hoc Seraphim etc. Pro quo sit benedictus Deus in seculorum secula. Amen. Explicit Stimulus conscientie, qui et tractatus graduum, quibus pervenitur ad veram sapientiam, Bonaventure, anno Domini MCCCCLXVIII.*

283. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 245. chart. exaratus anno *MCCCLXXXVII.* — Fol. 175. v. legitur: *Hic incipit Viaticum sive speculum anime ad Deum Bonaventure. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 183. v. in 3. cap. n. 8: *a te nunquam separabor. Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.*

284. *Ibidem*, cod. I. class. 272[a]. chart. in fol. exaratus anno 1471. — Opusculum incipit fol. 1. r. sine ullo titulo, desinit fol. 12. r. verbis: *Et hoc est Seraphim. Ad que nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in Trinitate perfecta, vivit et regnat in secula seculorum benedictus. Amen. Explicit Ternarius reverendi patris et doctoris Bonaventure cardinalis, quo interior homo per exercitium pervenit ad veram scientiam et sapientiam.*

285. *Ibidem*, cod. I. class. 275. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 243. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de triplici statu, via bona.* Desinit fol. 240. r., ut praecedens, sed additur fini: *Explicit tractatus Bonaventure de triplici via multum utilis.*

286. *Ibidem*, cod. II. class. 12. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 90. r. sine titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 94: *et hoc Seraphim.* Additur: *Deus est esse absque* etc. et in fine: *Explicit Stimulus conscientie per manus Nicolai Zoranie.*

287. *Ibidem*, cod. I. class. 217. chart. in fol. saec. XV, quem notavimus tom. V. pag. XLVI col. 1. n. 8. — Opusculum incipit fol. 303. r. et desinit fol. 310: *et hoc Seraphim.* Sequitur fragmentum: *Deus est esse* etc. usque ad verba: *Quod ipse prestare dignetur.* In fine subiicitur: *Explicit liber de conscientia regenda.*

288. *Ibidem*, cod. IV. class. 100. chart. saec. XIV. exeuntis. — Opus Bonaventurae incipit fol. 127. v.: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 131. v. in cap. 3. n. 7. verbis: *quousque perveniatur ad copulam, ad osculum, ad amplexionem. Amen. Explicit Speculum anime Bonaventure.*

289. *Ibidem*, cod. I. class. 107. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 2. r. omisso titulo: *Ecce, descripsi eam* etc., prosequitur per modum schematis usque ad folium 12. v. et verba: *Hoc Seraphim.* Hinc sine ullo medio additur: *Deus habet esse absque entitate* etc., ut iam notavimus in cod. n. 92. et aliis.

.290. *Ibidem*, cod. I. class. 102. membr. in 4. saec. XIV. ante medietatem. — Hoc opus est fol. 120. r. sub sequenti titulo: *Incipit trivium anime, vel speculum anime, sive itinerarium mentis in Deum editum a Bona ventura Fratre Minore. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit in cap. 3. n. 7. verbis: *In sequentibus dominatur affectio. Explicit.*

291. *Ibidem*, cod. I. class. 106. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 2. praemittitur opusculo eadem rubrica ut in praecedenti, cum quo cod. etiam desinit fol. 10. r.: *In sequentibus dominatur affectio.* Hinc: *Explicit trivium anime editum a Bonaventura Fratre Minore. Deus sit nobiscum.*

292. *Ibidem*, cod. I. class. 43. in 8. — Fol. 41. r. praemittitur opusculo haec memoria: *Notandum, quod Bernardus Richardus Heclsberg, Canonicus Ecclesie Warmiensis fecit hunc librum scribere sub anno incarnationis Domini nostri Iesu xli MCCCCXXXVII, et completus est in Frauhenburgh per manus Cristiani Blumenroth.* Deinde eodem fol. v.: *Incipit speculum conscientie sive trivium Bonaventure cardinalis de exercitio interioris hominis, quo pervenitur ad veram scientiam et sapientiam. Cum omnis scientia* etc., omisso textu Scripturae. Desinit folio 46. v. verbis cap. 2. n. 11: *inducat perfectionem omnis meriti et primi* (premii?) *complementum.*

293. *Ibidem*, cod. IV. class. 103. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 275. r. sine titulo, desinit 289. v. verbis: *Et hoc Seraphim. Ad que nos perducere dignetur Deus gloriosus, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit ternarius reverendi patris et doctoris Bonaventure cardinalis, quo interior homo per exercitium venit ad veram scientiam et sapientiam.*

294. *Ibidem*, cod. IV. class. 81. chart. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 113. v. sub hac rubrica: *Incipit tractatus Baneventure doctoris sagacis et devoti.* Desinit fol. 120. v.: *In illis est fons vite.* Sequitur: *Deus est esse* etc. usque ad verba: *Sapere absque appetitu* etc., *et sic est finis.*

295. *Ibidem*, cod. I. class. 279. chart. in fol. saec. XV. — Post alia fol. 263. habetur sequens rubrica: *Sequitur eiusdem doctoris* (Bonaventurae) *ternarius de exercitio interioris hominis, quo pervenitur ad veram sapientiam et scientiam, vel secundum alios, stimulus conscientie et amoris appellatur.* Sequitur opusculum usque ad cap. 3. n. 7: *In sequentibus dominatur affectio.* Hinc additur: *Finit feliciter ternarius de exercitio interioris hominis, qua pervenitur ad veram sapientiam et scientiam, domini Bonaventure cardinalis, alias stimulus conscientie et amoris.*

296. *Ibidem*, cod. I. class. 129. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 231. v. praefertur rubrica: *Speculum, seu trivium anime, vel itinerarium mentis in Deum, editum a Bonaventura. Ecce, descripsi eam* etc. Desinit fol. 240. r. per verba: *In sequentibus dominatur affectio;* quae occurrunt cap. 3. n. 7. Additur: *Explicit expliciat, ludere scriptor eat.*

297. *Ibidem*, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. D. III. I. chart. in 4. — Incipit opusculum eodem titulo, quo praecedens, folio 125. r. et cum eodem desinit cap. 3. n. 7. fol. 134. v. Hinc additur: *Explicit Bonaventura. Finitus feria quinta in festa sancte Agnetis anno Domini millesimo quadragentesimo vicesimo tertio. Phalabagu Stassahz.*

298. *Ibidem*, cod. A. VI. XX. membr. in fol. saec. XIV. circa medietatem. — Post alia opera fol. non numerato r. habetur: *Incipit speculum anime, editum a fratre Bonaventura de Ordine Minorum.* Desinit cap. 3. n. 11. verbis: *Ad copulam, ad osculum, ad amplexum. Amen. Explicit speculum anime.*

299. *Zwettel* in Austria, bibliotheca Monasterii Ord. Cisterciensium, cod. 115. membr. in 4. saec. XIV. — Post medietatem voluminis fol. r. non numerato incipit absque ullo titulo: *Ecce, descripsi eam* etc. Desinit verbis cap. 3. n. 7: *Et in sequentibus dominatur affectio. Finita libro, sit laus et gloria Xto. Amen.*

§ 2. **Opusculum II**, sive **Soliloquium.**

a. Hoc eodem quo Breviloquium textu incipit: *Flecto genua mea* etc., et est compilatum « per modum cuiusdam *dialogi*, in quo *anima* devota, veritatis aeternae discipula, meditando *interrogat*, et *homo* interior mentaliter loquendo *respondet* » (ita infra in prologo, n. 4.). Auctor imitatur in hoc libello Hugonem a S. Victore, qui etiam per modum dialogi scripsit simile *Soliloquium*, ex quo Bonav. plura desumsit (vide infra pag. 29, notam 6.). Genuinum et S. Bonaventura dignum foetum esse hoc opusculum, cum Oudino omnes confitentur, et accedente tot codicum auctoritate, inutile est plura de hoc inquirere.

b. Varie hoc opusculum inscribitur in codicibus infra notatis: modo *Imago vitae*, modo *Libellus de quatuor exercitiis*, modo *Meditationes*, sed communius *Soliloquium*. Praeterea notandum est, codicem bibliothecae Ducalis Wolfenbutae (cod. Helmst. 1128.) infra n. 245 notatum continere alium non genuinum prologum valde prolixum, qui materiam libelli per modum schematis exhibet, cum quo quidam cod. bibliothecae Berolinensis infra sub n. 20. a nobis notatus ex parte convenit. Initium primi prologi et finem transcribimus aliquatenus correctum. « Incipit prologus Bonaventurae de quatuor exercitiis hominis et animae. Haec est materia totius huius libri. Primo ponit auctor auctoritates Sanctorum [sic], ut Pauli et huiusmodi, postmodum originalia Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii et aliorum, ita quod quandoque Sancti, ut Augustinus et ceteri, *praeponuntur et postponuntur quandoque originalibus suis; unde de hoc sis cautus.* Et nota, quod liber iste est *dialogus*, id est sermo duorum ad invicem, videlicet animae interrogantis et hominis respondentis cum auctoritatibus Sanctorum pulcherrimis. Materia autem huius sunt... mentalis exercitationis *ortus*, *obiectum quo* [quod?], *fructus*. Mentalis exercitationis *ortus* est a Patris *potentia confortante*, a Filii *sapientia regulante*, a Spiritus sancti *clementia consolante*, a quibus omne bonum originaliter progreditur, per quos omne bonum exemplariter producitur, ad quos omne bonum finaliter reducitur. Eloquia Dei dilecta, consilia Dei suavia, mandata Dei levia.

Mentalis exercitationis obiecta sunt:

interiora, per quae Deus diligitur,
exteriora, per quae mundus despicitur,
inferiora, ad quae anima demergitur,
superiora, quibus anima remuneratur.

Interiora autem sunt, ut anima videat,

quam { generose sit facta per naturam,
vitiose sit deformata per culpam,
gratiose sit reformata per gratiam ».

Simili modo tota libelli materia proponitur. — In fine legitur: « Haec est igitur *crux beata*, quatuor finibus obiectorum terminata, in qua, anima devota, cum dilectissimo sponso tuo meditando iugiter debes pendere. Hic est *currus* ille *igneus*, quatuor rotis consummatus, in quo debes post amicum tuum fidelissimum assidue contemplando ad caeli palatium conscendere. Haec est illa *quadruplex regio:* orientalis, occidentalis, aquilonis, meridionalis, quam quotidie peragrando debes intrare et tuum dilectum specialissimum in ea speculando quaerere, ut dicere possis cum sponsa: *In lectulo meo per noctem quaesivi, quem diligit anima mea* [Cant. 3, 1.]. Haec quatuor tangit Apostolus, cum dicit: *Ut possitis comprehendere, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum,* quod nobis concedat Trinitas beata. Amen. Explicit prologus. Incipiunt quatuor exercitia per Bonaventuram compilata per modum dialogi animae et hominis ». In aliis etiam codicibus invenitur in principio quoddam summarium distinctionum huius opusculi, ut ex elencho codicum infra posito patet.

c. Recte monetur in isto prologo, ut lector cautus sit, quia nomen auctoris allegatis locis modo *praeponatur*, modo *postponatur*. Qua observatione neglecta, accidit, ut tum in codicibus tum in editionibus confusio magna in citandis locis introducta sit. — Recte etiam aliam animadversionem facit cod. bibliothecae *S. Floriani*, cod. 917. (vide infra n. 203. nostrae codicum recensionis), quod scilicet in non paucis codicibus factae sunt insertiones aliarum auctoritatum. Dicit enim: « Tamen in praedictis alicubi aliqua devota interseruntur et interponuntur ad maiorem devotionis excitationem et ob gratiae maioris infusionem ». Cum attente textum editionis Vaticanae scrutati sumus, iam vidimus, hinc inde vestigia apparere insertionum posteriorum sive, ut dicunt, *interpolationum.* Confirmatum hoc fuit codicum auctoritate, cum antiquiores et probatiores eorum has insertiones omittant. Hinc codices principaliter distinguuntur in duas familias, secundum quod vel cum Vaticana, licet non semper, conveniunt in dictis insertionibus, vel eisdem carent. Etiam antiquior qua usi sumus editio 1 saepe confirmat meliorum codicum auctoritatem. In tanta editionum et praecipue codicum differentia non exigua difficultas nobis solvenda erat, ut textum primitivum, quantum fieri potuit, purgaremus ab istis insertionibus, quas semper ad calcem reiecimus.

Aliud vitium magnum irrepsit in textum editum et etiam in multos codices, in quibus, cum in dialogo *animae* et *hominis* anima *interroget*, homo *respondeat;* saepe partes *interrogantis* et *respondentis* perperam distributae sunt, ita ut sub titulo *Anima* legatur quod ponendum erat sub *Homo.*

Denique laborem vere improbum exegit conquisitio tot locorum raro alibi citatorum, qui in praecedentibus editionibus vel omnino non indicati erant, vel perperam.

d. Editiones plurimae Soliloquii iam saeculo XV. prodierunt. Praeter ed. 1 an. 1484, qua usi sumus, et alias, quas tom. V, Prolegomena, pag. LIII recensuimus, P. Fidelis a Fanna quoddam *incunabulum*, ut dicitur, invenit inter codices bibliothecae civitatis Camberiaci, codici 479. unitam, cuius titulus est: « In Soliloquium sive anime et hominis interioris dyalogum Boneventure incipit feliciter prologus: *Flecto genua* » etc. Porro: « Explicit prologus Bonaventure in dyalogo anime et hominis interioris. Sciendum insuper, quod tractatus iste devotus ac cuilibet Cristiano utilis et necessarius, antequam divideretur per partes, erat nonnullis aliqualiter insipidus tanquam panis integer ac solidus. Ad maiorem ergo ipsius declarationem et dulciorem eius saporem postea divisus fuerat in quatuor partes, deinde secundum singulas materias factus est in varias pecias tanquam in dulces micas pro incipientibus et parvulis Cristi devotis. Nam, secundum Gregorium, ‚unguenta cremata lacius redolent, et aromata, cum incenduntur, fragrantiam suam expandunt' ». Desinit: « Tractatus S. Bonaventure Doctoris seraphici... de quatuor exercitiis per modum dyalogi » etc.

Denique in bibliotheca civitatis Friburgi (Helvetiae) in quadam antiqua plurium operum S. Bonaventurae, Hugonis et Innocentii III. editione habetur *Vita Christi* Bonaventurae tributa, deinde opuscula *Soliloquium* et *Praeparatio* ad Missam. Post *Vitam Christi,* ut videtur, in Germania inferiori impressam sequitur ab alia officina editum *Soliloquium* cum verbis: « Incipit dyalogus St. Bonaventure C., in quo anima devota meditando interrogat, et homo mentaliter respondet. *Flecto genua* etc. Desinit ita: « Dyalogus S. Bonaventure Cardinalis finit feliciter impressumque (sic) Parisius an. Dni M°CCCC° (sic) vicesimo tertio mensis Octobris ». Postea sequitur: « *Tractatus* brevis Dni Bonaventure de modo se praeparandi ad celebrandam Missam: Ad honorem » etc., ut in editis, sed sine prologo. Sequitur ultimo loco *Oratio devota de eucharistia: Ave, vivens hostia* etc., quae tribuitur Fr. Ioanni Pecchamo.

De utilitate libelli vide pag. XXXII cod. n. 120.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis, cod. I. V. 10. chartaceus in folio saeculi XIV. — Folio 2. r. Soliloquii opusculo praemittitur haec rubrica: *Incipit liber, qui imago vite intitulatur, editus a beatissimo Bonaventura de Balneoregio Ordinis Minorum, doctore illuminato, qui longo tempore fuit eiusdem Ordinis generalis Minister et servus, postea episcopus cardinalis. Flecto genua mea ad Patrem* etc. *Apostolus Paulus vas* etc. Desinit fol. 46. r.: *Benedictus in secula Deus. Amen. Explicit liber dialogi anime et hominis, seu liber qui merito appellatur imago vite. Anno M. CCC. LXIII. die XVIII. Novembris scriptus fuit. Amen.* — In nostra editione signatur littera M.

2. *Augustae* Trevirorum, bibliotheca Publica, cod. 772. progress. 572. membranaceus in 8. saec. XIV. — Alia manus saeculi posterioris opusculo praemisit hunc titulum: *Imago vite, vel dialogus anime et corporis, sive tractatus de mentali exercitatione fratris Willelmi de Ordine Minorum;* alia adhuc manus adiecit; *vel sancti Bonaventure.* Deinde fol. 5. r. incipit: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 35. r.: *donec intrem in gaudium Domini mei, qui est trinus et unus. Benedictus in secula. Amen.* Sign. I.

3. *Florentiae,* bibliotheca Riccardiana, cod. CCCCLXX. chart. in 16. saec. XV. exeuntis. — Fol. 11. r.: *Incipit prologus sancti Bonaventure Ordinis Minorum et sancte Romane Ecclesie cardinalis, in quo anima devota meditando interrogat et homo interior mentaliter loquendo respondet.* Desinit fol. 67. v., ut in editis. Sign. L.

4. *Gratianopoli* (Grenoble) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 842. alias 89. 161. miscellaneus in 12. saec. XIV. — Fol.

12. r. est sequens rubrica: *Incipit imago vite edita a domino Bonaventura cardinali Ordinis Fratrum Minorum generalique Ministro.* Desinit fol. non numerato r. verbis: *cognoscent et amabunt. Qui in secula seculorum regnas. Amen. Explicit imago vite edita a domino Bonaventura.* Sequitur: *Oratio. O Deus meus cognoscam te* etc., quae clauditur verbis: *Qui est trinus et unus Deus benedictus in secula. Amen. Explicit imago vite, alias dialogus anime et hominis, in quo anima devota, veritatis eterne discipula, meditando interrogat, et homo interior mentaliter loquendo respondet. Dicatur amore Dei Ave Maria pro scriptore.* Sign. K.

5. *Magdeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 25. iam descriptus tom. V. pag. XXVII n. 2. — Soliloquium incipit fol. 2. r. sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 39. v.: *qui est trinus et unus et benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit liber, qui intitulatur imago vite sive dialogus seraphici doctoris patris Bonaventure sub anno Domini MCCCCLXXVI. in Conventu nostro Gottingensi.* Sign. G.

6. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 9625. membr. in 8. saec. XIV. — Initium Soliloquii est fol. 1. r. sub titulo: *Incipit libellus, qui intitulatur imago vite*, omisso nomine auctoris. *Flecto genua mea* etc. Finis habetur fol. 77. v.: *Qui est unus et trinus benedictus in secula. Amen.* Sign. A.

7. *Ibidem*, cod. 14767. chart. in 8. saec. XV. post medietatem. — Soliloquium incipit fol. 1. r. et desinit fol. 70. r. per verba: *Qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Finit Soliloquium sancti Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Sign. B.

8. *Ibidem*, cod. 14821. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit dialogus Boneventure inter animam et rationem, qui imogo vite eterne nuncupatur. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 67. v., ut in editis. Sign. C.

9. *Ibidem*, cod. 16440. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit sine titulo fol. 244. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 263. r., additis verbis: *Explicit liber meditacionum venerabilis doctoris cardinalis Boneventure et intitulatur: imago vite eterne.* Sign. D.

10. *Ibidem*, cod. 16512. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 103. r. praemisso in superiore margine: *Bonaventura.* Desinit fol. 143. r., ut in editione, additur in fine: *1421.* Sign. E.

11. *Ibidem*, cod. 21412. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Incipit hoc opusculum fol. 117. r. sine ulla rubrica et sic pariter desinit fol. 139. r. Sign. F.

12. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VI. D. 33. membr. in 4. saec. XV. — Post alia sequitur Soliloquium sub hac rubrica: *Incipit dialogus imaginis vite editus a seraphico doctore magistro Bonaventura, Ministro generali Fratrum Minorum, in quo anime proponenti questionem homo respondet subtiliter, ut oportet.* Desinit ut in editis, hinc additur: *Explicit pretiosissimus liber, dictus imaginis vite, scribendus litteris aureis.* Sign. H.

Duplex familia codicum distingui potest. Primam constituunt codd. A C D E F L, quos fere semper, quando conveniunt, secuti sumus. Eidem non habent additamenta, de quibus paulo ante locuti sumus. Observandum autem, codd. D E non raro adiungere quaedam verba, plerumque adiectiva addita substantivis. Cod. L interdum solus, vel cum G M quosdam S. Patrum locos interserit. — Altera familia est codicum B G H I M, qui valde conveniunt cum ed. Vaticana, habentes multas insertiones auctoritatum, praesertim cod. B, dum codd. H I M pluries addimenta Vaticanae omittunt. Codd. G M cum L specialia adiuncta interdum habent. — Denique cod. K non integre collatus est, sed tantum initia interrogationis et responsionis exscripta sunt.

II. Codices a nobis non collati.

13. *Admontis* in Austria, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. 566. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato circa finem codicis incipit hoc opusculum, praemisso tantum: *Bonaventura.* Desinit fol. ultimo r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Et sic est finis huius operis. Explicit Bonaventura de ymagine vite. Amen.*

14. *Assisii*, in Umbria, bibliotheca Communalis, cod. 221. chart. in 4. — Opusculum Soliloquii incipit fol. 1. r. hoc titulo: *Bonaventura de mentali exercitatione. Flecto genua mea* etc. *Apostolus Paulus vas eterne electionis* etc. Desinit fol. 37. v. per haec verba: *donec intrem in gaudium Domini mei, qui trinus et unus est, benedictus in secula. Amen. MCCCCXCVI. die IX. Iunii in Portunaonis.*

15. *Augustae* Vindelicorum, bibliotheca Civitatis, cod. LXVIII, de quo egimus supra, pag. XII n. 32. — Fol. 13. r.: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis Boneventure, qui intitulatur imago vite eterne, doctoris egregii.* Eadem occurrunt in fine, qui est fol. 32. r. cum additione: *Deo laus et gloria.*

16. *Avenione*, bibliotheca Civitatis, cod. 215. membr. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit dialogus sancti Bonaventure, in quo anima devota meditando interrogat, et homo mentaliter respondet.* Desinit fol. 47. r. sub hac clausula: *Explicit dyalogus Bonaventure, devotissimi cardinalis.*

17. *Bambergae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. V. 38. (1459.). chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. incipit opusculum sub titulo: *Soliloquium Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Finis est fol. 78. r. cum additione: *Explicit liber, qui intitulatur ymago vite.*

18. *Ibidem*, Q. V. 50. (2264). chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 188. r. sine ullo titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 210. v., cui ipse scriptor subiecit: *Explicit ymago vite, tractatus per reverendum magistrum dominum Bonam venturam compilatus; finitum per me Albertum Reynaldum fratrem Ordinis Predicatorum studentem theologie. Anno Domini 1427.*

19. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. VII. 14. chart. saec. XV. — Circa finem codicis, fol. v. non numerato est rubrica huius opusculi his verbis: *Incipit prologus venerabilis Bonaventure cardinalis in Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. ad verba cap. 4. n. 7: *Sanctus Deus Spiritus, qui nos tam clementer ab eternis tormentis preservavit. Plena est omnis terra gloria eius.* Cetera fuerunt avulsa.

20. *Berolini*, bibliotheca Regia, ms. lat. theol. in fol. cod. 225. chart. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 147. r., cui recens manus praemisit simpliciter: *Bonaventure est.* Desinit fol. 163. r. cum sequenti additione: *Explicit imago vite,*

qui libellus habet pretiosum thesaurum in se. Hec est materia totius libri: primo ponit auctor auctoritates Sanctorum, ut Pauli et huiusmodi, postea originalia sanctorum Augustini, Ambrosii, Ieronimi, Gregorii et aliorum, ita quod quandoque Augustinus simul et ceteri preponuntur et postponuntur quandoque originalibus suis. Unde de hoc sis cautus. Et nota, quod liber iste est dialogus, id est sermo duorum ad invicem, videlicet anime interrogatio et hominis responsio cum auctoritatibus Sanctorum pulcherrimis. Alia manus eiusdem saec. XV. subiunxit indicem sub hoc titulo: *Materia totius tractatus Bonaventure generaliter.*

21. *Ibidem*, ms. lat. theol. in fol. cod. 178. chart. saec. XV. — Fol. 117. v. praemittitur opusculo: *Ymago vite.* Desinit fol. 133. v. verbis: *Et sic finitur liber iste dialogorum, dictus ymago vite.* Alia manus eiusdem aevi adiunxit: *Editus et compositus est presens dialogus per fratrem Bonam venturam.*

22. *Ibidem*, in quart. cod. 61. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 1. r. sine ulla indicatione, sed alia manus praemiserat indicem operum, quorum primum sic indicat: *Dialogus Boneventure cardinalis Ordinis nostri, videlicet Minorum.* Desinit fol. 34. v., ut in editis.

23. *Bonnae*, bibliotheca Universitatis, cod. 325. chart. saec. XV. ante medietatem. — Opusculo huic praemittitur fol. 1. r.: *Ymago vite.* Desinit fol. 26. v. cum additione: *Explicit liber, qui intitulatur ymago vite.*

24. *Brixiae* (Brescia) in Italia, bibliotheca Quiriniana, cod. H. VI. 6. membr. in 8. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 284. sub titulo: *Seraphicus doctor Bonaventura cardinalis de quatuor mentalibus exercitiis. Flecto genua mea* etc. Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

25. *Brugis*, bibliotheca Civitatis, cod. 50. chart. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 18. v., sed non numerato. Desinit fol. 50. r. cum hac additione: *Explicit Soliloquium Bone venture, quod dicitur ymago vite. Deo laus.*

26. *Brunopoli*, bibliotheca Civitatis, cod. 105. chart. in quart. saec. XIV. exeuntis, sed hoc opusculum est exaratum saec. XV. ineunte. — Incipit fol. non numerato sine ullo titulo: *Flecto genua mea* etc., et desinit fol. penultimo v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

27. *Ibidem*, cod. 26. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittitur: *Dyalogi de contemplatione hominis et anime.* Etiam in fine additur: *Explicit dyalogus de contemplatione interioris hominis et anime;* nomen auctoris ubique tacetur.

28. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 1291-1311. chart. saec. XV. — In parte superiore fol. 3. r., sed non numerati, occurrit titulus opusculi sub hac rubrica: *Incipit prologus Bonaventure de quatuor exercitiis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula.*

29. *Ibidem*, cod. 2020-34. chart. saec. XV. — Post alia tria opuscula eadem manus scripsit: *Sequitur: Flecto genua mea, et vocatur Soliloquium sive dialogus Bone venture.* Desinit ut in editis: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit Soliloquium sive dialogus Bone venture de quatuor exercitiis.*

30. *Ibidem*, cod. 20931. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittitur: *Bona ventura de quatuor exercitiis.* Haec eadem repetuntur in fine post *Explicit*, quibus additur: *Deo laus et beate Marie.*

31. *Bulsani* in Tyroli, bibliotheca Fratrum Ord. S. Francisci, cod. X. 15. chart. in fol. saec. XV. — Ad tertiam partem voluminis fol. r. non numerato: *Incipit Dyalogus Bonaventure.* Desinit post 24. folium cum dimidio ut in editis.

32. *Camberiaci* (Chambéri) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 201. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Opusculum est fol. r. non numerato sub rubrica: *Incipit Soliloquium Bonefortune, quod dicitur ymago vite.* Desinit fol. r. cum additione: *Explicit Soliloquium seu ymago vite.*

33. *Cantabrigae*, bibliotheca Collegii s. Emmanuelis MS. 1. 2. 14. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium habetur fol. r. non numerato sub rubrica: *Meditationes ymaginis vite.* Desinit verbis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Expliciunt quatuor meditationes ymaginis vite secundum Bonaventuram.*

34. *Carpentoracti* (Carpentras) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 35. chart. in 4. saec. XV. — Post alia opera fol. non numerato est rubrica his verbis: *Incipit dialogus domini Bonaventure de anima et homine, aliter imago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

35. *Castelli Cattorum* (Cassel) in Germania, bibliotheca Publica, cod. theol. 51. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 35. r. est sequens rubrica: *Incipiunt meditationes fratris Wilhelmi Bonaventure et magistri sacre theologie, Generalis Fratrum Minorum et cardinalis Curie Romane. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 53. v., addito in margine laterali tantum: *Explicit.*

36. *Colmariae* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. sign. vacat, chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 88. r.: *Incipit tractatus de ymagine vite Dei.* Desinit fol. 102. r. verbis: *qui est trinus et unus et benedictus in secula. Amen. Explicit tractatus de ymagine vite Dei.*

37. *Coloniae*, bibliotheca Seminarii, cod. XLI. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 144. v., cui alia manus praemisit: *Soliloquium beati Bonaventure.* Desinit ut in editis fol. 177. r. verbis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit Soliloquium Boneventure doctoris devoti.*

38. *Ibidem*, cod. XLII. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r. est titulus huius opusculi his verbis expressus: *Incipit prologus Soliloquiorum Bonaventure de IIII exercitiis.* Desinit ut in editis fol. 111. v. Post alia, quae sequuntur, notatur, codicem fuisse scriptum *anno LXVIII.* scilicet 1468.

39. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis Iagellonicae, cod. 2129. BB. VII. 2. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 105. r. sine titulo, et desinit fol. 138. r. cum hac additione: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui imago vite eterne nominatur.*

40. *Ibidem*, cod. 1356. AA. III. 6. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit pag. 273. sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit ut in editis pag. 301; hinc adduntur eadem, quae in praecedenti.

41. *Ibidem*, cod. 1685. AA. IV. 5. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum sine ulla rubrica pag. 432. et decurrit usque ad verba: *qui est trinus et unus et benedictus Deus in secula seculorum. Amen. Explicit contemplatio de beatitudine eterna, illuminans intellectum et inflammans affectum,*

ut vilescant temporalia et dulcescant eterna, ad que nos perducat Iesus xtus. Amen.

42. *Ibidem*, cod. (deest num.) DD. XIX. 3. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittitur: *Ymago eterne vite.* Desinit fol. 30. v. cum additione: *Explicit liber meditationum* etc., ut in praecedentibus codicibus.

43. *Ibidem*, cod. (deest num.) AA. XI. 40. chart. in 4. saec. XIV. — Alia manus, sed coaeva, pag. 286 Soliloquio praemisit hanc rubricam: *Incipit pulcra contemplacio fratris Boneventure. Flecto genua mea* etc. Desinit pag. 354. Hinc: *Explicit liber meditationum sive* etc. ut supra, n. 39.

44. *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 179. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 135. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 146. v. ad verba: *Si enim ex dilatatione deficiunt, desideria non fuerunt. Deus enim...* quae habentur cap. 3. n. 14. Cetera fuerunt avulsa.

45. *Ibidem*, cod. 338. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 14. r. sine ulla rubrica et desinit fol. 29. r. ut editum. A manu prima additur: *1471.*

46. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 673. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Ad calcem fol. 3. r. manus alia, sed coaeva, scripsit: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris, qui imago vite intitulatur, Boneventure.* Desinit fol. 35. r. Hinc librarius inter alia haec notat: *Et sic est finis libri istius primi, finiti et completi sub anno domini MCCCLXXXIV. in vigilia Palmarum hora VI post Completorium assignata.*

47. *Ibidem*, cod. 767. chart. in fol. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipit prologus in Soliloquium Bone venture de quatuor exercitiis.* Eadem leguntur in fine, quibus additur tantum: *Deo gratias.*

48. *Dolae* (Dol) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 79. a. 83. miscell. saec. XV. — Opusculo praemittitur rubrica: *Incipit dyalogus cardinalis Bonaventure, in quo anima devota meditando interrogat, et homo interior mentaliter respondet loquendo et cetera.* Desinit fol. 36. v. ut in editis. Post *Explicit* repetuntur eadem, quae praemissa sunt initio.

49. *Dublini*, bibliotheca Collegii SS. Trinitatis, cod. A. 5. 30. miscell. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Circa medium voluminis, fol. non numerato legitur a manu prima exaratum: *Incipit dialogus Bonaventure cardinalis. Flecto genua mea* etc. Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Deus propitietur anime Iohannis Hornton. Amen. Expliciunt quatuor meditationes imaginis vite.*

50. *Ducumburgi* (Herzogenburg) in Austria, bibliotheca Canoniae, cod. 51. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit post medietatem voluminis fol. r. non numerato: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. per verba: *Explicit liber de ymagine vite.*

51. *Düsseldorpii* (Düsseldorf) ad Rhenum, bibliotheca Civitatis, cod. B. 145. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. r. non numerato: *Incipit soliloquium Bonaventure de quatuor exercitiis anime et hominis.* Desinit fol. r. verbis: *Et sic est finis huius libri de quatuor exercitiis anime et hominis. Deo gratias.*

52. *Einsiedeln* in Helvetia, bibliotheca Monasterii, cod. 43. chart. saec. XV. — Fol. 184. r. est rubrica a recenti manu exarata: *S. Bonaventura. Imago vite sancte.* Desinit fol. 197. r. cum additione: *Explicit liber, qui dicitur ymago vite sancte super quatuor punctis principalibus.*

53. *Erfordiae*, bibliotheca Regia, collectio Amploniana, cod. 155. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit Soliloquium fol. 26. r. sine titulo, desinit fol. 43. v.; dein subiicitur: *Explicit dialogus bonus et brevis Bone venture.*

54. *Ibidem*, cod. 98. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis, ut recensuimus supra, pag. XIV. n. 71. — Fol. 124. r.: *Incipit liber meditationum sive orationum Domini Bonaventure, qui imago vite appellatur.* Eadem leguntur in fine, qui occurrit fol. 152. v., quibus additur *Deo gratias. Amen.*

55. *Ibidem*, cod. 8. chart. in fol. saec. XV. — Post alia opera fol. r. non numerato incipit Soliloquium sine titulo, sed paulo ante aliae manus posterioris aevi inscripserunt: *Hugonis de S. Victore et Bonaventure*, una vero in inferiore parte folii exaravit haec verba: *Incipit imago vite, quem libellum composuit egregius doctor magister Iohannes de Bonaventura, doctor Ordinis Minorum.* Post finem etiam addidit: *Explicit liber Soliloquiorum scriptus Prage, Boneventure.*

56. *Ibidem*, cod. 1. chart. in 8. saec. XV. — Fol. non numerato r. notatur simpliciter: *Imago vite Bonaventure*, et ad calcem: *Finis. Imago vite Bonaventure per Conradum Ümbelm de Terbern.*

57. *Ibidem*, cod. 26. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipit imago vite Boneventure. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. verbis editionis.

58. *Gedani*, bibliotheca sanctae Mariae, cod. progress. 95. chart. in fol. scrin. 298, de quo locuti sumus supra, pag. XV n. 81. — Fol. 13. r. est rubrica huius opusculi his verbis expressa: *Incipit liber meditacionum, sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui imago vite eterne nominatur.* Desinit fol. 33. r. per verba: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

59. *Ibidem*, cod. progress. 10. scrin. 55. membr. in folio. — Initium huius opusculi est fol. 81. v. sub hoc titulo: *Incipit prologus venerabilis doctoris Bonaventure super ymaginem vite.* Est finis fol. 97. v. cum hac additione: *Explicit ymago vite. Anno Domini millesimo quadringentesimo XLII.*

60. *Ibidem*, bibliotheca Civitatis, cod. H. 5. B. XX. B. 30. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 114. r. in superiore parte legitur: *Incipit liber meditationum, sive orationum domini cardinalis doctoris Bone venture, qui ymago vite eterne nominatur.* Desinit fol. 131. r. ut in editione.

61. *Ibidem*, cod. H. 5. B. XII. B. 5. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Fol. 121. est eadem rubrica, quae in praecedenti, ex quo forsan exemplatum fuit totum opusculum. Desinit fol. 140. v. per verba: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui imago vite eterne nominatur.*

62. *Giessae* in Hassia, bibliotheca Universitatis, ms. 726. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit Soliloquium Bonaventure, qui intitulatur ymago vite.* Desinit fol. 113. v.: *qui est eternus, trinus et unus et benedictus in secula seculorum. Amen. Et sic est finis. Anno Domini MCCCCL. sancti Bonifacii* (sic).

63. *Ibidem*, ms. 788. chart. in 4. saec. XV., de quo egimus supra, XV. pag. n. 83. — Fol. 40. v. post alia: *Sequitur*

tractatus Bonaventure de quatuor exercitiis compendiosus et perutilis. Desinit fol. 78. r.: *qui est trinus et unus Deus benedictus in secula seculorum. Amen.*

64. *Ibidem*, ms. 812. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 156. v. a 1. cap., cui praemittitur haec rubrica: *Ex primo mentali exercitio Soliloquiorum sancti Bonaventure, quod compilavit per modum dialogi, ubi anima devota et veritatis discipula meditando interrogat, et homo interior mentaliter loquendo respondet.* Desinit fol. 184. v. per verba eiusdem primi capituli: *societate transformaris. Haec Hugo.* Cetera desiderantur. Vide edit. infra pag. 43. notam 7.

65. *Gottingae* in Borussiae Hannovera, bibliotheca Universitatis, ms. theol. 94. miscell. in 4. saec. XV. — Post alia opera fol. r. non numerato incipit Soliloquium verbis: *Flecto genua mea* etc., recurrit per 36 folia et desinit ut in editis cum hac additione: *Et sic est finis huius libelluli.*

66. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 272. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 64. v. sine ullo titulo et desinit fol. 83. v. ut in editionibus. Sequitur aliud opusculum ab eadem manu exaratum, cui additur: *Anno Domini millesimo quadringentesimo XIII.*

67. *Ibidem*, cod. 285. chart. in 4. saec. XV. iam descriptus tom. V. pag. XXIX n. 46. — Hoc opusculum incipit fol. 97. r. sub titulo: *De septem gradibus perfectionis.* Desinit fol. 143. v. verbis: *a quo processerunt haec omnia. Amen.* (cap. 4. n. 27. nostrae edit.). Additur: *Explicit tractatus de septem gradibus perfectionis.*

68. *Ibidem*, cod. 310. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Initium huius opusculi est post alia fol. non numerato et sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit ut in editis, sine alia additione et nomine auctoris.

69. *Graecii* (Gratz) in Austria, bibliotheca Universitatis, cod. 600. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Rubrica opusculi est fol. 44. v. his verbis: *Incipit ymago vite beati*.... nomen auctoris est abrasum. Desinit fol. 105. in fine: *Qui est trinus et unus et benedictus in secula seculorum. Amen.*

70. *Ibidem*, cod. 1078. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium sequitur alia opera et est sub rubrica: *Incipit liber, qui dicitur ymago vite.* Eadem repetuntur in fine, fol. v. non numerato.

71. *Gratianopoli* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 757. alias 89. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 2. r. est rubrica: *Incipit ymago vite* etc. Desinit fol. 112. r.: *Explicit ymago vite* etc. Perfecte convenit cum codice 842. descripto supra, n. 4. Etiam in hoc additur in fine: *dicatur Dei amore, ave Maria pro scriptore.*

72. *Gripswaldiae* (Greifswald) in Borussia, bibliotheca Rubenon in ecclesia sancti Nicolai, cod. E. 8. 24. chart. in 4. — Opusculum incipit fol. 1. r. — Folia codicis fuerunt transposita, et ideo post folium 9. recurrendum ad 28, ut ibi notatur. Desinit fol. 46. r. ut in editione. Additur: *In profesto sancte Lucie anno Domini 1485. Berlin.*

Mentes carnales hic det liber spirituales;
Quod bene notatur, si sepius inspiciatur.

Explicit tractatus sancti Bonaventure de ymagine vite. Amen.

73. *Ibidem*, cod. E. 6. 87. chart. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. r. non numerato sine titulo: *Flecto genua mea.* etc. Desinit fol. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

74. *Ibidem*, cod. E. 38. 8. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 68. r.: *Incipit Bonaventura in librum de ymagine vite.* Eadem exarata sunt in fine fol. 87. r. post: *Explicit.* Inde sequitur: *Mentes carnales* etc., ut in cod. supra relato n. 72.

75. *Ibidem*, cod. N. 84. in fol. miscell. saec. XIV. exeuntis. — Fol. r. non numerato legitur: *Incipit prologus in libro de imagine vite.* Prosequitur ut in editis; fini additur: *Explicit imago vite. Amen.* Hinc: *Mentes carnales* etc. ut in praecedenti.

76. *Ibidem*, cod. N. 36. chart. saec. XV. ineuntis. — In margine superiore fol. 89. r.: *Incipit imago vite.* Desinit verbis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

77. *Hafniae* (Kopenhagen) in Dania, bibliotheca Regia, cod. 79. chart. in fol. saec. XV. — Initium huius opusculi est fol. 4. r. sub titulo: *Ymago vite Bonaventure.* Desinit fol. 19. v. cum hac additione: *Explicit dictamen Boneventure in librum, qui intytulatur* (sic) *ymago vite, speculum salvationis humane et paradisus anime.*

78. *Ibidem*, cod. 1371. chart. in 4. saec. XV. — Post alia opera circa medietatem voluminis fol. r. non numerato habetur Soliloquium sub rubrica: *Ymago vite*, et prosequitur ut in editis. In fine subiicitur: *Explicit ymago vite*, tacito auctoris nomine.

79. *Ibidem*, cod. 3393. chart. in 8. parvo saec. XV. — Fol. 59. r. opusculo praemittitur: *Incipit Soliloquium sancti Bonaventure de quatuor exercitiis.* Eadem repetuntur fol. 122. v. post finem opusculi.

80. *Hamburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. theolog. II. pag. 61, n. 5. in 8. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in Soliloquium Bonaventure.* Desinit fol. 63. r. verbis: *Finit Soliloquium sancti Bonaventure seraphici et cardinalis.*

81. *Herbipoli* (Würzburg) in Bavaria, bibliotheca Universitatis, M. ch. f. 250. saec. XV. ineuntis. — Opusculum Soliloquii incipit fol. 132. r. ab hac rubrica: *Iste liber intitulatur ymago vite.* Desinit cum editione fol. 153. r.

82. *Ibidem*, M. ch. q. 121. saec. XV. — Titulus huius opusculi est fol. 126. r. verbis: *Incipit prologus libri, qui intitulatur ymago vite.* Opus est exaratum a duobus, quorum unus scripsit prologum cum parte primi capitis, alius reliqua. Desinit fol. 258. r. cum hac additione: *Explicit ymago eterne vite Bone venture. Laus Deo.*

83. *Ibidem*, bibliotheca sanctae Crucis Patrum Minorum Conventualium, cod. I. 111. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. in margine superiore legitur: *Breviloquium Bonaventure.* Desinit fol. 22. v.: *qui est trinus et unus et benedictus. Amen. Explicit tractatus de quatuor radiis contemplationum.*

84. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. y. tab. 128. n. 26. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium est fol. non numerato r. sub rubrica: *Incipit ymago vite.* Desinit fol. r. ut in editis; additur: *Explicit ymago vite. Amen. anno XXXII* (idest 1432.).

85. *Ienae*, bibliotheca Universitatis, collect. Bossiona, cod. oct. 14. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 159. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 196. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit Soliloquium Bonaventure.*

86. *Lambaci* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 86. chart. in fol. saec. XV. — Titulus opusculi est fol. 107. r. in superiore margine: *Soliloquium Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Finit fol. 141. r. cum additione: *Et sic est finis tractatus Bone Venture.*

87. *Ibidem*, cod. 141. chart. in fol. saec. XV. — Incipit Soliloquium pag. 312. sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit pag. 358 verbis: *Explicit tractatus meditationum venerabilis doctoris et cardinalis Bonaventure, et intitulatur ymago vite eterne. Alleluia. Anno Domini MCCCC. in L. in octava sancti Petri et Pauli.*

88. *Leodii* in Belgio, bibliotheca Seminarii maioris, cod. 6. M. 26. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. recens manus notavit: *Bonaventura de quatuor exercitiis et alia varia.* Desinit fol. 47. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

89. *Ibidem*, cod. 6. N. 19. miscell. in 8. saec. XV. ineuntis. — Est titulus huius opusculi fol. 69. r. his verbis exaratus: *Incipit prologus Bonaventure de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 111. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Deo gratias. Et sic est finis huius.*

90. *Ibidem*, cod. 6. G. 13. — Fol. 38. r. est rubrica Soliloquii his verbis: *Incipit prologus Bonaventure de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 71. v. ut in editis. *Explicit Bonaventura de quatuor exercitiis. Scriptum est istud per manus...* (nomen scriptoris est deletum) *anno Domini millesimo CCCC. octavo, in crastino sante Lucie, post meridiem ante decimam horam modernam decimaquarta die mensis decembris.*

91. *Ibidem*, cod. 6. F. 19. miscell. in 4. saec. XV. ineuntis. — Opusculo praemittitur rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de quatuor exercitiis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 66. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit Bonaventura de quatuor exercitiis.*

92. *Lipsiae*, bibliotheca Universitatis Paulinae, cod. 490. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 1. v. sine titulo et desinit fol. 18. r. cum hac additione: *Expliciunt meditationes domini cardinalis et doctoris bone Venture.*

93. *Ibidem*, cod. 487. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit sine rubrica fol. r. non numerato: *Flecto genua mea* etc. Desinit ut in editis, deinde additur: *Explicit liber meditationum sive orationum cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne nominatur.*

94. *Ibidem*, cod. 346. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 93. r. cum hoc titulo: *Bona ventura de speculo anime.* Desinit fol. 116. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.* Sequitur opus Hugonis de Claustro animae ab eodem scriptore exaratum, et notatur: *completum sub anno Domini MCCCCVII.*

95. *Londini*, bibliotheca Musaei, cod. 5. C. III. membran. in fol. saec. XV. — Fol. 281. incipit Soliloquium sub hac rubrica: *Meditationes fratris Bonaventure cardinalis Albanensis.* Desinit vel potius deficit cap. 4. n. 1. verbis: *requies non desidiosa, vita sine defectione, laus divina sine cessatione.*

96. *Ibidem*, cod. 18318. addition. iure emptionis, membr. in fol. saec. XIV. — Incipit Soliloquium fol. 2. r. sine ullo titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 18. r. ut in editis. Fol. 143. r. notatur, quod hic codex datus fuit *cenobio et conventui in Altenburg anno Domini millesimo CCCLXXXX in die S. Michaelis.*

97. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 168. membr. saec. XV. — Fol. 91. v. alius librarius, sed primo coaevus, haec advertit de auctore opusculi: *Scias, o lector, de auctore sequentis dyalogi, diversos diversimode loqui, dicentibus aliis Iohannem Ianuensem Ordinis Predicatorum, aliis vero Bonam venturam Ordinis Minorum compilasse ipsum. Verumptamen, ut verbo Senecae* (Excerpta de quatuor virtutibus liber., c. de Prudentia) *te conveniam, non te moveat dicentis auctoritas, sed quod dicatur attendito, nec quis dicat.* Hinc fol. 92. r.: *Incipit prologus in librum M. Ioannis Ianuensis, qui dyalogus aureus inscribitur. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 180. v. cum additione: *Explicit dyalogus aureus de quadruplici contemplatione, interiorum videlicet et exteriorum, inferiorum et superiorum, qui etiam a non multis ymago vite inscribitur. Et certe uterque titulus ipsi libro pro merito sui dignissime appropriari potest. Deo gratias.*

98. *Ibidem*, cod. 130. chart. saec. XV. — Soliloquium est fol. 216. r. sub hoc titulo: *Incipit prologus Bonaventure in librum dyalogorum de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 228. r. ut in editis. Additur: *Explicit liber dyalogorum Boneventure de quatuor exercitiis. Deo gratias. Laus Deo et honor beate Marie Virgini.*

99. *Ibidem*, cod. 4615. chart. in 16. saec. XVII. exeuntis. — Fol. 120. v.: *Incipit Soliloquium S. Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis, quod dicitur imago vite et dialogus s. Bonaventure.* Desinit fol. 261: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

100. *Ibidem*, cod. recenter sign. 15. A. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 105. et desinit fol. 136. v. ut in editis. Hinc additur: *Anno 1487. 19. Martii, per me F. P. Y.*

101. *Lubeci*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. chart. in 4. parvo, saec. XIV. exeuntis. — Fol. 167. r.: *Incipit ymago vite eterne Bone venture cardinalis, vel secundum quosdam, liber de contemptu mundi.* Eadem repetuntur in fine, qui est fol. 202. v.

102. *Ibidem*, cod. theol. in 4. parvo saec. XV. — In margine superiore fol. 10. r. est rubrica huius opusculi sic expressa: *Ymago vite Bone venture;* et fol. 46. r.: *Explicit dictamen Bone venture in librum, qui intitulatur ymago vite.*

103. *Lucemburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. 55. miscell. in 8. saec. XV. — Soliloquium est in principio mutilum, deficiente fere toto prologo usque ad n. 4. nostrae editionis, verbis... *mis et gemitibus incessanter clamemus* etc. Desinit fol. r. non numerato: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit tractatus Bonaventure de quatuor exercitiis utilis et devotus, 1476.*

104. *Ibidem*, cod. 235. chart. in 4. saec. XV. — Fol. non numerato r. opusculo praemittitur: *Incipit liber, qui dicitur ymago hominis et dyalogus inter animam et hominem.* Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

105. *Ibidem*, cod. 361. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. r. non numerato a capitulo primo, omisso prologo, sub hac rubrica: *Occupatio devotorum, sive de quatuor exercitiis spiritualibus Bonaventure. O anima mea, dirige radium considerationis et intelligentie ad quatuor, scilicet ad interiora* etc. Desinit ut in editis et additur: *Explicit opusculum, quod appellatur occupatio devotorum Bonaventure.*

106. *Ibidem*, cod. 241. miscell. in 4. saec. XV. — Folio 1. r. legitur: *Incipit liber intitulatus ymaginis vite a magistro*

Ioanne Bona Ventura. Flecto genua mea etc. Desinit fol. 29. r. cum additione: *Explicit liber ymaginis vite editus a domino fratre Bonaventura cardinali Albanensi Ordinis Fratrum Minorum.*

107. *Ibidem*, cod. 350. membr. saec. XIV. exeuntis. — Folio r. non numerato incipit hoc opusculum, omisso prologo, a verbis: *Converte radium contemplationis ad inferiora, ut intelligas* etc. (vide infra pag. 28). Desinit fol. r. ut in editis, addito tantum: *Explicit ymago vite.*

108. *Ibidem*, cod. 497. membr. saec. XVI. — Soliloquium incipit post alia fol. v. non numerato sub rubrica: *Ex tractatulo, qui intitulatur imago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. in cap. 4. n. 23. (pag. 64 not. 8.) verbis: *neque irascibilis quietatur nisi per eterne maiestatis comprehensionem.*

109. *Lugduni* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 161. miscell. in 4. exaratus anno 1394. *per manus zilani armigeri*, qui huic opusculo fol. 1. praemittit sequentem rubricam: *Prologus Boneventure, in quo anima devota meditando interrogat, et homo interior mentaliter respondet.* Desinit fol. 27. his verbis: *Explicit tractatus devotissimus traditus per modum dialogi de corpore et anima.*

110. *Luneburgi*, bibliotheca Civitatis, ms. theol. lat. in 8. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 154. r. sine ullo titulo: *Flecto genua mea* etc., decurrit usque ad fol. 174. v.; nonnulla desunt in fine.

111. *Madriti*, bibliotheca Nationalis, cod. A. 124. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum Soliloquii incipit fol. 133. r. sub titulo libri *de imagine vitae*, et desinit fol. 152. additis verbis: *Explicit ymago vite edita a domino Bona ventura. Deo gracias.*

112. *Ibidem*, cod. P. 186. chart. in 4. saec. XV. post medietatem. — Fol. 1. r. prima manus praemisit opusculo: *Incipit Soliloquium sancti Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis. Prologus. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 49. r. ut in editis, addita rubrica, quae in initio.

113. *Mantuae* in Italia, bibliotheca Civitatis, cod. 286. C. I. 24. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 94. r.: *Incipit liber fratris Bonaventure, qui dicitur ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 129. ut in editis.

114. *Ibidem*, cod. 163. B. I. 18. membr. in 8. saec. XIV. — Primum opus est Soliloquium sub nomine Bonaventure et incipit: *Flecto genua mea* etc. Desinit: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

115. *Ibidem*, cod. 174. B. I. 29. chart. saec. XV. — Ultimum opus occurrit Soliloquium, omisso nomine auctoris. Incipit fol. 120: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 148: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

116. *Medelci* in Austria, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. C. 1. chart. in fol. saec. XIV. — Fol. 106. v.: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne nuncupatur.* Haec eadem verba recurrunt in fine fol. 125. v., quibus additur: *Ad laudem Domini nostri Iesu xti.*

117. *Ibidem*, cod. B. 64. membr. in 8. saec. XV. ante medium. — Soliloquium incipit fol. 163. v. cum sequenti indicatione: *Prologus libri, qui dicitur ymago vite Bonaventure.* Desinit fol. 227. v. cum hac additione: *Explicit dyalogus de exercitatione mentali.*

118. *Ibidem*, cod. F. 39. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 1. r. sub rubrica: *Prologus libri, qui dicitur ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 16. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

119. *Ibidem*, cod. H. 83. chart. in 12. saec. XV. — Incipit Soliloquium pag. 85, praemissa rubrica: *Tractatus de homine et anima.* Desinit ut in editis pag. 193; hinc: *frater Ewaldus Ortlep 1492.*

120. *Ibidem*, cod. H. 97. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 99. r. est sequens rubrica: *Tractatus Domini Boneventure devotus de contemplatione per modum dyalogi. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 138. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.* In hoc codice sequuntur quaedam ad instar commentarii in hoc opusculum, quae occurrunt fol. 139. r. sub hoc titulo: *Incipit tractatus brevis de contemplacione editus per reverendissimum in xto patrem dominum Petrum cardinalem Cameracensem vulgariter nuncupatum, olim cancellarium Ecclesie Parisiensis. Anima devota cupiens ad divinam contemplacionem spiritualiter exerceri* etc. Desinit fol. 145. r. his verbis: *Licet autem de his sancti doctores plura scripserant, ex quorum dictis egregius doctor Bonaventura quendam dyalogum utilem compilavit, hec tamen pauca ex pluribus compendiose sub epylogo collecta sunt ad erudicionem et exercitacionem fidelium et precipue simplicium. A quibus pro qualicumque labore meo oracionum suarum postulo suffragia, ut sic tandem per haec exercicia spiritualia ad illius perducantur gaudia sempiterna, qui est Deus benedictus in secula seculorum. Amen.* Hic cardinalis Cameracensis quanti fecerit Soliloquium nostri Doctoris, apparet etiam ex cod. Olomutiensi infra relato n. 164.

121. *Mediolani*, bibliotheca Universitatis, cod. A. I. 12. miscell. in 4. saec. XV. — Post alia fol. non numerato r. legitur: *Incipit excriptum abbreviatum de quatuor exercitiis, quod intitulatur ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. cum editis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

122. *Meiningen* in Germania, bibliotheca Principis, cod. II. lat. 1. progress. 47. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium occurrit fol. 241. v. sub rubrica: *Incipit liber, qui dicitur ymago vite, per modum dyalogi compilatus, in quo anima interrogat et homo respondet. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 267. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

123. *Moguntiae*,, bibliotheca Publica, cod. chart. in 4. n. 192. progress. CXV. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 133. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 173. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

124. *Ibidem*, cod. chart. in 4. n. 264. progress. CLXI. saec. XV. — Opusculum incipit fol. r. non numerato sine ullo titulo et desinit fol. r. ut in editis cum hac additione: *Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, die undecima mensis Aprilis completus fuit presens tractatus, qui intitulatur ymago anime, per Iohannem Borner de Budingen, scriptus in civitate Moguntina.*

125. *Ibidem*, cod. chart. n. 194. progress. CXVII. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. r. non numerato post medietatem voluminis sub titulo: *Occupationes devotorum.* Desinit fol. v. ut in editis, sed passim est abbreviatum.

126. *Ibidem*, cod. chart. in 4. n. 265. progress. CLXII. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 1. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. non numerato: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

127. *Ibidem*, cod. chart. in 4. n. 266. progress. CLXIII. saec. XV. — Fol. 1. r. opusculo praemittuntur haec verba: *Deus, qui immensa bonitate circumcisus, hoc anno 1451 tribue, queso, mihi libelli corde capere devotionis dulcorem. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. non numerato, addito: *Explicit Soliloquium venerabilis Bone venture finitum per me Sixtum de Werdea anno Domini* etc.

128. *Ibidem*, cod. chart. in 8. n. 511. progress. CCLXXXIV. membr. saec. XIV. — Post aliud opus est rubrica: *Incipit liber dictus imago vite.* Huic titulo alia, sed antiqua manus praemisit: *Wilhelmus, Custos Fratrum Minorum Coloniensis Provincie, libellum collegit hunc anno Domini MCCCX, scilicet tractatum sequentem.* Desinit fol. penultimo codicis ut in editis; hinc: *Explicit imago vite.*

129. *Ibidem*, cod. chart. in 8. n. 563. progress. CCCXVII. saec. XV. iam notatus tom. V. pag. XXX n. 69. — Incipit fol. 59. r. cum rubrica: *Liber iste intitulatur imago vite.* Desinit fol. 108. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula Amen.*

130. *Ibidem*, cod. chart. in 4. n. 586. progress. CCCXXXI. saec. XV, de quo vide supra pag. XVIII n. 148, complectitur magnam partem huius opusculi fol. 48. r. et seq. sub hac indicatione: *Ex exercitiis Bone venture. Flecto genua mea* etc.

131. *Ibidem*, cod. chart. in 8. n. 595. progress. CCCXXXIV. saec. XV. — Continet quaedam tantum, fere ut praecedens, sub rubrica: *Ex libro de quatuor exercitiis Boneventure.*

132. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 16213. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 250. r. sine ullo titulo et desinit fol. 270. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

133. *Ibidem*, cod. 18613. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 57. r. alia manus praemisit huic opusculo: *Ymago vite Boneventure*, et fol. 98. r. post finem addidit: *Explicit dyalogus domini Bonaventure de exercitatione mentali.*

134. *Ibidem*, cod. 23454. membr. in 12. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. occurrit rubrica huius opusculi habens haec verba: *Incipit ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. non numerato: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

135. *Ibidem*, cod. 23863. chart. in fol. saec. XV. — In margine superiore fol. 182. r. praemittitur Soliloquio simpliciter: *Bonaventura.* Desinit ut in editis fol. 207. r. sine alia nota.

136. *Ibidem*, cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 32. r. incipit hoc modo: *Ex prologo super Soliloquio sancti Bonaventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Est integrum opus ut editum, quod desinit fol. 71. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

137. *Ibidem*, cod. 18315. chart. in fol. saec. XV. post medium. — Fol. 131. v. est rubrica: *Soliloquium sancti Bonaventure*, e regione vero scriptor quidam exaravit: *Alius titulus. Dialogus sancti Bonaventure de exercitatione mentali.* Desinit fol. 161. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

138. *Ibidem*, cod. 18414. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit liber, qui dicitur ymago vite per modum dialogi compilatus, in quo anima interrogat, et homo respondet.* Supra hunc titulum alia manus scripsit: *Domini Bonaventure.* Desinit fol. 15. r. cum editione.

139. *Ibidem*, cod. 19855. chart. in 8. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 184. r. sub titulo: *Ymago vite Bonaventure cardinalis.* Deinde, omisso textu Apostoli, prosequitur: *Mentalis exercitatio, si debet esse pura et salutifera, requirit potentiam supernaturalem confortantem* etc. Desinit fol. 190. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

140. *Ibidem*, cod. german. 663. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 186. sub titulo: *Tractatus bonus de ymagine vite.* Desinit ut in editis fol. 205. r.

141. *Ibidem*, cod. 5014. chart. in 8. saec. XV. — Soliloquium est fol. 170. r. sub hac indicatione: *Incipit liber, qui dicitur imago vite, per modum dialogi compilatus, in quo anima interrogat, homo respondet.* Desinit fol. 139. v. addito: *Explicit imago vite Bonaventure.*

142. *Ibidem*, cod. 18650. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 40. r.: *Incipit prologus libri, qui dicitur imago vite Bonaventure.* Desinit fol. 71. r. ut in editis.

143. *Ibidem*, cod. 11586. in fol. chart. saec. XV. — Titulus Soliloquii est fol. 1. r. sic expressus: *Incipit imago vite Iohannis Bonaventure sacre pagine professoris.* Eadem repetuntur fol. 19. r. in fine opusculi; inde additur: *Anno Domini 1405 finitus est in proximo Sabbato post festum sancti Viti Martyris.*

144. *Ibidem*, cod. 2955. miscell. saec. XV. — Fol. 90. r.: *Incipit libellus, qui non immerito imago vite nominatur.* Desinit fol. 117.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

145. *Ibidem*, cod. 7014. chart. in fol. saec. XIV. — Initium huius opusculi occurrit fol. 187. r. sub hoc titulo: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui imago vite eterne vocatur.* Eadem verba redeunt in fine fol. 199. v. post *Explicit.*

146. *Ibidem*, cod. 7255. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Titulus opusculi est fol. 1. r. sic exaratus: *Incipit Soliloquium sancti Bonaventure de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 43. v. ut in editis, deinde additur: *Anno 1494.*

147. *Ibidem*, cod. 8182. chart. in 4. — Fol. 129. r. opusculo praemittitur: *Incipit tractatus, qui intitulatur imago vite eterne Bonaventure;* et folio 164. v. subiicitur: *Explicit liber Bonaventure, qui intitulatur imago vite eterne, finitus anno Domini 1434 post octavas Domini per Egidium Kirchner de Leutershaur.*

148. *Ibidem*, cod. 9626. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r. est sequens rubrica: *Incipit libellus, qui intitulatur imago vite.* Desinit fol. 61. r: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

149. *Ibidem*, cod. 12723. miscell. in 4. saec. XV. — Huic opusculo fol. 246. r. praemittitur tantum: *Incipit imago vite*, sed alia manus ad calcem huius folii subiicit: *Tractatus domini Bonaventure cardinalis.* Desinit fol. 264. r. ut in editis.

150. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 72. fol. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 157. r. sine titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 172. v.; nomen auctoris et titulus habetur in principio operis his verbis: *Bonaventura, ymago vite, seu Soliloquium.*

151. *Ibidem*, cod. 29. in 4. chart. saec. XV. — Fol. 274. v. incipit hoc opusculum sine ulla rubrica: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 303. r., cui alia manus eiusdem aevi adiunxit: *Explicit liber meditationum reverendi domini Bonaventure cardinalis et doctoris, qui ymago vite eterne nuncupatur.*

152. *Ibidem*, cod. 30. in 4. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. 58. r. alia manus praemisit: *Breviloquium*, sed perperam, est enim Soliloquium; incipit: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 81. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.* De hoc codice locuti sumus supra pag. XIX n. 173.

153. *Ibidem*, cod. 813. in 4. chart. saec. XV. — Fol. 36. v. praemittitur opusculo: *Ymago vite eterne Bonaventure.* Hinc prima manus: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis ac doctoris Bonaventure, qui intitulatur ymago vite eterne.* Fol. 67. r. fini additur: *Explicit ymago vite Bonaventure 1471. feria quinta post Alexii Confessoris.*

154. *Monasterii* (Münster) in Borussia, bibliotheca Paulina, cod. 271. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Initium huius opusculi est fol. r. non numerato sub hoc titulo: *Incipit prologus Bonaventure in dyalogum, qui speculum anime nuncupatur. Tractatus de quatuor exercitiis anime.* Desinit ut in editis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

155. *Namurci* (Namur) in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 104. miscell. in 4. saec. XV. ante medium. — Fol. 2. r.: *Incipit prologus Soliloquii Bonefortune, quod dicitur ymago vite.* Desinit fol. 33. v. verbis: *Explicit Soliloquium Bonefortune, seu dyalogus anime et hominis interioris.*

156. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. D. 36. miscell. in 8. plurium aetatum, opus postremum saec. XV. exaratum est sub hoc titulo: *Incipit prologus Soliloquiorum beati fratris Bonaventure Ordinis Minorum.* Desinit cap. 3. n. 1. ad verba: *convertenda.*

157. *Ibidem*, cod. VII. G. 21. chart. in 4. saec. XVI. — Incipit ut praecedens et desinit ut in editis; fini adduntur haec verba: *Explicit Soliloquium sive dialogus domini Bonaventure de quatuor exercitiis. Deo gratias. Amen.*

158. *Ibidem*, cod. VII. G. 57. exaratus anno 1459. — Soliloquium incipit fol. 99. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 148. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

159. *Neuburgi* (Kloster Neuburg) in Austria, bibliotheca Canoniae, cod. 251. chart. in fol. saec. XIV. (1378.). — Soliloquium incipit fol. 167. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 184. r., omissis titulo et nomine auctoris.

160. *Ibidem*, cod. 576. chart. in fol. saec. XV. ante medietatem. — Opusculum incipit fol. 45. r. sine ullo titulo, ut praecedens et desinit fol. 72. ut in editis.

161. *Ibidem*, cod. 944. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 9. v. praemittitur opusculo: *Incipit ymago vite.* Desinit fol. 66. sine alia additione.

162. *Norimbergae* (Nürnberg) in Bavaria, bibliotheca Civitatis, cod. centur. IV. n. 77. membr. in 4. saec. XIV. — Opusculum est mutilum in principio, incipit enim fol. 64. r. in cap. 1. n. 13. nostrae editionis a verbis: *eternam nos invitat. O Iesu fons universe dulcedinis et pietatis, ignosce mihi* etc. Desinit fol. 77. v: *qui est trinus et unus, benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit ymago vite. Explicit dyalogus Boneventure.*

163. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 569. chart. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Soliloquium incipit sine titulo fol. 63. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 80. v. addito: *Explicit ymago vite Iohannis Boneventure sacre pagine professoris.*

164. *Olomutii* (Olmütz) in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. g. 3. chart. in 4. saec. XV. ineunt.; vid. tom. V. pag. XXXI n. 87. Soliloquium incipit fol. 121. r. sub hoc titulo: *Bonaventure de quatuor exercitiis; liber, qui dicitur imago vite, per venerabilem dominum Bonaventuram cardinalem etc. editus.* Alia manus eiusdem aetatis his verbis praemisit haec alia de auctore: *Hic frater Bonaventura viguit anno Domini 1257 tempore Alexandri Pape 4. et fuit discipulus Alexandri de Halis doctoris irrefragabilis.* Post finem, qui est fol. 148, loquitur de opere hoc modo: *De isto dialogo Bonaventure facit mentionem in suo tractatu de quadruplici exercitio spirituali, dominus Petrus episcopus Cameracensis, qui viguit in Concilio Constantiensi 1414.* Vide supra n. 120.

165. *Ibidem*, cod. II. f. 22. chart. in 4. saec. XV. ante medium. — Soliloquium incipit fol. 79. r. sub hoc titulo: *Bonaventura de anima. Flecto genua mea* etc. Desinit vel potius deficit fol. 91. v. ad verba cap. 4. n. 14: *Tunc tu respondebis ita dicens: Bibam et hilarior fiam.*

166. *Ibidem*, cod. IV. d. 6. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit ante medietatem voluminis fol. r. non numerato, praemissa sequenti rubrica: *Bonaventura. In Soliloquium eiusdem.* Desinit fol. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

167. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. 63. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. v. non numerato praemittitur opusculo: *Incipit tractatus de Bona ventura*, et fini subiicitur: *Explicit tractatus bonus magistri de Bona ventura.*

168. *Oxonii* in Anglia, Miscell. Canonic. cod. 529. chart. saec. XVI. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 1. sub rubrica: *Liber, qui dicitur imago vite, sive dialogus inter hominem et animam collocutores, praevia praefatione.* Desinit fol. 77. per verba: *Explicit liber dialogi anime et hominis, seu liber, qui merito appellatur ymago vite. Deo gratias. Amen.*

169. *Ibidem*, bibliotheca Bodleiana, cod. 162. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Post alia opera fol. 89. r. legitur: *Incipiunt quatuor meditationes ymaginis vite per devotum Bonaventuram etiam edite.* Desinit fol. 113. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

170. *Parisiis*, bibliotheca Arsenalis, cod. 630. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium est fol. non numerato sub titulo: *Incipit dialogus cardinalis Bonaventure, in quo anima devota meditando interrogat et homo interior mentaliter loquendo respondet. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. per verba: *Sed sempiterna pax et letitia in celesti patria. Amen.* (cap. 4. n. 20.). Inde sequitur: *Scriptum anno Domini M. CCCC. LIII. completum in mense Augusti. Oretur pro scriptore.* Posterior manus admonet de correctione opusculi hoc modo: *Scito, lector, quod iste dialogus est pene totus incorrectus et male scriptus. Igitur in alio libro quere eum.*

171. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 3756. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. est titulus: *Meditationes imaginis vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 56.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Expliciunt quatuor meditationes Bonaventure.*

172. *Ibidem,* cod. 3609. chart. in 4. saec. XV.— Soliloquium incipit fol. 1. sine rubrica: *Flecto genua mea* etc. Deficit fol. 39. ad verba... *eterna et inseparabili unione. Corpus autem nostrum ex quatuor.* Vide infra pag. 62 notam 8. in fine.

173. *Pelplini,* bibliotheca Seminarii, cod. V. K. b. 7. chart. in 4. saec. XV. ineuntis, quem recensuimus supra, pag. XX n. 198. — Soliloquium incipit sine titulo fol. 172. r. et desinit ut in editis fol. 204. v., additis verbis: *Explicit liber meditationum, sive orationum domini cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne dicitur.*

174. *Ibidem,* cod. B. 254. (hic est antiquior numerus, recens nullus adhuc), ut scripsimus supra pag. XX n. 199. — Opusculum hoc incipit fol. 15. r. et desinit fol. 49. r., cui praeponitur et subiicitur haec rubrica: *Liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui ymago vite eterne nominatur. Amen.*

175. *Ibidem,* cod. V. K. d. 16. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 138. r., omisso titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 153. r. additis: *Explicit liber meditationum sive orationum Bone venture, qui ymago vite eterne vocatur.*

176. *Ibidem,* cod. V. II f. 7. chart. in 8. exaratus anno MDCIIII. — Primum opus, quod continet: *Soliloquia sancti Bonaventure de quatuor exercitiis mentalibus,* incipit et desinit ut in editis.

177. *Ibidem,* cod. V. I. a. 9. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 17. r. opusculo praemittitur haec rubrica: *Registrum libri sequentis, qui intitulatur ymogo vite eterne.* Fini fol. 52. v. additur: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne nominatur. Anno Domini... feria secunda post Letare.*

178. *Ibidem,* cod. V. I. c. 6. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 183. r. sub rubrica, sub qua praecedens, et desinit iisdem verbis ut praecedens fol. 210. v.

179. *Posonii* (Presburg), bibliotheca Capituli, cod. 49. chart. in fol. saec. XIV. post medietatem. — Soliloquium incipit fol. 2. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 12. r. A prima mano tribuitur opusculum sancto Augustino, sed perperam, convenit enim cum edito sub nomine sancti Bonaventurae, ut patet intuenti.

180. *Pragae,* bibliotheca Ecclesiae metropolitanae, cod. N. LV. chart. in 4. saec. XV, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXXI n. 93. — Hoc opusculum incipit fol. 1. r. sub titulo: *Soliloquium de arra animae Bonaventure. Incipit Soliloquium de arra anime, ut discamus, quomodo nos oporteat verum oratione* (sic) *querere et operando debeamus.* Desinit fol. 137. v.: *hoc totis precordiis concupisco, et sic est finis huius negotii. Amen. Explicit textus de arra anime. Amen.* In multis dissentit ab edito Soliloquio nostri Doctoris.

181. *Ibidem,* cod. E. LXVIII. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato: *Incipit Bonaventure dyalogus de mentali exercitatione. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. ut in editis.

182. *Ibidem,* cod. E. XXXII. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 46. v. et prosequitur, sed interpolate, ut recte notavit rubricator codicis, usque ad fol. 61. r.: *qui est eternus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

183. *Ibidem,* cod. D. LXXV. chart. in 4. saec. XV. — Post opus Hugonis de arrha sponsae sequitur Soliloquium fol. r. non numerato; incipit cum editione: *Flecto genua mea* etc., sed in decursu dissentit in aliquibus; desinit etiam fol. v. his verbis: *pietas enim ad omnia utilis est, promissionem habens vite, que nunc est et future, ad quam nos perducere dignetur Iesus Dominus noster, beate et gloriose Marie Virginis fructus et filius. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in veritate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.*

184. *Ibidem,* cod. N. XIII. membr. in fol. saec. XIV. — Rubrica huius opusculi est fol. 20. r. expressa his verbis: *Incipit liber, qui dicitur imago vite humane, multum consolatorius. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 37. r. cum editis, addito: *Explicit.*

185. *Ibidem,* bibliotheca Universitatis in Clementino, cod. VIII. C. 2. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 73. v. est rubrica: *Incipit ymago vite,* omisso nomine auctoris. Opusculum desinit fol. 78. v. cum hac additione: *Explicit ymago vite sub anno Domini M. CCC. LXXX. IIII. finita in Vigilia Philippi et Iacobi.*

186. *Ibidem,* cod. XIV. D. 6. chart. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 41. r. immediate post aliud opus: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 60. v., addito tantum: *Explicit dyalogus anime et rationis.*

187. *Ibidem,* cod. X. D. 1. chart. in fol. saec. XV. — Alia manus eiusdem saeculi fol. 95. r. opusculo praemisit: *Ymago humane vite Bonaventure,* Sed fol. 111. v. prima manus addidit: *Explicit ymago humane vite Boneventure cardinalis Romani, feria tertia in die beatorum Apostolorum Symonis et Iude, anno Domini M CCCC XXIIII. per Matthia* (sic) *Losii.*

188. *Ibidem,* cod. mixt. XI. E. 9. chart. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. manus posterior praemisit opusculo hanc observationem: *Bonaventura* (hinc lacuna) *titulum esse itinerarius mentis in Deum, et dicitur ymago vite, seu lignum vite* (!). Deinde: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. r. non numerato: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Finito libro sit laus et gloria Xto.*

189. *Regimontii,* bibliotheca Universitatis, cod. 1261. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum Soliloquii incipit fol. v. non numerato sine ullo titulo. Desinit cum verbis editionis fol. r.; deinde additur: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui ymago vite eterne nuncupatur.*

190. *Ibidem,* cod. 1345. chart. in 4. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato: *Incipiuntur* (sic) *meditationes Bone venture doctoris et cardinalis. Dic, quaeso, o homo, post devotam invocationem.* Est initium cap. 1, omisso prologo. Desinit cum editione fol. r. Hinc: *Expliciunt contemplationes sive meditationes Bone venture doctoris et cardinalis venerabilis.*

191. *Ibidem,* cod. 1347. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit ymago vite eterne, alias dyalogus anime et hominis, in quo anima meditando interrogat, et homo interior mentaliter loquendo respondet, editus a Bona ventura cardinali.* Eadem repetuntur in fine, qui occurrit fol. 63. r., sed ibi omittitur nomen auctoris.

192. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 456. chart. saec. XV. — Fol. 55. v. praemittitur Soliloquio haec rubrica: *Incipit*

dialogus Bonaventure. Desinit fol. 75. v.: *qui est unus et trinus benedictus in secula. Amen.*

193. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. a. II. 23. chart. in 8. saec. XV. post medium, de quo egimus et tom. V. pag. XXXII n. 102. — Soliloquium incipit fol. 131. v., praemisso: *Bonaventura de ymagine vite*, et desinit fol. 190. addito: *Explicit liber intitulatus de ymagine vite Bonaventure cardinalis, pro quo sit Deus benedictus in secula seculorum. Amen.*

194. *Ibidem*, cod. a. III. 18. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 2. r. sine ulla nota et desinit fol. 42. r. ut in editis; inde subiicitur: *Explicit libellus, qui intitulatur ymago vite Bonaventure.*

195. *Ibidem*, cod. a. VII. 27. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. v. non numerato est rubrica: *Incipit dyalogus Bonaventure, vel Soliloquium.* Desinit ut in editis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

196. *Ibidem*, cod. b. V. 39. chart. in 4. saec. XV. — Fol. v. non numerato alia manus praemisit huic opusculo: *Soliloquium sive dyalogus Bonaventure.* Desinit ante finem editorum ad verba: *supereminet pulcritudo, a qua processerunt hec omnia. Amen* (cap. 4. n. 27.).

197. *Ibidem*, cod. b. I. 29. chart. saec. XV, anno, ut ibi notatur, 1474. — Opusculum Soliloquii est fol. r. non numerato sub hac rubrica: *Ymago vite incipit.* Desinit fol. ultimo verbis: *Oro, Deus meus, cognoscam te;* reliqua desunt.

198. *Ibidem*, cod. a. VI. 29. membr. 8. saec. XIV. — Soliloquium est post alia fol. r. non numerato sub titulo: *Incipit ymago vite.* Desinit fol. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit ymago vite.* Auctoris nomen tacetur.

199. *Sancti Floriani*, bibliotheca Monasterii Canonic. regularium, cod. XI. 97. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 197. r.: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis Bone Venture, qui imago vite nominatur.* Desinit fol. 206. r., ubi post *Explicit* repetuntur verba praemissa.

200. *Ibidem*, cod. XI. 166. chart. in 8. saec. XV. ineuntis. — Soliloquium incipit fol. 104. r. hac rubrica: *Septimus gradus est sapientie et contemplationis. Origo autem contemplationis est ineffabilis Trinitas, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus, quam tangit Apostolus, cum dicit: Flecto genua mea* etc. Prosequitur integrum opus usque ad fol. 160. r., cui adduntur eadem quae praecedenti codici verba.

201. *Ibidem*, cod. XI. 285. membr. in 8. saec. XIV. — Opusculum incipit fol. 68. v. cum hac indicatione: *Tractatus de septem gradibus perfectionis. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 118. v. ad verba cap. 4. n. 27.: *Supereminet eius pulcritudo, a qua processerunt hec omnia. Explicit tractatus de septem gradibus perfectionis.*

202. *Ibidem*, cod. XI. 545. membr. in 4. saec. XIV. — Convenit cum duobus praecedentibus quoad titulum et reliqua. Incipit fol. 141. v. et desinit fol. 168.

203. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. 780. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit pag. 1. sub rubrica: *Dialogus Bone Venture inter rationem et animam. Flecto genua mea* etc. Desinit pag. 78. ut in editis, addito: *Explicit ymago vite.*

204. *Ibidem*, cod. 917. chart. in 8. saec. XV. — Soliloquium incipit pag. 185. sub titulo: *Tractatus Bone venture de contemplatione anime devote.* Inde sequitur censura libelli: *Iste libellus de diversis dictis Sanctorum extractus et collectus est, qui potest appellari occupatio devotorum; habet in se quatuor distinctiones. Prima distinctio docet devotam animam videre sua interiora; secunda respicere sua exteriora; tertia attendere ad inferiora; quarta contemplare sua superiora.* Sequuntur membra uniuscuiusque distinctionis et concluditur: *Ecce, quomodo iste libellus distinguitur per distinctiones, distinctiones per membra, membra per partes. Tamen in predictis alicubi aliqua devota interseruntur et interponuntur ad maiorem devotionis excitationem et ob gratie maioris infusionem. Insuper notandum est, quod quicumque in isto libro proficere desiderat, non cursorie vel curiose que sic traduntur transcurrat, sed ad sensum verborum diligenter attendat et sententiam fideliter ponderet et documenta devote, practice et speculative humiliter advertat. Et sic hic per Dei gratiam poterit invenire sui intellectus illuminationem, sui affectus inflammationem, sue vite emendationem et divine suavitatis consolationem. Et sic expedite pervenire ad beatificam visionem, ad deificam fruitionem et ad tranquillam et securam eterne beatitudinis firmam possessionem. Explicit prologus.* Opusculum, ut intuenti patet, est in compendium redactum. Desinit pag. 206: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen. Fr. Gallus.*

205. *Ibidem*, cod. 927. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit pag. 314 his verbis: *Hic oritur liber, qui potest nuncupari occupatio devotorum.* Sequitur: *Iste libellus* etc., ut in cod. praecedenti. Desinit pag. 338. per verba: *Explicit libellus dictus occupatio devotorum.* Hic cod. omittit nomen auctoris.

206. *Ibidem*, cod. 938. chart. in 4. saec. XV. ante medium. — Opusculum incipit pag. 506. eadem rubrica, qua praecedens, et desinit pag. 601: *qui est trinus et unus benedictus in secula seculorum. Amen.*

207. *Ibidem*, cod. 942. miscell. in 4. saec. XV. — Pagina 181 legitur: *Incipit dyalogus Bone Venture inter animam et rationem, qui ymago vite eterne nuncupatur. Flecto genua mea* etc. Desinit pag. 265 cum additione: *Explicit dyalogus Bone Venture inter animam et rationem.*

208. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. Hospit. 32. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 292. v. sine rubrica: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 309. v. cum hac additione: *Explicit ymago vite seu speculum, secundum quosdam vero meditatio Bonaventure cardinalis et doctoris.*

209. *Sebatii* (Schwaz) in Tyroli, bibliotheca Monasterii Montis S. Georgii Ord. S. Benedicti (nunc *Fiecht)*, cod. olim sign. num. 162. chart. in fol. saec. XV. ante medietatem. — Fol. 165. v.: *Incipit liber, qui ymago vite per modum dyalogi compilatus, in quo anima interrogat, homo respondet. Flecto genua mea* etc. Finitur fol. 182. v. ut in editis.

210. *Stutgardiae*, bibliotheca Regis, cod. 7. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 3. r. legitur: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure.* Desinit fol. v. non numerato, ut in editis. Post *Explicit* adduntur eadem verba, quae in principio sunt dicta.

211. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 54. chart. saec. XV. — Post medium voluminis fol. r. non numerato praemittitur Soliloquio haec rubrica: *Incipit tractatus de ymagine vite.* Desinit fol. r. ut in editis.

212. *Ibidem*, cod. 80. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. 2. r. notatur: *Incipit Bona ventura. Flecto genua mea* etc.; etiam in fine additur: *Explicit Bona ventura. Deo gratias. Amen. Amen super omnia.* Ex hac rubrica in catalogo notatur: *Bonaventura de Gratiis.*

213. *Ibidem*, cod. 192. S. E. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 1. r. praemittitur opusculo: *Incipit prologus in Soliloquio Bone venture de quatuor exercitiis.* Desinit fol. 30. ut in editis.

214. *Ibidem*, cod. 257. S. E. membr. in 4. saec. XV. post medium. — Soliloquium incipit sine titulo fol. 86. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 109. r. ut in editione; hinc: *Finito libro sit laus et gloria Xto. Explicit Bona ventura. Deo laus, per manus Zwederi ter Weteringhe in Aestelredam.*

215. *Trecis*, bibliotheca Civitatis, cod. 1514. miscell. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 1. r. non numerato et desinit fol. r. cum sequenti additione: *Explicit dialogus Bonaventure, in quo anima devota meditando interrogat, et homo mentaliter respondet. Finitus die festi sanctorum Philippi et Iacobi Apostolorum, anno Domini millesima IIII.* (sic) *septuagesimo quinto.*

216. *Tridenti*, bibliotheca Civitatis, cod. 33. collect. Gentilotti, chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 2. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 17. r.; additur: *Explicit liber, cuius titulus est ymago anime vel lumen anime.*

217. *Valencenis* (Valenciennes in Gallia), bibliotheca Civitatis, cod. 179. chart. in 4. saec. XV. post medium. — Post alia opera fol. 203. r. Soliloquio praemittitur tantum: *Bonaventura*; folio vero 247. fini additur: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui imago vite eterne nominatur.*

218. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4209. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 246. r.: *Flecto genua mea* etc., protrahitur usque ad fol. 252. v., ubi deficit verbis cap. 1. n. 30: *per peccatum originale eras bonis spiritualibus et naturalibus exspoliata, potestati principis...* Cetera fuerunt avulsa.

219. *Ibidem*, cod. 1997. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r. alia manus exaravit: *Soliloquium Bona venture, vel imago vite eterne.* Desinit fol. 38. v. ut in editione, hinc scriptor addidit: *Finito libro sit laus et gloria Xto.*

220. *Ibidem*, cod. 3711. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 184. r.: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis ac doctoris Bonaventure, qui intitulatur ymago vite.* Desinit fol. 204. r.; additur: *Explicit liber Bonaventure, qui intitulatur ymago vite eterne.*

221. *Ibidem*, cod. 4362. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 246. r. sine ulla indicatione: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 265. r. cum additione: *Deo laus et gloria sit per infinita secula. Amen. Explicit ymago vite.*

222. *Ibidem*, cod. 1399. membr. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 191., omisso titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 212. r. cum additione: *Explicit arra anime per manus Georii, anno Domini MCCCCXXIII. in die sancti Barnabe Apostoli.*

223. *Ibidem*, cod. 1773. membr. in fol. saec. XIV. — Opusculum incipit fol. 77. v.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 101. v. cum nota: *Explicit liber meditationum reverendissimi domini Bonaventure cardinalis et doctoris, qui imago vite eterne nuncupatur.*

224. *Ibidem*, cod. 1602. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 76. r. manus posterior praemisit opusculo hunc titulum: *Soliloquium beati Boneventure de quatuor mentalibus exercitiis.* Desinit fol. 88. v. ut in editis.

225. *Ibidem*, cod. 3412. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 237. r. occurrit titulus per verba: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui imago vite nominatur. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 147. v. et post *Explicit* repetuntur eadem verba, quae in initio praemissa sunt.

226. *Ibidem*, cod. 846. membr. saec. XIV. — Soliloquium incipit fol. 22. r. a verbis cap. 2. n. 1.: *Converte igitur, o anima, radium contemplationis ad ea quae sunt iuxta te, hoc est ad mundum* etc. Desinit fol. 51. v. additis verbis: *Explicit liber dialogi anime vel hominis, seu liber ymaginis vite.*

227. *Ibidem*, cod. 4409. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 87. v.: *Incipit liber meditationum reverendissimi domini Bonaventure cardinalis et doctoris, qui imago vite eterne nuncupatur.* In fine, qui habetur fol. 107. r. eadem repetuntur.

228. *Ibidem*, cod. 4009. chart. in 4. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 121. r., omisso titulo: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 167. r. sine alia additione, et nullatenus operis auctor indicatur.

229. *Ibidem*, cod. 3986. chart. in fol. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 356. v., praemisso tantum: *Imago vite.* Desinit fol. 370. r. verbis: *Finis est huius libelli, qui imago vite dicitur et est compilatus per Iohannem Bonaventuram. Anno 59* (1459).

230. *Ibidem*, cod. 4164. chart. in fol. saec. XV. — Titulus huius opusculi est fol. 193. r. his verbis indicatus: *Incipit liber meditationum Bonaventure.* Finis occurrit fol. 207. v., additis verbis: *Explicit liber meditationum venerabilis doctoris et cardinalis Bonaventure et intitulatur imago vite eterne. Incipit registrum super eundem.*

231. *Ibidem*, cod. 4116. chart. in 8. parvo exaratus anno 1477. — Fol. 1. r. praemittitur Soliloquio haec rubrica: *Bonaventura de imagine vite.* Desinit fol. 76. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

232. *Ibidem*, cod. 4240. chart. in fol. saec. XV, de quo egimus supra pag. XXIII n. 265. Hoc opusculum incipit fol. 83. r. cum hac indicatione: *Imago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

233. *Ibidem*, cod. 4348. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 83. v. opusculo praemittitur. *Soliloquium sancti Bonaventure*, et fol. 125. r. additur: *Explicit Soliloquium sancti Bonaventure. Anno Domini 1496.*

234. *Ibidem*, bibliotheca Patrum Ordinis Praedicatorum, cod. I. a. 20. chart. et membr. in fol. saec. XV. ineuntis. — Hoc opusculum est mutilum in principio et intitulatur: *Soliloquium domini cardinalis et doctoris Bone Venture.* Desinit fol. non numerato ut in editis.

235. *Ibidem*, bibliotheca privata Imperatoris, cod. 7949. miscell. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r. in superiore margine

praemittitur titulus his verbis: *Soliloquium Bone Venture*, et fol. 44. r. fini additur: *Explicit, flecto genua.*

236. *Voravii*, bibliotheca Canoniae, cod. LXVIII. chart. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato praemittitur opusculo: *Prologus libri, qui dicitur ymago vite. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. v. ut in editis.

237. *Ibidem*, cod. CCCI. chart. in 4. saec. XV. (1447). — Opusculum est fol. r. non numerato sub hoc titulo: *Incipit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui ymago vite nominatur.* Desinit fol. v. cum editione.

238. *Ibidem*, cod. CCCXXVIII. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 116. r. coaeva manus in superiore margine inscripsit: *Liber meditationum domini cardinalis et doctoris Boneventure.* Prima manus praemiserat tantum haec verba: *Incipit liber de ymagine vite;* et in fine fol. 181. v. addidit: *Explicit liber de ymagine vite.*

239. *Wismariae* (Weimar) in Germania, bibliotheca Ducalis, cod. Q. 42. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 89. r. opusculo praemittitur: *Liber imago vite.* Sic et in fine fol. 121. v.: *Explicit imago vite*, omisso nomine auctoris.

240. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. 419. Helm. chart. in fol. saec. XV. — Fol. non numerato r.: *Incipit prologus in libellum, qui intitulatur de occupatione devotorum.* Hinc notantur haec alia: *Iste libellus de diversis dictis sanctorum extractus et collectus, qui potest appellari occupatio devotorum, habens in se quatuor distinctiones.* Sequitur prologus, sed diversus ab edito. Desinit fol. ultimo codicis: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

241. *Ibidem*, cod. 615. Helm. miscell. in 4. saec. XV. circa medietatem. Hoc opusculum habet initium fol. 31. r. sub rubrica: *Incipit libellus, qui intitulatur imago vite.* Desinit fol. 56. r., addito: *Explicit imago vite*, sine nomine auctoris.

242. *Ibidem*, cod. Helm. 900. chart. in 4. saec. XV, de quo verba fecimus supra pag. XXIV n. 274. — Fol. XXVI. v. est initium huius opusculi sub titulo: *Incipit occupatio devotorum. Iste libellus de diversis dictis sanctorum estractus, qui potest appellari occupatio devotorum.* Etiam in fine, qui occurrit fol. XLVII. r., additur: *Explicit liber appellatus occupatio devotorum.*

243. *Ibidem*, cod. Helm. 1277. chart. in 12. saec. XV. — Fol. r., non numerato: *Incipit dialogus interioris hominis et animae secundum Bonaventuram.* Desinit fol. r. ut in editis; hinc: *Explicit dialogus interioris hominis et anime domini Bonaventure.*

244. *Ibidem*, cod. Helm. 1284. membr. in 12. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. r. non numerato circa medium voluminis sine ullo titulo et desinit fol. 3. ante ultimum ut in editis; addito simpliciter: *Explicit ymago vite.*

245. *Ibidem*, cod. Helm. 1128. chart. in 8. parvo saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus Bone venture de quatuor exercitiis hominis et anime. Hec est materia totius huius libri. Primo ponit auctor auctoritates Sanctorum* etc., ut supra in codice Berolinensi pag. XXVII n. 20. Desinit in cap. 4. n. 20. ad verba: *mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim...* Vide pag. 63 notam 4.

246. *Wratislaviae*, bibliotheca Civitatis, cod. I. IX. fol. chart. saec. XV. — Fol. 1. r. praemittitur opusculo: *Ymago vite.* Fol. 21. Desinit cum hac additione: *Expliciunt dicta Guidonis, ut quidam volunt, de ratione et anima.* Alia vero manus eiusdem antiquitatis, praedictis verbis deletis, substituit: *Explicit liber meditationum, sive orationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui ymago vite eterne nominatur.*

247. *Ibidem*, cod. N. XIII. membr. in fol. saec. XIV. — Titulus huius opusculi est fol. 20. r.: *Incipit liber, qui dicitur imago vite humane, multum consolatorius.* Desinit fol. 37. r. verbis: *Explicit imago vite humane.*

248. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, class. I. cod. 162. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 57. r. Soliloquio praemittitur: *Incipit liber, qui dicitur ymago vite.* Desinit fol. 68. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

249. *Ibidem*, class. I. cod. 26. chart. in 8. saec. XV. — Soliloquium complectitur fol. 1. usque ad 60. v., sed in initio plurima desunt. Finis occurrit fol. 60. v. ut in editis auctoris nomen prorsus tacetur.

250. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 286. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit fol. 141. v. hoc titulo: *Ymago vite Boneventure.* Desinit fol. 160. v. hac conclusione: *Et sic est finis libri meditationum domini cardinalis et doctoris Boneventure, qui ymago vite eterne dicitur. Anno Domini M CCCC XI.*

251. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 293. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. 193. v.: *Incipit liber Boneventure meditationum, domini cardinalis, qui ymago vite eterne nuncupatur.* Desinit fol. 215. r.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen.*

252. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 197. chart. saec. XIV. — Soliloquium est fol. 79. v. sub titulo: *Liber meditationum Boneventure.* Desinit fol. 95. v. sub conclusione: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis et doctoris Bone venture, qui ymago vite eterne nominatur.*

253. *Ibidem*, cod. I. class. in 4. 63. chart. saec. XV. ineuntis. — Alia manus eiusdem aetatis praemisit opusculo hanc rubricam: *Soliloquium domini Boneventure cardinalis Ordinis Minorum Ministri generalis.* Desinit fol. non numerato v. ut in editis.

254. *Ibidem*, cod. I. class. in 4. 111. chart. saec. XV. — Soliloquium incipit absolute fol. 74. r.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 102, additis verbis: *Explicit liber meditationum domini cardinalis et doctoris Bonaventure, qui dicitur ymago vite eterne.*

255. *Ibidem*, cod. I. class. in 4. 132. miscell. saec. XV. — Opusculum Soliloquii incipit sine titulo fol. 140. v.: *Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 174. r. ut in editis; cui scriptori addere placuit: *Expliciunt dicta Guidonis, ut quidam volunt, de ratione et anima.*

256. *Ibidem*, cod. I. class. in 4. 134. chart. saec. XV. — Fol. 213. v. legitur: *Sequitur Hugo de arra anime et primo prologus. Flecto genua mea* etc. Desinit fol. 231. v.: *qui est trinus et unus benedictus in secula. Amen. Explicit secundum quosdam Guido: in exemplari certum auctorem non reperi; igitur secundum Senecam* (vide supra n. 97.) *non quis, sed quid dicitur attende.*

257. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 116. chart. saec. XIV. exeuntis. — Soliloquium incipit fol. 69. r. sine titulo, desinit folio 85. r. ut in editione, additur: *Explicit liber meditationum sive orationum domini cardinalis Bonaventure, qui ymago vite nominatur.*

§ 3. **Opusculum III. Lignum vitae.**

a. Hoc opusculum, quod incipit: Christo confixus sum cruci, ipse Oudinus (Comment. de scriptor. ecclesiast., tom. III. col. 407, ed. Lipsiae 1722), censet esse « non indignum Doctore seraphico ob gravitatem et dictionem Latinam »; Sbaralea vero (Supplement. ad scriptores Ord. Min.), editores Veneti (tom. I, Diatriba) et Bonelli (Prodrom. col. 560) recte asserunt, illud esse certo genuinum; quod evidentissime demonstrant et ipsa praeclari libri indoles et auctoritas tot infra relatorum codicum, qui quasi uno ore auctorem eiusdem esse Bonaventuram attestantur. In codicibus titulus *Lignum vitae* interdum omittitur, vel alia verba pro eo substituuntur, ut *Arbor crucis*, vel *Tractatus de arbore crucis*, sive *Arbor vitae*, vel *Fasciculus myrrhae*, vel *Contemplatio de passione Domini* et similia. Teste Sbaralea (loc. cit.), etiam editio sine loco et anno (quam ille putat esse Venetam an. 1487) est inscripta *De Iesu Christi vita contemplatio*. Haec, ut idem asserit, « haud parum differt ab Argentoratensi aliisque subsequentibus », de quo, quia eandem non vidimus, iudicare non possumus.

b. In prologo satis insinuatur, ab auctore fuisse libello praefixam quandam picturam arboris vitae delineatam, quam idem verbis accurate describit. Talis imago etiam in pluribus codicibus et in editionibus habetur magis minusve artificiose facta. Perpulcra est magna huius arboris imago, quae exornat parietem refectorii Conventus Florentini *Santa Croce*, quae praeter alias figuras etiam auctorem repraesentat S. Bonaventuram. De pictore huius artificii nobis non constat, cum nonnulli illud tribuant Francisco de Volaterra (circa an. 1350), alii vero Petro Gerino (circa an. 1380). Alia non dissimilis figura huius arboris habetur Darmstadii, biblioth. Ducalis, in cod. 1777. fol. 44, infra in elencho codicum n. 65. descripto. Obiter notamus, utramque hanc imaginem arte photographica expressam exhiberi in 2. editione egregiae versionis huius libelli germanicae, quam publicavit celeber bibliopola Herder, Friburgi an. 1888.

Nos simplicem huius arboris adumbrationem opusculo praefigi curavimus, quae fideliter interpretatur descriptionem eiusdem in prologo (n. 2. seqq.), pro qua recte intelligenda quaedam notare iuvat. Vocabulum *versiculorum* ibi significat integram *stropham* quatuor versuum; et in prima serie *(de origine et vita* Salvatoris) ex utraque *trunci* parte duo repraesentantur *rami*, quorum quilibet inscriptas habet duas strophas, id est octo versus cum floribus et duobus fructibus. Hinc prima series in summa habet 16 versus cum 4 fructibus, qui in ipso opusculo explicantur et proponuntur meditanda. Verba prologi: *secundum ordinem alphabeti*, non accipienda sunt, quasi litterae initiales versuum habeant ordinem alphabeticum, sed quia in primitiva figura isti quatuor fructus, scilicet *praeclaritas originis, humilitas conversationis* etc., litteris A B C D distincti et indicati erant. In pictura quam exhibemus arboris hae litterae desunt; satis tamen fructus ipsa sua figura indicantur. Eadem dicenda sunt de serie secunda *(passio)* et tertia *(glorificatio)*. Hinc arbor tota habet in 12 strophis 48 versus, qui 48 capitula meditationum distinguunt. His addendae sunt tres aliae strophae, quarum prima in ipso prologo ponitur, totam libelli materiam generatim insinuans verbis: *O crux, frutex salvificus* etc. Aliae duae strophae in prologo his verbis (n. 5.) satis indicantur: « Per quam (crucem) sancti Spiritus caritas in cordibus devotis nutritur et septiformis gratia diffunditur, *sicut in supremis et postremis versiculis postulatur* ». Unde patet, in primitiva adumbratione super capite arboris scriptas fuisse duas illas strophas, quas nos fide plurium codicum tantum posuimus in fine prologi (n. 6.): *His nos ciba fructibus* etc. In editionibus et non paucis codicibus hi octo versus exciderunt (cfr. pag. 69, nota 7.). Sed certissime sunt genuini, cum non tantum fide optimorum codicum probentur et verbis modo allegatis insinuentur, sed insuper perfecte respondeant illae orationi pro obtinendis septem donis Spiritus S., quae totum opusculum concludit (vide pag. 86 n. 49). Probabile est, sanctum auctorem omnes memoratos 60 versus seu 15 strophas plene scripsisse tantum in ipsa arboris figura, non seorsim. Hoc supposito, facile explicari potest, tum quod duae ultimae strophae scriptae supra arborem exciderint in illis codicibus, qui arborem vel omnino non delineatam habebant, ut in plurimis adhuc superstitibus codicibus accidit, vel imperfecte tantum, tum quod codd. A C W Z loco 48 versuum, qui recte materiam meditationum indicant, solummodo duodecim et quidem ab aliis differentes exhibeant. De vero numero versuum capitula indicantium minime potest dubitari, cum in omnibus codicibus et editionibus tantum 48 capitula meditanda proponantur, versusque ad haec capitula et capitula ad versus manifeste referantur et invicem se comprobent. — Ceterum secundum intentionem auctoris hi versus debuerunt non tam hymnum poeticum formare quam materiam meditandam memoriae facilius imprimere.

c. *Lignum vitae* illo et sequentibus saeculis tam placuit, ut non solum tot msc. et editionibus vulgatum, sed etiam ab aliis auctoribus acceptum et ampliatum sit. Infra in elencho codicum n. 39. relatus est cod. Aurelianensis, qui textum triplo maiorem habet quam editiones. — Porro liber ille Fr. Ubertini de Casali, famosi Spiritualium antesignani, qui inscribitur *Arbor vitae crucifixae Iesu*, non tantum principalem ideam operis mutuatus est a libello Bonaventurae, sed etiam complures versus aliaque multa ex hoc vel aliis operibus eiusdem. Exempli gratia, post duplicem prologum tractatus Ubertini sic incipit cap. 1: *Iesus, ex Deo genitus. Cum audis Iesum ex Patre genitum*, scil. omnipotente Deo aeterno... *cave, ne mentis tuae oculis aliquid carnalis contagionis* [in textu Bonav. *cogitationis*] *occurrat, quin potius columbino et aquilino intuitu simpliciter crede ac perspicaciter contemplare, quod in illa* etc. Verba litteris italicis impressa verbotenus sumta sunt ex *Ligno vitae*. Sequitur ibidem longior explanatio de Trinitate, quae praecipue fundatur verbis S. Bonaventurae sumtis ex Breviloquio (libr. I. c. 2. n. 3.), quod scilicet fides « dictat de Deo esse sentiendum altissime et piissime » etc., quae Ubertinus verbotenus recitat. Et idem reperitur aliis in locis. Ubertinus in suo libro pro 48 versibus habet 150, quorum 28 sumti sunt ex Bonaventura. Expositio Ubertini dogmatica et ascetica cum multis excursibus acerbis contra corruptelas cleri suae aetatis ac Religiosorum, praesertim Ordinis Minorum, implet tomum in folio et habet quinque libros; non pauca etiam affert non exigui momenti pro historia S. Francisci et Ordinis eius. Hoc opus in genere suo notabile auctor in prologo asserit, se composuisse in Monte Alvernae an. 1305, et addit: « Non plus quam trium mensium et septem dierum vel circa spatium in scribendo totum librum... occupare me permisit » Deus; quod sane est mirandum, licet illud tempus aliquorum mensium intervallo interruptum

fuerit. Auctor non indicat expressis verbis, se versus aliaque sumsisse ex Bonaventura; dicit tamen (ibidem) versiculos « *ex aliorum dictis et a Christo Iesu mihi immissis* compereram (sic!) ad Christi vitae faciliorem recolligendo memoriam et praesentis status miseriam cordialiter deplorandam ».

De aliis similibus expositionibus vitae Christi notatu digna est notitia aliqua, quae in quodam codice bibliothecae Universitatis Barcinonensis (Catal. 1°. n. 3. santos padres, cod. arm. 1°-2-15, chart. in fol. saec. XV.), cum quo convenit alius cod. bibliothecae Universitatis Taurinensis, membr. saec. XIV. in fol. (cod. Ct. IV. 35.), a quodam anonymo praefixa est codicis operi. In primo codice legitur fol. 1: « Sequitur prima rubrica libri sequentis. Et est sciendum, quod dominus Bonaventura fecit primum opus de vita Christi et durat circa duas manus (sic) papyri ». Observandum est hic, his verbis posse significari, etiam opus extensum, quod habetur inter spuria opuscula S. Bonaventurae cum titulo *Meditationes de vita Iesu Christi,* sed etiam *Lignum vitae,* quia magis respondet spatio papyri et operi Ubertini. — « Secundo, quidam Carthusiensis addit multa et sic fecit secundum opus de vita Christi, et durat circa octo manus papyri. — Tertio, venit Ubertinus et addidit quatuor manus, et sic sunt duodecim manus. — Quarto venit quidam Caelestinus Ordinis Caelestinorum Monasterii Parisiensis, qui meliora et flores totius operis et (ita in utroq. cod.) composuit quartum librum sive quartum opus, quod sequitur. Et est optimum pro personis devotis et maxime pro illis qui volunt facere sermones. Et istud durat circa duas manus papyri, et est opus noviter factum, prout patet in sequentibus ».

« In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Incipit prologus orationum in vita Domini nostri Iesu Christi. Saepe rogatus sum, ut, quomodo simplex Religiosus debeat potissime quantum ad interiorem hominem se habere et tempus, quod extra necessarias occupationes sibi restat, expendere, aperirem... Hoc modicum opusculum faciat me incipere, mediare et finire. Amen. Explicit prologus, incipit intentio. — Igitur attendens, quod lectio divina, meditatio et oratio faciunt mentem Deo iugiter inhaerere » etc. — In cod. Taurinensi post prologum sequitur tabula rubricarum, quae sunt 132. Ex utroque codice constat, auctorem huius opusculi, quod vocatur *Orationarium,* esse Ordinis Caelestinorum et saeculi XIV.

Scriptum secundo loco nominatum, quale opus fuerit, certo determinare non possumus. Non tamen improbabile est, illud esse, de quo agitur in cod. bibliothecae Capituli Toletani in Hispania, sign. Caion 21. N U M. 34. in 8. saec. XV. Ibi folio 1. r. legitur: « Incipit prologus libri, qui intitulatur *Rosarium Iesu et Marie.* — Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Canticorum 1. Praedilecte in Christo pater, cuius nomen scribere necessitas non urget; cum secundum venerabilis Fr. Ubertini de Ordine Minorum, doctoris eximii, quem inter doctores moderni temporis iudicio meo divina irradiatio amplius irradiavit, et caelestis devotio abundantius inflammavit, sententiam et doctrinam, in secundo prologo libri sui, qui intitulatur *De arbore crucifixae vitae Iesu,* nihil gratius poteris facere » etc. Deinde dicit auctor: « Homo aridus et indevotus ac dissolutus frater sum solo nomine et habitu *Carthusiensis* ». In margine citantur saepe auctores, ut Bonaventura eiusque varia opera, praesertim *Vitis mystica.*

d. Porro, de versibus huic opusculo annexis nonnulla observanda sunt. Inveniuntur enim hi non raro in codicibus separatim, sine ipso opusculo, interdum in forma genuina, interdum vero in forma non parum aucta et mutata. Genuina forma habetur in bibliothecae Regiae Berolinensis codice (Mss. theol. Latin. 31. in fol.); eandem, sed incompletam, ex alio codice edidit Mone (Lateinische Hymnen des Mittelalt., tom. I pag. 152), quin ipsum Bonaventurae libellum noverit. Aliae formae auctae et diversimode mutatae inveniuntur in msc. codicibus et etiam in editis. Unam sic mutatam recensionem habes, benevole lector, in Additamento infra (pag. 86) ex quodam codice biblioth. Laurentianae (Florentiae) a nobis transcriptam; aliam et differentem edidit Bonelli (Supplem. etc., tom. III. col. 1161) habentem 19 strophas cum 76 versibus, quarum prima stropha pro *Cuius flos aromaticus* substituit *Quem flos exornat fulgidus;* secunda stropha est: Iesus, Rex Regis Filius — Iesus, de Deo natus — Iesus promissus Patribus — Iesus, praefiguratus. Similiter et sequentes strophae non parum a genuinis differunt. Eadem recensionis forma invenitur Darmstadii, biblioth. Ducali, in cod. n. 2777. fol. 43. seq. — Ab his diversa est illa recensio, quam idem Mone (loc. cit., pag. 150) ex quodam codice bibliothecae Karlsruhe edidit, habentem 20 strophas cum 80 versibus, cuius prima stropha convenit cum ea, quam Bonelli publicavit, secunda vero est: Iesus, de Patre genitus — Iesus, liber signatus — Iesus, Sanctorum Dominus — Iesus, desideratus. Sequentes etiam strophae in multis differunt ab aliis praedictis. Eadem recensio exhibetur in tribus codicibus biblioth. Monacensis Regiae, scil. in codd. Lat. 15312, 7488, 11430. — Omnes memoratae recensiones et fortasse etiam aliae habent mutato ordine plurimos versus communes cum genuinis, alii depromti sunt ex illis duodecim versibus, quos ex codd. C W Z, infra pag. 70, nota 1 referimus.

Manifestum est, diversas has versuum recensiones esse derivatas ex uno fonte primitivo, qui non potest esse nisi ea recensio, quae omnium aetate antiquior est atque respondet partibus et capitulis ipsius *Lignum vitae,* cuius authenticitas et integritas fere 200 codicum auctoritate et aliis invictis rationibus comprobatur. Insuper haec forma, accuratius examinata, omnes alias recensiones valore et congruitate interiore omnino vincit ac sola cum expositione libelli convenit. Hinc supersedendum nobis esse putamus ab ulteriore examine rationum, quibus vir quidam doctus motus, dubium esse vult, an versus in editionibus tanquam Bonaventuriani allati eidem sint tribuendi. Hic enim vir in recensione quadam memoratae huius libelli versionis germanicae (apud Herder, Friburgi 1886), quam inseruit foliis periodicis *Christliche Akademie,* Prag., 12. Iahrg. n. 1, potius verisimile esse putavit, dictos 60 versus excerptos esse ex anteriore et longiore cantico, quod praesentat cod. Darmstadiensis vel etiam ex illo quod est in libro *Arbor vitae crucifixae Iesu* a Fr. Ubertino an. 1305 composito. — Sed praeter iam dicta hanc hypothesim penitus evertunt illi codices, qui iam saeculo XIII. exarati sunt.

e. Postremo referendum esse duximus, devotos hos versus S. Bonaventurae iam saec. XIII. vel saltem XIV. notis musicalibus ad cantandum adaptatos esse. Hoc referunt chronica Fr. Bartholomaei Aquensis O. Praed., asservata Taurini, biblioth. Universitatis in cod. G II 34, membr. saec. XIII. vel XIV. Ibi fol. 57. legitur: « Illo etiam tempore floret Bonaventura,

magnus frater in Ordine Fratrum Minorum et bonus clericus et devotus Crucifixo. Qui posuit passionem Iesu in cantilena fletus sequentiae, quae sic currit: *O crux, fructex salvificus* etc., et in qualibet clausula replicatur: *O crux* etc. Require, alibi habes ». Supersunt in codicibus adhuc duae melodiae antiquae et inter se differentes. Unam invenimus in codice iam citato bibliothecae Berolinensis (MS. lat. Oct. 31. fol. 72.), et haec est magis simplex et adest versibus genuinis; altera artificiosior et memoratae recensionis longioris versibus accommodata habetur in dicto codice bibliothecae Darmstadiensis (n. 2777.); haec ad strophas cantici replicat primam stropham, ut dicit citatus Fr. Bartholomaeus Aquensis. Utraque melodia notis ipsorum codicum et etiam nostra aetate communibus expressa et etiam harmonice modulata habetur in secunda editione memoratae versionis germanicae, ad quem libellum antiquae musicae studiosum remittimus.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Civitatis (olim sacri Conventus), cod. membranaceus in folio parvo saeculi XIV. ineuntis, de quo locuti sumus tom. V. pag. XVII n. 1. — Hoc opusculum inscribitur: *Lignum vite seu Crucis Bonaventure.* Incipit: *Christo confixus sum Cruci. Verus Dei cultor* etc. Desinit ut in editis: *per crucem tuam petimus obtinere, cui cum Patre et Spiritu sancto omnis sit honor et gloria, gratiarum actio, decus et imperium, per infinita secula seculorum. Amen. Explicit liber et tractatus de Ligno vite fratris Bone venture. Deo gratias. Amen.* In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis sign. n. 28. — Post alia fol. 187. r. legitur: *Incipit prologus venerabilis fratris Bonaventure in tractatum de Ligno vite. Xto confixus sum Cruci* etc. Desinit fol. 192. v. ut in editis; additur: *Explicit tractatus venerabilis fratris Bonaventure de Ligno vite.*

3. Cum hoc cod. prorsus convenit alius eiusdem bibliothecae, chartaceus in fol. saec. XV. — Incipit et desinit ut editus. Fini subiicitur: *Explicit tractatus de Ligno vite sive de Cruce, fratris Bone venture cardinalis de Ordine Fratrum Minorum, per ipsum ordinatus et compositus, in XII ramis sive capitulis superscriptis bene et ordinate disposilus.* — Uterque comprehenditur sub litt. B.

4. *Ibidem*, cod. membr. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit tractatus fratris Boneventure super arborem de compassione Xti, Lignum vite in medio paradisi. Xto confixus sum Cruci* etc. Etiam in fine additur: *Explicit arbor Bone venture.* Sequuntur versus: *His nos ciba fructibus* etc., quos vide infra pag. 69 n. 6. Sign. C.

5. *Balneoregii*, bibliotheca Seminarii, cod. chart. saec. XV. exeuntis sine ulla nota. — Post alia sub nomine Bonaventurae habet fol. v. non numerato: *Tractatus Bonaventure de arbore Crucis. Xto crucifixus sum cruci* etc. Desinit fol. r.: *Deo gratias ac beate Virgini. Explicit tractatus fratris Bonaventure de Arbore a se facta.* Sign. F.

6. *Claris Aquis*, in archivo nostri Collegii, cod. membr. in fol. parvo saec. XIV, quem descripsimus supra pag. X n. 1. Hoc opusculum incipit fol. 26. r. sub rubrica: *Arbor Crucis edita a fratre Bonaventura de Ordine Fratrum Minorum.* Desinit fol. 35. v. verbis: *Decus et imperium per infinita secula seculorum. Amen.* Sign. bb.

7. *Cortonae* in Etruria, bibliotheca Communalis, cod. 209. chart. saec. XV. iam descriptus tom. V. pag. XXVII n. 1. — Fol. 100: *Incipit liber domini Bonaventure, qui dicitur liber ligni vite, in quo agitur de vita, passione et glorificatione Domini nostri Iesu Christi.* Desinit fol. 123. ut in editis. Sign. dd.

8. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XIX. Dext. cod. 10. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 191. v. alia manus praemisit opusculo: *Arbor ✠ Xti.* Desinit fol. 208. r.; additur a prima manu: *Explicit tractatus libri Ligni vite a venerabili ministro generali Fratrum Minorum, fratre Bonaventura compositus.* Sign. E.

9. *Lovanii* in Belgio, bibliotheca Universitatis, cod. modo $\frac{15}{a}$., olim: *Liber Canonicorum regularium in Bethlem iuxta Lovanium.* — Lignum vitae incipit fol 93. r. et desinit fol. 104. Post finem additur: *anno 1487.* Sign. L.

10. *Magdeburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 25. chart. saec. XV. — Hoc opusculum occurrit fol. 55. r. sub sequenti titulo: *Incipit liber, qui intitulatur Lignum vite, editus a venerabili ac devoto magistro Bonaventura cardinali ac quondam ministro generali Ordinis Minorum.* Desinit fol. 73. r., addito: *Explicit Lignum vite patris Boneventure.* Sign. ee.

11. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 7781. membr. in 8. saec. XV. — Fol. v.: *Incipit expositio super Lignum vite magistri fratris Iohannis Bonaventure. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit ut in editis fol. 44. r. Sign. M.

12. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 9805. chart. in 4. iam descriptus tom. V. pag. XXIII n. 133. — Operi praemittitur fol. 106. v.: *Tractatus de arbore crucis*, et in fine fol. 134. v. additur: *Explicit tractatulus beati Bonaventure de arbore Crucis.* Sign. N.

13. *Ibidem*, cod. 11430, de quo diximus tom. V. pag. XXII n. 127. — Hoc opusculum incipit fol. 269. v. sine ullo titulo, desinit fol. 279. per verba: *Explicit opusculum fratris Bonaventure plenum omni devotione de XII fructibus Ligni vite.* Sign. O.

14. *Ibidem*, cod. 13102. membr. in 4. saec. XIV, ut iam innuimus tom. V. pag. XVII n. 15. — Incipit opusculum Ligni vitae fol. 178. v. et desinit fol. 188. r. per omnia ut praecedens, cui forsan fuit exemplar. Alia manus in fine addidit: *Anno MCCCLXXXIV.* Sign. P.

15. *Ibidem*, cod. 14831 chart. 8. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 53. sub hac rubrica: *Fasciculus mirre beati Bernardi.* Manus posterioris aevi correxit: *Bonaventure.* Desinit fol. 95. v.: *in secula seculorum. Amen. Et sic est finis.* Sign. Q.

16. *Ibidem*, cod. 15312. chart. in fol. saec. XV. — Post alia opera fol. 196. v. est titulus sic expressus: *Incipit contemplatio Bone venture de passione Domini.* Desinit ut in editis fol. 208. r. Sign. R.

17. *Ibidem*, cod. 9598. membr. in 8. XIV. circa medietatem, iam descriptus tom. V. pag. XLVI n. 2. — Initium opusculi est fol. 100. r. sub titulo: *Incipit Lignum vite Bonaventure*, finis vero est fol. 111. v. ut in editis. Sign. S.

18. *Ibidem*, cod. 21232. membr. in 4. saec. XV, ut iam scripsimus tom. V. pag. XXVII n. 6. — Opusculum incipit fol. 134. r. sub rubrica: *Lignum vite*, sine auctoris nomine; desinit fol. 141: *per infinita secula seculorum. Amen.* Sign. T.

19. *Ibidem*, cod. 23444. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Titulus huius opusculi est fol. 177. v. sic exaratus: *Incipit Lignum vite fratris Bonaventure.* Desinit fol. 198. r. ut in editis. Sign. U.

20. *Ibidem*, cod. 5861. chart. in fol., de quo locuti sumus tom. I. pag. LXVII n. 17. — Opusculum Ligni vitae incipit fol. 218. r. praemisso tantum: *Bonaventura.* Desinit fol. 229. r. per verba: *Explicit opusculum fratris Bone venture plenum omni devotione de XII fructibus Ligni. Deo gratias. Anno 1447.* Sign. cc.

21. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VI. D. 33. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Post alia opera fol. 61. v. est sequens rubrica: *Sequitur fascicularius mirre magistri Bonaventure sacre pagine professoris generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum, postmodum sacrosancte Romane Ecclesie cardinalis, in quo de vita et passione et glorificatione Xti devote tractatur.* Desinit fol. 86. v. sine ullo additamento. Sign. V.

22. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. membr. saec. XIII. sign. n. 14976, de quo egimus supra pag. XI n. 18. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit Lignum vite,* omisso auctoris nomine. Eadem repetuntur in fine post *Explicit*, fol. 18. r. post medium. Sign. G.

23. *Ibidem*, bibliotheca Mazarrinea, cod. 902, de quo vide quae diximus supra pag. XX n. 196. — Fol. 1. r. legitur post titulum: *Lignum vite: Incipit tractatus doctoris seraphici beati Bonaventure, qui Lignum vite vocatur.* Desinit fol. 13. r. per verba: *Explicit Lignum vite doctoris seraphici sancti Bonaventure, cuius sublimitas, commoditas et utilitas inter cuncta sua opera non infimum locum tenet, cuius et descriptio hic apparet et Ecclesiae auctoritas ipsum vite Lignum nobilissimum declarat. Cunctis quippe prerogativis huius Sancti posthabitis in speciale insigne arborem hanc eidem Sancto tribuit.* Sign. H.

24. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 2975. membr. in 8. saec. XIV. — Post alia opera fol. 145. est sequens rubrica nigris litteris et a prima manu exarata: *Incipit prologus in vitam et descriptionem Domini nostri Iesu Xti ab eterno et usque in eternum, edita a bone memorie fratre Bonaventura generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum, sicut sibi fuit ab ipso Domino Iesu Xto interna inspectione crucifixi tam mirabiliter quam misericorditer inspirata. Xto confixus sum* etc. Desinit fol. 198. ut in editis. Eodem charactere additur: *Pro magistro Guidone de Versaillez.* Alia manus prosequitur immediate: *Ipse, presentem librum donavit Ecclesie Meldensi in Aprili anno MCCCCLXVII.* Sign. I.

25. *Romae*, bibliotheca Principum Barberinorum, cod. XI. 4. membr. in 8. parvo saec. XIII. exeuntis. — Initio opusculi nonnulla desunt, quia vetustate corrosa. Desinit ut in editis. Additur in fine: *Explicit tractatus de arbore salutifere Crucis a domino Boneventura compositus ad laudem et gloriam redemptoris nostri Iesu Xti. Deo gratias.* Sign. D.

26. *Ibidem*, bibliotheca Principum Corsinorum, cod. XL. E. 8. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Opusculum est sub rubrica: *Incipit tractatus* etc. Desinit ut in editis. Sign. aa.

27. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus S. Fortunati, cod. 174. membr. saec. XIV, de quo egimus tom. V. pag. XXXII n. 120. — Opus Ligni vitae incipit fol. 101. v.: *Christo confixus sum* etc. Desinit fol. 117. v. ut editio. Sign. W.

28. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 140. membr. in 8. parvo, saec. XIV. — Fol. 414. r. sub rubrica: *Incipit tractatus de Cruce fratris Bonaventure.* Desinit fol. 436. v. post medium. Sign. X.

29. Tandem recensemus codicem quendam a possessore nobis mutuatum et nunc in hoc nostro Collegio asservatum, membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 1. r. est sequens rubrica: *Incipit liber de Ligno vite a fratre Bonaventura Ordinis Minorum Generali Ministro editus. Xto confixus sum* etc. Opus decurrit usque ad fol. 20. v. et verba: *quo mentis nostre contuitus illustretur*, parum ante finem; cetera fuerunt avulsa Sign. Z.

Hi codices repraesentant duas distinctas familias, quarum differentia in eo principaliter consistit, ut iam supra diximus, quod codd. A C W Z et ed. 1. non referunt in decursu opusculi nisi duodecim versus, qui infra pag. 70, nota 1. impressi sunt, unde isti materiam quasi in 12 capitula distinguunt loco 48 distinctionum aliorum codicum et nostrae editionis. Sed ista divisio non convenit cum prologo, qui in omnibus codicibus est idem, ut iam observatum est in cod. L (vide pag. 70, in fine notae 1.). Praeterea illi 12 versus nec sententias partium, quibus inscripti sunt, exprimunt, nec 12 fructus designant. Licet igitur memorati codices antiquitate excellant et plerumque bonum textum exhibeant, hanc familiam non possumus censere ut repraesentantem S. Doctoris primitivum textum. Hinc etiam quaedam mutationes et additamenta, quae in codicibus eiusdem familiae occurrunt praesertim in principio suorum 12 capitulorum, in textum non erant recipienda, quia non sunt nisi consequentiae necessariae mutati numeri capitulorum.

Collatio 29 codicum protulit incredibilem variantium lectionum farraginem, quam in notis totam referre inutile et taediosum fuisset. De ratione seligendi eas et idoneas in textum recipiendi et in notis referendi, vide quae infra pag. 68, nota 1. dicta sunt.

II. Codices a nobis non collati.

30. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis (olim Conventus sancti Francisci), cod. 131. membr. in 8. saec. XIV. — In indice contentorum hoc opusculum notatur sub n. 6. hoc modo: *Liber de Ligno Crucis Domini Bonaventure, non tamen completus.* Antiqua vero manus praemittit initio hanc rubricam: *Incipit tractatus de Ligno Crucis fratris Bonaventure. Xto confixus sum* etc. Desinit in cap. *Iesus Iudaeis proditus*, in hac nostra editione n. 19.

31. *Audomari* (Saint Omer) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 134. chart. in 4. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 194. r.: *Incipit praefatio in tractatum de Ligno vite. Xto confixus sum Cruci* etc. Desinit fol. 206. v.: *gratiarum actio, decus et imperium per...*, ultima verba desunt.

32. *Ibidem*, cod. 356. chart. in 12. saec. XVI. — Fol. 6. r. est sequens rubrica: *In Lignum vite sancti Bonaventure praefatio. Verus Dei cultor* etc. Desinit fol. r., in fine: *per infinita secula seculorum. Amen.*

33. *Augustae* Taurinorum, bibliotheca Universitatis, cod. F. V. 18. chart. in folio saec. XV. — Post alia opera fol. 99. r. legitur: *Sequitur expositio ramorum arboris. Expergiscere proinde.* Desinit fol. 110. v. per verba: *Explicit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bonaventura. Ad laudem omnipotentis et totius curie celestis. Amen.*

34. *Augustae Trevirorum*, cod. 774. progress. 573. membr. in 12. saec. XV. — Fol. 2. r.: *Incipit tractatus fratris Bonaventure cardinalis de Ligno vite et de fructibus eius. Prologus.* Desinit fol. r. ut in editis. Hinc fol. v. legitur: *Explicit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bonaventura duce et generali Magistro Fratrum Minorum, cardinali, sacre theologie doctore eximio.*

35. *Ibidem*, cod. 276. progress. 685. chart. in 8. — Fol. 9. r.: *Incipit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bonaventura duce et generali Ministro Fratrum Minorum, cardinali episcopo tituli Albanensis et sacre theologie doctore eximio.* Desinit fol. v. addita hac nota: *Finitus hic tractatus anno Domini 1456. 25. die mensis Martii, ante festum Pasche, in hebdomada Letare.*

36. *Ibidem*, cod. 666. progress. 775. chart. in 8. saec. XV, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXXII n. 144. — Hoc opusculum est fol. 25. v. sub rubrica: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu xti, quem fecit Bonaventura frater Ordinis Minorum.* Desinit fol. 37. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

37. *Ibidem*, cod. 853. progress. 580. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 15. r.: *Incipit prologus in librum de vita et conversatione Iesu xti, compositum per fratrem Bonaventuram Ordinis Minorum. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 35. r. ut in editis.

38. *Ibidem*, bibliotheca Seminarii, cod. R. VII. 3. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 8. r. praemittuntur opusculo eadem prorsus verba, quae habet cod. praecedens. Desinit fol. 29. r.: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit sermo doctrine Bon.*

39. *Aureliis* (Orleans) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 190. chart. in 8. saec. XV. — Continet opusculum de Ligno vitae secundum ideam sancti Bonaventurae, servatis iisdem titulis, sed reliqua valde sunt ampliata. Incipit sine titulo et sine nomine auctoris: *Iesus Xtus heri et hodie.*

40. *Ibidem*, cod. 166. membr. in 4. saec. XV, de quo cod. locuti sumus supra pag. XII n. 33. — Initium huius opusculi est fol. non numerato r. sub titulo: *Incipit tractatus de arbore Crucis a fratre Bonaventura cardinali compilatus.* Desinit fol. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

41. *Avenione* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 253. chart. saec. XV. — Initium opusculi est fol. 2. sic expressum: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu xti a sancto Bonaventura.* Desinit fol. 26. r. ut in editis.

42. *Ibidem*, cod. 215. membr. saec. XV. exeuntis. — Fol. 43. r. in superiore margine opusculo praemittitur sequens rubrica: *Incipit liber vite spiritualis, videlicet de arbore crucis, compilatus a fratre devotissimo Bonaventura. Xto confixus sum cruci* etc. Explicit fol. 63. r. verbis: *per infinita secula seculorum. Amen.*

43. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. X. 26. membr. in 12. plurium aetatum. — Hoc opusculum est exaratum saec. XV. ante medium, incipit fol. 4. v. sine titulo: *Xto confixus sum cruci* etc., et implet folia 14 cum dimidio. Fini subiicitur: *Explicit tractatus Bonaventure, generalis quondam Ministri Ordinis Fratrum Minorum, de Ligno vite.*

44. *Brugis*, bibliotheca Civitatis, cod. 303. membr. saec. XIV. exeuntis. — Fol. non numerato r. scribitur: *Incipit prefatio in libro Ligni vite*, omisso nomine auctoris. Desinit fol. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

45. *Brunopoli* (Braunschweig), bibliotheca Civitatis, cod. 117. chart. in 4. — Fol. r. non numerato praemittitur huic opusculo: *Incipit Lignum vite, quod fecit frater Bonaventura.* Desinit fol. v. ut in editis. Hinc: *Explicit Lignum vite, quod fecit frater Bonaventura. Anno Domini MCCCLXIIII. est completus.*

46. *Ibidem*, cod. 141. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 30. v. posterior manus praemisit opusculo: *Incipit tractatus de Religione*, sed antiqua notaverat a latere: *Incipit tractatus de Ligno vite*, eademque notantur in fine fol. 56. r. post verbum *Explicit*, omisso nomine auctoris.

47. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 2057-62. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Lignum vitae incipit fol. non numerato r. sine ulla indicatione, et sic pariter desinit post 16 folia.

48. *Ibidem*, cod. 1181-3. membr. in 12. — Incipit fol. non numerato his verbis: *Bonaventura de arbore Crucifixi.* Desinit fol. ultimo cod. cum hac additione: *Explicit tractatus de Ligno vite compositus a fratre Bonaventura Generali Fratrum Minorum. Anno Domini 1454. mensis Septembris die 12.*

49. *Ibidem*, 19610. membr. in 12. saec. XIV, de quo verba fecimus supra pag. XIII n. 50. — Fol. 8. v.: *Incipiunt laudes sanctissime crucis.* Post quas fol. 10. r. praemittitur: *Assit principio sancta Maria. Incipit praefatio in opere sequenti. Xto confixus sum Cruci* etc. Desinit fol. 25. v., ubi adduntur haec verba: *Explicit Lignum vite, quod fecit Bonaventura Generalis Minister Fratrum Minorum. Detur scriptori non sine laude mori.*

50. *Burdigalae* (Bordeaux) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 111. membr. in 4. saec. XV. — Est titulus huius opusculi fol. 252. r. sub sequenti rubrica: *Incipit prologus in libro de Ligno vite, fratris Bonaventure, de Ordine Minorum.* Desinit fol. 202. r. ut in editis.

51. *Ibidem*, cod. 311. membr. in 8. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit sine ullo titulo fol. 149. r.: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 160. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

52. *Campolilii* (Lilienfeld) in Austria, bibliotheca Monasterii Ordinis Cisterciensium, cod. 137. iam descriptus tom. V. pag. XXVIII n. 24. — Hoc opusculum est fol. 285. sub hac indicatione: *Incipit liber eiusdem de Ligno vite.* Desinit fol. 290. v. cap.: *Iesu, victor magnificus*, ad verba: *tradentur in manus gladii partesque vulpium erunt.* Vide infra pag. 84 n. 43.

53. *Cantabrigiae*, bibliotheca Universitatis, cod. F. f. VI. 24. membr. in 12. saec. XV. — Fol. 93. r. in superiore margine legitur: *Incipit tractatus de arbore salutifere crucis Domini nostri Iesu Xti a domino Bonaventura compositus. Et primo ponitur prologus.* Fol. 123. r. desinit his verbis: *Explicit tractatus de arbore sancte crucis. Sequitur laus salutifere*

crucis eiusdem, cum petitione septem donorum Spiritus sancti. O crux fructex salvificus etc.

54. *Ibidem*, bibliotheca domus sancti Petri, cod. 2. 0. 7. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 268. v.: *Incipit prologus venerabilis Bonaventure de Ligno vite.* Eadem verba occurrunt in fine opusculi fol. 216. v. post *Explicit.*

55. *Carolopoli* (Charleville) in Gallia, cod. 16. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. non numerato post alia opera est hoc opusculum indicatum his verbis: *Incipit liber de vita et conversatione Domini nostri Iesu Xti.* Hinc, omisso textu Scripturae: *Verus Dei cultor Xtique discipulus* etc. Desinit ut in editis. In fine huius folii leguntur haec verba: *Iste liber fuit perscriptus anno Domini M. CCCXXXVII. in festo B. Gengulphi.*

56. *Colmariae*, bibliotheca Civitatis, cod. membr. in 8. saec. XV. olim Monasterii Parisiensis, de quo egimus supra, pag. XIII n. 58. — Opusculum hoc incipit fol. 2. r. sine titulo, verbis: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 20. r. ut in editis.

57. *Ibidem*, cod. 15. chart. in 16. saec. XV. — Initium huius opusculi est fol. 45. r. his verbis expressum: *Incipit arbor meditationis fratris Boneventure de vita Christi.* Desinit fol. 74. hoc modo: *Explicit arbor meditationis de vita Christi, celebratissimi fratris domini Bonaventure Ordinis Minorum, apostolicae Sedis cardinalis per me fratrem Ioannem Hecht, anno Domini 1501.* Et infra: *Frater Paulus Provincialis Fratrum Ordinis sancti Pauli primi heremite, de sancta Cruce.*

58. *Coloniae*, bibliotheca Seminarii, cod. LIII. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 87. r.: *Incipit liber, qui appellatur Lignum vite. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 101. r. per verba: *Explicit liber de Iesu, qui appellatur Lignum vite Bonaventure.*

59. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis Iagellonicae, cod. 1298. AA. I. 15, de quo vide supra pag. XIV n. 61. — Opusculum incipit pag. 390 sine titulo: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit pag. 416 ut in editis, inde subiicitur: *Explicit Lignum vitae Bone venture in nomine Domini nostri Iesu Xti. anno Domini MCCCCV.*

60. *Cremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Patrum Ord. S. Benedicti, cod. 231. membr. in fol. saec. XIV. post medietatem. — Fol. 37. r. est rubrica: *Incipit Lignum vite Bonaventure cardinalis.* Desinit fol. 52. v. verbis: *per infinita secula seculorum. Amen.*

61. *Ibidem*, cod. 277. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 79. r. sub eodem titulo, quo praecedens, et desinit fol. 89. v. ut in editis, addito: *Explicit Lignum vite.*

62. *Darmstadiae*, bibliotheca Ducalis, cod. 2481. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 213. est rubrica his verbis expressa: *Incipit prologus in tractatum de Ligno vite. Xto confixus sum cruci.* Desinit fol. 230. r.: *Explicit tractatus venerabilis fratris Bonaventure de Ligno vite.*

63. *Ibidem*, cod. 1021. membr. in 4, quem descripsimus iam supra pag. XIV n. 66. — Fol. 54. r.: *Incipit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bonaventura duce et generali Magistro Fratrum Minorum, cardinali episcopo tituli Albanensis et sacre theologie doctore eximio.* Desinit fol. 62. his verbis: *Finitus est hic liber anno Domini 1430. in completo, feria 4. ante festum Pasche, scilicet 12. die Aprilis.*

64. *Ibidem*, cod. 2662. chart. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu Xti, qui appellatur Lignum vite, compilatus a fratre Bonaventura.* Desinit fol. 27. v. ut in editis. Hunc codicem notavimus etiam tom. V. pag. XXIX n. 35.

65. *Ibidem*, cod. 2777. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 45. r. legitur haec rubrica: *Laudes sancte crucis.* Est sequentia: *O crux, fructex salvificus*, notis musicis ornata pro cantu, quae decurrit usque ad finem eiusdem folii; inde opusculo praemittuntur haec verba tantum: *Assit principio sancta Maria meo. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 51. v. his verbis: *Explicit Lignum vite, quod fecit Bonaventura Generalis Minister Fratrum Minorum. Detur scriptori non sine laude mori.*

66. *Ducumburgi* (Herzogenburg) in Austria, bibliotheca Canoniae, cod. 16. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Lignum vitae locum habet post alia fol. 143, praemisso: *Incipit contemplacio fratris Bonaventure de sancta cruce*, et desinit fol. 183. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

67. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 152. Gadd. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 1. r. sine titulo et sine nomine auctoris: *Xto confixus sum*, et sic pariter desinit fol. 71. r. Sequitur immediate quaedam devota oratio, quae incipit: *Scio, dulcissime Domine Iesu Xte, quod non sit speciosa laus in ore peccatoris* etc., et clauditur his verbis: *Placeat itaque bonitati tue de multitudine miserationum tuorum, conferre mihi peccatrici indigne memoriam devotam passionis tue, consummationem perfectam penitentie incepte in letissima societate tua et reverende Genitricis tue et sancti Francisci patris nostri et omnium Electorum. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.*

68. *Gandavi* (Gant) in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 291-291. membr. in 12. saec. XV, quem etiam recensuimus tom. V. pag. XXIX n. 42. — Fol. 23. r.: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu Xti, quem fecit Bonaventura frater Ordinis Minorum.* Desinit fol. 34. r.: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit.*

69. *Gedani*, bibliotheca Ecclesiae sanctae Mariae, cod. 62. progress. scrin. 294. chart. et ex parte membr. in fol. saec. XV. circa medietatem. — Fol. 111. r.: *Incipit prologus in opusculo fratris Bonaventure, quod dicitur Lignum vite.* Desinit fol. 119. r. addito: *Explicit Lignum vite.*

70. *Ibidem*, cod. 10. progress. scrin. 55. membr. in fol. saec. XV. circa medietatem, ut iam notavimus supra pag. XV n. 82. — Opusculum incipit fol. 141. r. sub titulo: *Lignum vite.* Desinit fol. 147. r. additis verbis: *Explicit Lignvm vite*, sine nomine auctoris.

71. *Ibidem*, bibliotheca Civitatis, cod. XX. B. 360. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 190. r.: *Incipit lignum vite*, ac finit fol. 204. v.: *Explicit Lignum vite*, omisso etiam in hoc codice nomine auctoris.

72. *Gottvici* (Göttweig), bibliotheca Monasterii, cod. 292. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 15. r. est rubrica: *Tractatus domini Boneventure de Ligno vite vel de arbore crucis. Xto confixus sum cruci.* Desinit fol. 166. r. ut in impressis.

73. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 577. chart. in fol. saec. XV. — Fol. r. non numerato praemittitur huic opusculo: *Incipit Lignum vite.* Desinit fol. v. ut in editis: *per*

infinita secula seculorum. Amen. Hinc additur: *Explicit Lignum vite*, omisso, ut in principio, auctoris nomine.

74. *Gripswaldiae*, bibliotheca Rubenon in Ecclesia S. Nicolai, cod. E. 38. VIII. chart. in fol. saec. XV, de quo egimus etiam supra pag. XXX n. 74. — Titulus huius opusculi est fol. 87. v. sic expressus: *Incipit Boneventura in librum Lignum vite.* Desinit fol. 96. r. his verbis: *Explicit Bonaventura de Ligno vite.*

75. *Hafniae* in Dania, bibliotheca Regia, cod. 1367. in 4. chart. saec. XV. — Lignum vitae incipit fol. 1. r. sine titulo: *Xto confixus sum*, et desinit fol. 11. v. ut in editis; additur sequentia: *O crux, fructex salvificus.*

76. *Ibidem*, cod. 3393. in 8. chart. saec. XV. exeuntis, de quo locuti sumus supra pag. XXX n. 80. — Fol. 122. v.: *Incipit tractatus sancti Bonaventure, qui vocatur: Lignum vite.* Eadem repetuntur in fine post *Explicit*, fol. 149.

77. *Hallae*, bibliotheca Universitatis, cod. theol. y. c. 2. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 36. r. in superiore margine praemittuntur opusculo haec verba: *Incipiunt meditationes Bone venture de dulcissimo nomine Iesu xti.* Hinc: *Xto confixus sum cruci.* In fine fol. 73. r. additur: *Expliciunt meditationes Bone venture.*

78. *Hamburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. II. pag. 61 n. 5. in 8. chart. saec. XV. iam descriptus tom. V. pag. XLIV n. 19, de quo vide et supra pag. XXX n. 77. — Titulus huius opusculi est fol. 63. r. sic expressus: *Incipit tractatus eiusdem sancti Bonaventure de arbore crucifixi.* Desinit fol. 88. r.: *Finit tractatus de arbore Crucifixi.*

79. *Hannoverae*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. 21. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 42. v.: *Incipit arbor vite venerabilis Bonaventure.* Desinit fol. 53. v.: *Explicit tractatus de Ligno vite editus a fratre Bona ventura generali Ministro Fratrum Minorum.*

80. *Heidelbergae*, bibliotheca Universitatis, cod. Schrank VIII. n. 43. chart. in 4. saec. XV. circa medietatem, ut iam notavimus supra pag. XV n. 96. — Fol. 144. r. in superiore parte legitur: *Incipit prologus in Lignum vite Bone venture.* Post prologum iterum: *Incipit liber.* Desinit fol. 163.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

81. *Leodii*, bibliotheca Seminarii maioris, cod. 6. L. 19. miscell. in 12. saec. XV. — Fol. 5. r. incipit sub hac rubrica: *Bonaventura de arbore Crucifixi. Xto confixus sum cruci* etc. Decurrit per folia 33 et desinit cum hac additione: *Explicit Bonaventure tractatulus de arbore Crucifixi, tractans compendiose de vita, passione et glorificatione Xti, paucis et ordinatis et correspondentibus sibi verbis compactus propter facilitatem memorie, ad fovendam devotionem et edificandam fidei pietatem. Deo gratias.*

82. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina Universitatis, cod. 726. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 132. r.: *Incipit Lignum vite Bone venture.* Opusculum decurrit usque ad fol. 138. r., ubi desinit verbis: *Explicit Lignum vite Bone venture.*

83. *Ibidem*, cod. 864. membr. in 8. saec. XIV. — Lignum vitae incipit fol. r. non numerato a rubrica: *Iesus promissus Patribus. Expergiscere proinde, anima xto devota* etc. Prosequitur ut in editis, deinde sequitur prologus in principio omissus, sine ulla alia indicatione tituli vel auctoris.

84. *Londini*, collectio Harleana, cod. 3227. membr. in 4. saec. XV. exeuntis. — Titulus huius opusculi est fol. 27. v. exaratus: *Incipit tractatus fratris Bonaventure de Ligno vite.* Desinit fol. 47. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

85. *Ibidem*, cod. 3995. membr. in 4. saec. XV, de quo egimus et tom. V. pag. XXII n. 104. — Incipit hoc opusculum fol. 43. r. sine ulla indicatione: *Xto confixus sum cruci* etc.; sic pariter desinit fol. 50. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

86. *Ibidem*, cod. 1801. membr. in 8. saec. XIV, ut descripsimus tom. V. pag. XXII n. 106. — Fol. 63. v. manus posterioris saeculi scripsit: *Incipit meditatio sive contemplatio fratris Bonaventure.* Desinit fol. 73. r. ut in editis et infra repetuntur eadem, quae supra.

87. *Ibidem*, collectio Regia, cod. 11. B. III. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 281. r. sub titulo a posteriore manu exarato: *Compilatio de actibus Xti secundum Bonaventuram.* Hinc: *Verus Dei cultor* etc. Desinit fol. 289. r. ut in editis.

88. *Ibidem*, collectio Arundeliana, cod. 507. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. legitur a prima manu exaratum: *Incipit expositio XII ramorum Ligni vite. Xto confixus sum Dei* (sic) *cruci* etc. Desinit fol. 10. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.* Alia folia huius opusculi sunt scripta saeculo XIV, alia vero saeculo XV.

89. *Ibidem*, collectio Cottoniana, cod. Vespasianus E. I. membr. saec. XV. — Fol. 204. r.: *Tractatus contemplativus de Cruce Xti, quem frater de Bona fortuna composuit.* Desinit fol. 219. r. ut in editione.

90. *Ibidem*, cod. additionalis 15404. Musaei Brittannici iure emptionis, miscell. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. r. rubris litteris praemittitur: *Incipit tractatus Bone fortune, qui intitulatur Lignum vite. Xto confisus sum cruci.* Desinit ut in editis fol. 18. v.

91. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 8. chart. in 4. saec. XV. post medium, iam descriptus tom. V. pag. XXII n. 109. — Initium huius opusculi est fol. 96. r. per haec verba expressum: *Bonaventura de arbore Crucifixi. Incipit prefatio. Xto confixus sum* etc. Finis vero occurrit fol. 117. v. ut in editis.

92. *Mantuae* in Italia, bibliotheca Civitatis, cod. 163. B. I. 18. membr. in 8. saec. XV. — Inter alia opuscula complectitur et *Lignum vite Bonaventure.* Incipit et desinit ut in editis.

93. *Medelcii*, bibliotheca Monasterii, cod. E. 42. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit tractatus magistri Bone venture de arbore crucis et Ligno vite.* Etiam in fine fol. 14. r. additur: *Explicit liber de arbore sancte crucis vel Ligno vite Iesu xti.*

94. *Ibidem*, cod. II. 86. chart. in 12. saec. XV. — Opusculum notatur fol. 67. v. sub hac rubrica: *Incipit tractatus magistri Boneventure de arbore crucis et Ligno vite*; clauditur fol. 100. v. his verbis: *Explicit liber de arbore sancte crucis.*

95. *Ibidem*, cod. G. 19. chart. in 4. saec. XV. circa medium. — Incipit fol. 208. sub sequenti rubrica: *Liber iste intitulatur Lignum vite.* Desinit fol. 231. v.: *per infinita secula seculorum. Amen. Finis illius tractatus, qui dicitur Lignum vite.*

96. *Ibidem*, cod. Q. in 4. chart. saec. XV. — A fol. 203. r. usque ad finem fere omnia leguntur, quae in Ligno vitae

scripsit Bonaventura circa passionem Iesu Christi. Desinit n. 32. nostrae editionis, verbis... *deflentes senserunt. Amen. Et sic est finis huius opusculi finitum per Iohannem etc. XI. die mensis Ianuarii... anno ab incarnatione Domini 1422.*

97. *Merseburgi*, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. 29. chart. in fol. saec. XV. — Titulus est fol. 274. r. sequentibus verbis expressus: *Incipit opusculum fratris Boneventure, quod dicitur Lignum vite.* Desinit fol. 285. ut in editione.

98. *Metis* in Lotharingia, bibliotheca Civitatis, cod. 492. chart. in 8. parvo saec. XV. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit Prologus in libro de vita et conversatione Xti, quem fecit Bona ventura. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. v. non numerato: *per infinita secula seculorum. Amen.*

99. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. 142. progress. LXXXII. chart. saec. XV. — Lignum vitae incipit fol. 83. r. praemissis tantum titulis capitum, desinit ut in edito, fol. 95. v.

100. *Ibidem*, cod. 156. progress. LXXXX. chart. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 9. r. sine titulo: *Xto confixus sum cruci.* Convenit cum edito tantum prologus, cetera dissentiunt.

101. *Ibidem*, cod. 563. progress. CCCXVII. chart. in 8. saec. XV, de quo egimus tom. V. pag. XXX n. 69. et supra pag. XXXIII n. 129. — Fol. 100. r. huic opusculo praemittitur: *Lignum vite incipit hic. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit ut in editis fol. 132. r.

102. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 5014. chart. in fol. saec. XV, de quo verba fecimus tom. V. pag. XXX n. 72. et supra pag. XVIII n. 154. — Fol. 134. r. est titulus huius opusculi expressus: *Incipit tractatus domini Bonaventure de Ligno vite, alias de arbore crucis.* Desinit ut in editis fol. 168. v.

103. *Ibidem*, cod. 18650. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 136. v. sub titulo: *Tractatus domini Bonaventure de Ligno vite vel de arbore crucis.* Desinit fol. 152. r.: *in secula seculorum. Amen.*

104. *Ibidem*, cod. 8496, de quo vide quae scripsimus tom. V. pag. XXIII n. 129. — Lignum vitae incipit fol. 122. r. sine ullo titulo, desinit fol. 142. v. verbis: *Explicit opusculum fratris Bonaventure, plenum omni devotione de duodecim fructibus Ligni. Deo gratias. Anno 1446. in Vigilia sancti Leonardi confessoris.*

105. *Ibidem*, cod. 8826. iam descriptus tom. V. pag. XXIII n. 132. — Opusculum incipit fol. 291. sub rubrica: *Lignum vite Bonaventure.* Desinit fol. 428. r. hoc modo: *Explicit Lignum vite Iesu xti Bonaventure.*

106. *Ibidem*, cod. 1329. chart. in fol. saec. XV. — Incipit fol. 112. r. titulo: *Fasciculus mirre;* hinc: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 120. r. ad verba: *donum fortitudinis, quo impugnantium hostium...* infra pag. 86 n. 49.

107. *Ibidem*, cod. 3702. chart. saec. XV. — Opusculum incipit absolute fol. 25. r.: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit ut in editis fol. 50. r. sine alia indicatione.

108. *Ibidem*, cod. 7488. chart. in fol. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 350. r. sub hac rubrica: *Bonaventura de XII fructibus Ligni vite.* Desinit fol. 363. r. addito: *Explicit opusculum Boneventure plenum omni devotione, de duodecim fructibus Ligni vite.* Sequitur: *O crux, fructex salvificus.*

109. *Ibidem*, cod. 8439. iam descriptus tom. V. pag. XXVIII n. 4. et supra pag. XI n. 8. — Fol. 166. r. est titulus huius opusculi sic exscriptus: *Incipit tractatus eiusdem fratris Bonaventure de Ligno vite. Proemium in opus sequens.* Desinit fol. 173. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

110. *Ibidem*, cod. 17319. chart. in 8. saec. XVI. — Fol. 87. v.: *Incipit tractatus sancti Bonaventure, qui vocatur Lignum vite.* Est prologus tantum, qui decurrit usque ad folium 88. v. et verba: *in duobus supremis et postremis versiculis postulatus. Et sic est finis prologi. Prosecutionem seu residuum huius tractatus quere in fine libri.*

111. *Ibidem*, cod. 23449. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 16. r.: *Incipit tractatus fratris Boneventure de Ligno vite. Prohemium in opus sequens.* Desinit fol. 33. v. ut editi; additur: *Explicit arbor de Ligno vite fratris Bone venture.* De hoc cod. locuti sumus etiam tom. V. pag. XXXIV n. 7.

112. *Monasterii* in Borussia, bibliotheca Paulina, cod. 345. membr. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 21. r. est rubrica: *Incipit tractatus sancti Bonaventure, qui vocatur Lignum vite.* Eadem repetuntur in fine fol. ultimo codicis post *Explicit,* quibus additur: *Deo gratias.*

113. *Namurci* (Namur) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 104. miscell. in 4. saec. XV, de quo egimus supra pag. XXXIV n. 155. — Opusculum hoc incipit fol. 28. r., praemissa hac rubrica: *Lignum vite, quod composuit frater Boneventura Ordinis Minorum minister generalis et postmodum cardinalis.* Desinit fol. ultimo ut in editis.

114. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. V. F. 18. miscell. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit Lignum vite.* Librarius posterioris aevi addidit: *sancti Bonaventure.* Desinit ut in editis.

115. *Neoburgi (Claustro)*, bibliotheca Canoniae, cod. 251. chart. in fol. saec. XIV. iam descriptus tom. V. pag. XLVII n. 13. — Opusculum de Ligno vitae incipit fol. 98. r. sine titulo et nomine auctoris et desinit fol. 106. r. ut in editis sine alio additamento.

116. *Ibidem*, cod. 800. membr. in 4. saec. XIV. — Titulus opusculi est fol. 52. v. his verbis expressus: *Incipit tractatus eiusdem fratris Bone venture de Ligno vite. Prohemium in opus sequens. Xto confixus sum cruci.* Desinit fol. 66. r. ut in editis.

117. *Ibidem*, cod. 944. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis, de quo egimus etiam supra pag. XXXIV n. 161. — Fol. 136. opusculo praemittitur rhythmus: *O Crux, fructex salvificus,* cum hac inscriptione: *Incipit de bono* (alia manus correxit *nomine) Iesu, factus et compositus per magistrum Bonaventuram Ordinis Fratrum Minorum.* Desinit ut in editis fol. 168. r. sine alia additione.

118. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 193. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 136. incipit cum hoc titulo: *Sermo Boneventure de arbore Ligni vite.* Clauditur fol. 146. v. his verbis: *Libro finito, sit laus et gloria Xto.*

119. *Olomutii* in Moravia, bibliotheca Regia, ms. II. h. 17. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. r. non numerato: *Incipit tractatus Bonaventure, qui dicitur Lignum vite.* Desinit ut in editione, additur: *Eodem anno, ut supra* (supra ad calcem operis praecedentis notatur annus 1492), *Sabbato ante Callixti pape et Martyris.*

120. *Ibidem*, ms. II. h. 18. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculo praemittitur eadem rubrica, quae in praecedenti, et in fine post *Amen* additur tantum: *Feria secunda in die Conversionis sancti Pauli.* In fine anterioris operis legitur: *Finit feliciter per fratrem Benedictum, anno Domini millesimo quatrincentesimo nonagesimo quarto, feria sexta in die sancti Marci Evangeliste.*

121. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. 222. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 1. r. sine ullo titulo: *Xto confixus sum cruci.* Desinit: *per infinita secula seculorum. Amen. Amen. Amen.*

122. *Ibidem*, cod. II. g. 17. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Circa finem voluminis fol. non numerato incipit hoc opusculum sine titulo et prosequitur ut in editis; ad calcem subiungitur: *Explicit libellus dictus Lignum vite*, tacito nomine auctoris.

123. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Bodleiana, cod. Canonic. 328. chart. in 4. — Fol. 1. r. legitur tantum: *Arbor Ligni vite;* hinc sequitur: *Xto confixus sum cruci* etc. Opusculum protrahitur usque ad fol. 18. v. et desinit ad verba: *nos omnes accepimus. Cui sit laus et gloria in secula seculorum. Amen. Explicit liber, qui dicitur Lignum vite, quem inseruit nobis egregius contemplator evangelice veritatis transportans ex silva Bonaventura Minorum. Anno Domini m. cccc. xlv. die 12. Iunii.*

124. *Ibidem*, ex collectione Rawlinsoniana, class. c. cod. 116. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 87. r.: *Incipit meditatio de operibus Salvatoris secundum fratrem Bone aventure Ministrum generalem Fratrum Minorum.* Haec eadem repetuntur in fine, qui occurrit fol. 90. r.

125. *Ibidem*, bibliotheca Laudiana, cod. miscell. 181. iam descriptus tom. V. pag. XLIII n. 2. — Fol. 122. r. ab alia manu praemittitur opusculo haec rubrica: *Incipit liber Ligni vite, quem fecit frater Bonaventura.* Desinit fol. 131. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.* Deinde rubris litteris additur: *Qui scripta sua dextera sit benedicta. Explicit expliceat, ludere scriptor eat.*

126. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 3473. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 80. est depictum lignum vitae ad modum arboris, cum omnibus ramis et fructibus, sed absque Cruce et crucifixo, opus est prorsus anonymum, sed convenit cum impresso.

127. *Ibidem*, cod. 10630. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 151. r. praemittuntur: *Laudes sancte crucis.* Inde: *Assit principio sancta Maria meo. Xto confixus sum cruci* etc. Post prologum iterum legitur: *Hic incipit explanatio prime et infime expansionis arboris, in qua Salvatoris origo describitur. Primus fructus. Preclaritas originis. Expergiscere anima* etc. Prosequitur usque ad fol. 159. r., ubi subiicitur: *Explicit Lignum vite, quod fecit Bonaventura generalis Minister Fratrum Minorum. Detur scriptori non sine laude mori.*

128. *Ibidem*, cod. membr. in 8. saec. XV, de quo vide supra pag. XX n. 193. — Fol. 15. v. legitur: *Sequitur tractatus de arbore crucis a fratre Bonaventura bone memorie compositus.* Desinit fol. 32. v. cum hoc additamento: *Explicit libellus de arbore Crucis compositus a fratre Bonaventura, cuius memoria sit in eternum.*

129. *Ibidem*, cod. 14978. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 115. r. a prima manu praemittitur: *Incipit prologus de vita et conversatione Iesu xti. Verus Dei cultor xtique discipulus* etc. Desinit fol. 132. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

130. *Perusii*, bibliotheca Communalis, cod. sine sign. chart. saec. XV. — Fol. 2. r. alia manus posterior praemisit: *Vita xti secundum Bonaventuram. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit verbis: *per infinita secula seculorum. Amen.*

131. *Placentiae* in Italia, bibliotheca Civitatis, cod. Land. 77. membr. in 8. parvo saec. XIV. — Fol. 32. r.: *Incipit tractatus fratris Bonaventure super meditatione de arbore a se facta.* Posterior manus verbis *a se facta* substituit: *vite Domini nostri Iesu xti.* Desinit fol. 48. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

132. *Portu* in Portugallia, bibliotheca Municipalis, cod. 825. membr. in fol. saec. XIII, de quo locuti sumus tom. V. pag. XXIV n. 170. — Lignum vitae incipit fol. 109. r. sine ulla indicatione: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 112. v. ad verba pag. 75 n. 17: *Verum licet inexplicabilis fuerit proditoris impietas...* Cetera fuerunt avulsa.

133. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. XIVC. 24. membr. in folio. — Incipit hoc opusculum fol. 31. r. sine titulo: *Xto confixus sum cruci* etc. Et desinit fol. 42. r.

134. *Ibidem*, cod. I. F. 13. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis; in opere sequenti ab eodem librario exarato notatur: *Anno Domini MCCCLXXXIX.* — Hoc opusculum incipit fol. 28. r. sub titulo a manu posterioris saeculi exarato et desinit fol. 38. r., addito: *Explicit tractatus, qui dicitur Lignum vite*, alia manus posterior subiungit: *Sancti Bonaventure.*

135. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani cod. O. XXI. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 26. r.: *Incipit liber Bonaventure, qui dicitur Lignum vite, et est valde pulcher et utilis.* Desinit fol. 40. v., addito tantum: *Explicit Lignum vite Bonaventure.*

136. *Ratisbonae*, bibliotheca Civitatis, cod. N. 351. chart. in 8. saec. XV. — Incipit fol. r. sub rubrica a prima manu praemissa: *Tractatus Boneventure cardinalis de vita xti.* Desinit fol. v. cum hac additione: *Finis tractatus, xto confixus sum.*

137. *Regimontii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1144. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opusculum est fol. v. non numerato hac sub rubrica: *Incipit contemplatio fratris Bone venture de cruce sancta.* Desinit ut in editis.

138. *Remis* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. F. 474-475. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 237. r. incipit opusculum sine titulo: *Xto confixus sum cruci*, et desinit fol. 243. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

139. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. Urbin. 121. membr. in fol. saec. XV, ut notavimus tom. V. pag. XXIV n. 181. — Fol. 282. r. est titulus: *Arbor quaedam Bonaventure Ordinis Minorum feliciter incipit.* Hinc omisso textu Scripturae prosequitur: *Verus Dei cultor xtique discipulus* etc. Desinit fol. 288. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

140. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. D. VI. 12. — Recens manus praemisit opusculo: *D. Bonaventura in commendationem sanctissimi nominis Iesu.* Incipit et desinit ut in editione.

141. *Ibidem*, bibliotheca principum Corsinorum, cod. XLI. E. 28. membr. saec. XIV. — Fol. 140. v. est rubrica: *Incipit*

liber Bonaventure de Balneo regio Ordinis Minorum, qui dicitur liber Ligni vite, in quo agitur de vita, passione et glorificacione Domini nostri Iesu Xti. Incipit prologus. Desinit fol. 159. v. ut in editione.

142. *Ibidem,* bibliotheca Vaticana, cod. 1058. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 26. v. legitur: *Incipit prologus in librum Ligni vite Bone Venture. Verus Dei cultor* etc. Post prologum habetur: *Oratio Bone venture. Oramus igitur,* quae in editis est ad calcem opusculi. Desinit fol. 41. r. per verba: *nos omnes accepimus. Explicit vita et conversatio Domini nostri Iesu Xti.*

143. *Ibidem,* bibliotheca Collegii S. Isidori, cod. chart. in 12. saec. XV. exeuntis. — Fol. 3: *Incipit liber editus a Domino Bonaventura de Ligno vite.* Desinit fol. 24: *ad laudem sanctissimi nominis tui, cui cum Patre* etc.

144. *Ibidem,* bibliotheca Vaticana, cod. Reginae Sueciae 62. membr. saec. XIV, de quo egimus et tom. V. pag. XXIV n. 188. — Opusculum incipit sine titulo fol. 163. v. per verba: *Verus Dei cultor* etc. Desinit fol. 181: *per infinita secula seculorum. Amen.*

145. *Sancti Floriani,* bibliotheca Canonicorum regularium, cod. XI. 285. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 169. v.: *Incipit tractatus fratris Bonaventure de Ligno vite. Prohemium in opus sequens;* et fol. 184. v.: *Explicit arbor de Ligno vite fratris Bonaventure.*

146. *Sancti Galli,* bibliotheca Monasterii, cod. 988. chart. in fol. saec. XV. — Pagina 142 incipit opusculum, omissa rubrica: *Xto confixus sum cruci.* Desinit pag. 151 per haec verba: *Explicit Lignum vite, in die sancti Antonii confessoris precipui. Anno Domini 1467 in Ravenspurg.*

147. *Ibidem,* cod. 680. chart. in 4. saec. XV. — Pagina 343 pro titulo opusculi legitur:

« En, Lignum vite vocor et fructus fero vite,
I prius ex esse reperitur copia Ihesu ».

Xto confixus sum Cruci etc. Desinit pag. 371 verbis editionis: *per infinita secula seculorum. Amen.*

148. *Ibidem,* cod. 925. in 4. chart. saec. XV. — Pagina 40 in superiore parte legitur: *Rubrica. Prologus Domini fratris Bonaventure in librum eius, qui intitulatur Lignum vite, cuius figura hic describitur.* Sequitur ut in editis prologus et rhythmus: *O crux, fructex salvificus.*

149. *Ibidem,* cod. 945. chart. in 4. saec. XV. — Pagina 17 praemittitur opusculo: *Sermo Boneventure de arbore Ligni vite. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit pag. 47 verbis editionis, quibus additur: *Explicit sermo.*

150. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Hospital. 15. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 229. r. in parte superiore praemittitur opusculo: *Incipit Lignum vite.* Hinc: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 138. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

151. *Stamsii* (Stams) in Tiroli, bibliotheca Patrum Ord. Cisterciensium, cod. membr. in folio, numero vacat. — Opusculum hoc incipit fol. 77. r. sine ullo titulo: *Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 93. r.; hinc additur: *Et sic habet finem sermo fratris Bonaventure de arbore Ligni vite etc. Anno 1459 completus est sermo iste per me Hermannum decanum in Zurzuch, sexta feria pasce* (sic) *post horam vespertinam.*

152. *Stutgardiae,* bibliotheca Regis privata, cod. ascet. 187. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 78. r.: *Incipit tractatus de arbore vite Bonaventure.* Finem habet fol. 85. v. ut in editis.

153. *Suessionibus* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 113. chart. in 8. parvo, saec. XV. miscellaneus. — Fol. r. non numerato: *Incipit tractatus de arbore salutifere crucis a fratre Bonaventura compositus. Xto confixus sum cruci* etc., ad calcem eadem repetuntur post *Explicit,* quibus additur: *Deo gratias.*

154. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 288. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato alia manus eiusdem aevi opusculo praemisit: *Bonaventura de Ligno vite.* Deinde: *Xto confixus sum cruci.* Desinit fol. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

155. *Ibidem,* cod. 398. chart. in 8. saec. XV. — Post alia opera fol. r. non numerato est titulus huius opusculi exaratus: *Incipit prologus in libro de vita et conversatione Domini nostri Iesu Xti, qui appellatur Lignum vite, compilatus a fratre Bonaventura.* Desinit fol. penultimo codicis ut in editis.

156. *Trecis,* bibliotheca Civitatis, cod. 1397. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 215. r. est titulus opusculi a prima manu exaratus: *Incipit tractatus de arbore crucis a fratre Bonaventura bone memorie compositus.* Eadem leguntur in fine, qui occurrit fol. 227. v., ubi additur: *Ad laudem et honorem Domini nostri Iesu Xti crucifixi.* Sequuntur tituli ad instar schematis ordinati.

157. *Ibidem,* cod. 1891. membr. in 8. plurium aetatum. — Hoc opusculum est saec. XIV. et habet initium fol. 267. r. sub hac rubrica: *Incipit tractatulus Bonaventure de arbore Ligni vite. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 282. v.: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit arbor de vita Iesu Xti.*

158. *Tridenti,* bibliotheca Civitatis, collect. Gentilotti, cod. 240. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. v. non numerato: *Incipit liber crucis editus a Bonaventura Generali Fratrum Minorum, egregio doctore sacre theologie. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. ultimo codicis v. verbis: *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit. Deo gratias.*

159. *Turonibus* (Tours) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 519. in 8. saec. XV, quem etiam descripsimus tom. V. pag. XXXII n. 121. — Hoc opusculum incipit fol. 21. r., cui praemittuntur eadem, quae habentur supra n. 23. in codice Parisiensi. Desinit folio 37. v. ut in editis.

160. *Vindobonae* in Austria, bibliotheca Palatina, ms. 1650. membr. in 4. saec. XIV. — Incipit hoc opusculum fol. 1. r. sine ulla nota, et desinit fol. 16. v., ubi alius scriptor addidit: *Magister Bonaventura.* De hoc codice locuti sumus etiam supra pag. XXIII n. 256.

161. *Ibidem,* ms. 3711. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 204. r. post alia opera est sequens rubrica: *Incipit liber Bonaventure, qui intitulatur Lignum vite eterne.* Eadem repetuntur in fine fol. 214. r. Hic cod. iam notatus est supra pag. XXIII n. 257.

162. *Ibidem,* ms. 4362. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 222., omisso titulo: *Xto confixus sum cruci.* Desinit absolute fol. 231. v. Quaedam de hoc cod. iam diximus supra pag. XXXVII n. 221.

163. *Ibidem*, ms. 4031. chart. in 4. saec. XV, ut notavimus supra pag. XXIII n. 258. — Fol. 76. r.: *Incipit tractatus magistri Bonaventure de arbore crucis et Ligno vite.* Desinit fol. 88. v.: *Explicit tractatus magistri Bonaventure de arbore crucis et Ligno vite in Vigilia beati Benedicti 1452.*

164. *Ibidem*, ms. 4487. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 255. r. legitur: *Sequitur tractatus de Passione domini Bonaventure et dicitur Lignum vite.* Eadem repetuntur in fine, qui occurrit fol. 273. r.

165. *Ibidem*, ms. 1062. membr. in 4. saec. XIV, de quo egimus tom. V. pag. XXXIII n. 126. — Lignum vitae incipit fol. 112. r. sine ullo titulo et desinit fol. 117. r. per verba: *decus et imperium per infinita secula. Amen.*

*166. *Ibidem*, ms. 2511. membr. in 8. saec. XIV, quem descripsimus tom. V. pag. XXXIII n. 128. et supra pag. XXIII n. 262. — Titulus huius opusculi est fol. 116. v. expressus: *Incipit tractatus eiusdem fratris Bonaventure de Ligno vite. Prohemium in opus sequens. Xto confixus sum cruci* etc. Desinit fol. 128. r.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

167. *Ibidem*, bibliotheca Conventus sanctissimae Trinitatis Minorum Conventualium, cod. III. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Fol. non numerato, praemissa sequentia: *O Crux, fructex salvificus*, ponitur rubrica: *Compilacio domini Boneventure de vita et passione Xti, ac de eius glorificatione per similitudinem arboris.* In fine opusculi additur: *Explicit Lignum vite fratris Bonaventure de Ordine Fratrum Minorum.*

168. *Ibidem*, bibliotheca Patrum Ord. S. Benedicti dict. Scotorum, cod. 53. b. 13. (304) chart. in 4. saec. XIV. — Circa medietatem voluminis fol. v. non numerato: *Incipit Lignum vite Bonaventure cardinalis Ordinis Fratrum Minorum.* Opusculum prosequitur ut editi, ad calcem subiicitur: *Explicit tractatus peroptimus seu opusculum de arbore crucis, Ligno vite scilicet domini Bonaventure cardinalis Ordinis Minorum, doctoris pereximii.* Notandum vero, quod verba, quae praecedunt et sequuntur opusculum, exarata fuerunt a manu saeculi XV.

169. *Ibidem*, bibliotheca Imperatoris privata, cod. 7949. chart. in 8. saec. XV. iam supra notatus pag. XXXVII n. 235. — Fol. 140. v.: *Incipit liber arboris etc. Boneventure de Balneo regio.* In fine fol. 186. v. additur: *Explicit tractatus de Ligno vite fratris Boneventure.*

170. *Ibidem*, cod. 7936. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r. in superiore margine manus posterioris saeculi praemisit opusculo: *Incipit tractatus Boneventure de Ligno vite.* Desinit fol. 44. v.: *per infinita secula seculorum. Amen.*

171. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, cod. class. VI. 4. membr. in 12. saec. XV. circa finem. — Fol. 179. incipit opusculum, omisso prologo, a rubrica: *Iesus, ex Deo genitus. Patrem siquidem misericordiarum* etc. Desinit fol. 196. v. verbis: *qui super te in omni plenitudine requievit. Amen.*

172. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. 452. Helm. chart. in 4. saec. XV, de quo egimus tom. V. pag. XXXIII n. 134. — Fol. 102. v.: *Incipit liber, qui dicitur Lignum vite.* Desinit fol. 110. r.: *Explicit arbor Crucifixi*, omisso auctoris nomine.

173. *Ibidem*, cod. 243. Extrav. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 1. r. est titulus huius opusculi verbis: *In nomine domini nostri Iesu Xti incipit expositio arboris vite composita a fratre Bon* (ceterae litterae nominis fuerunt abrasae) *Ordinis Fratrum Minorum. Xto confixus sum cruci* etc. Singulis in titulis praefigitur imago depicta, ipsis respondens. Desinit fol. 19. r. verbis: *Finito libro, sit laus et gloria Xto.*

174. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. class. in fol. 275. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 250. r. sub titulo: *Tractatus de arbore Crucis Bonaventure.* Desinit fol. 259. r. per verba: *Explicit opusculum de arbore Crucis Bonaventure, vitam et conversationem domini nostri Iesu Xti in se pulcre continens.*

175. *Ibidem*, cod. I. class. in 8. 43. membr. saec. XIV. — Opusculum incipit fol. 155., praemisso indice rubricarum: *Xto confixus sum Cruci.* Desinit ut in editis.

§ 4. Opusculum IV. De Quinque Festivitatibus pueri Iesu.

a. P. Bonelli in suo *Prodromo* (col. 754) hoc opusculum, quod incipit: *Cum secundum virorum venerabilium* etc., defendit ut Bonaventurianum contra Oudinum, Sbaraleam et editores Venetos, qui illud censent esse tanto Doctore indignum. Sed licet ille vera nonnulla contra censuram Oudini afferat, rationes ab ipso allatae persuadere nos nobis potuissent, si consultatio codicum nobis non indicasset aliam et securam viam diluendi omnes difficultates ab aliis contra genuinitatem huius libelli oppositas. Meliores enim codices non habent fere mediam partem totius opusculi, et praecise eas partes, quae alienae a spiritu S. Bonaventurae aliis et nobis visae sunt. Resectis istis insertionibus, quae foede deturpant tractatum S. Doctoris vere seraphicum, etiam censurae contrariae praedictorum virorum corruunt. Oudinus (Commentarii de scriptor. ecclesiast., tom. III. pag. 407. ed. Lipsiae 1722) praecipue reprobat « affectationem superlativarum vocum, ut nauseam pareant », atque « affectationem divisionum similiter cadentium ». Porro in festivitate *de impositione nominis pueri Iesu* reprehendit « divisionem satis abiectam et barbaram, quae Bonaventuram auctorem mihi non repraesentat: Hoc est nomen sacratissimum a Prophetis prophetatum, hoc est nomen virtuosum, gratiosum, gaudiosum, deliciosum et gloriosum etc ». Sed hic ultimus locus depravatus erat in editionibus; alia autem, quae reprehenduntur, in parte genuina non occurrunt frequentius quam in aliis Bonaventurae operibus; de quo late loquitur Bonelli (loc. cit.).

Sbaralea (Supplement. ad Scriptores etc., pag. 258) dicit: « Opusculum devotum est, sed a stilo Bonaventurae eiusque prudentia alienum; nam serm. 1: *plenario mundialium contemptu... in mundo mundialiter viventium... anima divino semine gravida... malum est perdere propter perdidisse;* serm. 2: *o felix praesepe... refectorium Angelorum*, et similia leguntur seraphico Doctori nequaquam congruentia, etsi Trithemius huius meminerit ». — Sed ad hoc respondendum: Duae illae primae locutiones non sunt alienae a more dicendi Bonaventuriano; tertia et quarta non habentur in textu genuino (cfr. pag. 90, nota 10, et etiam pag. 89, nota 2.); nec sequentes locutiones inveniuntur ibi, sed in primo additamento, ubi tamen pro *refectorium Angelorum* (ita Vat. et F) G habet *refectionem animarum* (cfr. pag. 96, nota 6.). Hinc opinamur, quod si Sbaralea novisset genuinum textum, sine dubio falsam istam opinionem retractasset. Nam praeter codicum meliorum auctoritatem ipsa additamenta sua proprietate satis indicant, ea primitivo textui esse posterius inserta, quod et res et modus enuntiandi suadent. Insuper illis duobus longioribus additamentis

ipsa aliorum quinque capitulorum proportio turbatur nimia eorum quae de secunda et quarta festivitate agunt extensione. — Praeter haec additamenta in editione nostra post opusculum posita alia quinque, sed minora, in calce paginarum 90, 91, 92, 93, 94 posuimus.

b. Nec deest sufficiens externa auctoritas ad vindicandum seraphico Doctori hunc libellum. Inter 21 codices msc. infra in elencho relatos, sunt quidem, ut plerumque fit, etiam anonymi, sed nullus, qui alii ac Bonaventurae tractatum tribuat, immo longe maior pars (13 inter 21) ipsum nominat auctorem. His accedit alius codex, qui, teste P. Bonelli (loc. cit.), olim erat in bibliotheca conventus PP. Observantium Mantuae, atque disertis verbis tractatum hunc Bonaventurae inscripsit.

Prologus apprime conveniens invenitur et statui et spiritui Ministri generalis seraphici Ordinis Minorum, praesertim si conferatur cum prologo Itinerarii mentis in Deum et opusculo huius tomi XXI. de XXV Memorialibus, in quo vita ipsius interior ac propria proposita referuntur.

Hunc tractatum Bonaventurae tribuunt Trithemius, Marianus Florentinus aliique posteriores (cfr. Prolegom. ad V. tomum pag. LVIII seqq.).

Editio prima eiusdem, quam novimus, est Coloniensis an. 1486, quam deinde secuti sunt omnes opusculorum Bonaventurae collectiones, exceptis duabus, ut videre licet in eisdem Prolegomenis pag. LIII.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Seminarii, codex sign. R. VII. 1. miscellaneus in 8. saeculi XV. — Hoc opusculum occurrit fol. 73. r. sub titulo: *Incipit libellus devoti doctoris Bonaventure, de quinque spiritualibus festis infantie xti. Cum secundum virorum honorabilium* etc. Desinit fol. 79. v.: *quam nobis concedat Iesus xtus, Marie virginis filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* — In nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, bibliotheca Publica, cod. 774. progress. 573. membranaceus in 12. saec. XV. — Fol. v. non numerato post alia Bonaventurae opera legitur: *Incipit tractatus eiusdem satis notabilis de conceptione, nativitate, nominatione, adoratione et in templo praesentatione mentali Domini nostri Iesu Xti. Incipit prohemium. Cum secundum virorum* etc. Desinit fol. v. ut praecedens. Sign. B.

3. *Ibidem*, cod. 853. progress. 580. miscell. in 8. saec. XV. — Rubrica opusculi est fol. 36. v. his verbis expressa: *Tractatus Bonaventure de quinque festis infantie Domini nostri Iesu xti.* Desinit fol. 44. v. ut praecedentes codices. Sign. C.

4. *Ibidem*, cod. 175. progress. 161. chart. in 4. saec. XV. — Opusculo praemittitur haec rubrica: *Incipit tractatus magistri Bonaventure de quinque festis infantie Salvatoris.* Desinit cum additione: *Explicit tractatus Bonaventure de quinque festis spiritualibus infantie Salvatoris.* Sign. D.

5. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 1021. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 49. v. est titulus huius opusculi his verbis: *Incipit libellus devoti doctoris Bonaventure de quinque spiritualibus festis infantie Xti. Cum secundum virorum honorabilium* etc. Desinit fol. 53. v.: *pura mente et corde devoto continue tue pietati assistam, et sic est finis.* Sign. E.

6. *Leodii*, bibliotheca maioris Seminarii, cod. 6. M. 26. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 47. v. post opus Soliloquii sequitur titulus huius his verbis: *Incipit tractatus de spirituali infancia Salvatoris.* Desinit fol. 59. v.: *quam nobis concedat Iesus Xtus Marie virginis filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus de spirituali infancia Salvatoris.* Sign. F.

7. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 18650. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 126. r. sub titulo: *Tractatus doctoris Seraphici domini Bonaventure de quinque festivitatibus infantie Salvatoris nostri Iesu xti. Cum secundum virorum* etc. Desinit fol. 136. ut in editis, addito: *Explicit in nomine Iesu. Amen.* Sign. G.

De his codicibus a nobis collatis notandum est, in eis non haberi insertiones, de quibus supra locuti sumus, nisi in F et G qui cum editionibus in hac differentia principali conveniunt et tantum in aliis minoris momenti lectionibus dissentiunt. — Aliam autem familiam repraesentant A B C D E, qui tum istas depravantes insertiones concorditer omittunt, tum etiam in aliis lectionibus satis bene conveniunt. Unde patet, textum secundum hos quinque codices reformandum fuisse.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Berolini*, bibliotheca Regia, ms. theol. lat. fol. 141. chart. saec. XV. — Opusculum hoc incipit fol. 412. r. sub rubrica: *Bonaventura de quinque festis spiritualibus Xti. Cum secundum virorum honorabilium, quos in Ecclesia* etc. Desinit fol. 415. v. verbis editionis, addito tantum: *Explicit Bonaventura.*

9. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 21600. chart. in 8. saec. XVII. — Inter plura Bonaventurae pag. 199 incipit rubrica: *De nativitate pueri Iesu. Considera et attende* etc. Sic prosequitur per alias festivitates; sed haec potius sunt extracta ex hoc opusculo ab aliqua devota persona ad propriam pietatem fovendam, quam apographum eiusdem.

10. *Confluentiae* (Coblenz) in Borussia, bibliotheca Gymnasii Civitatis, cod. 60. chart. in 8. saec. XV. — Titulus opusculi est fol. 181. v. his verbis: *Incipit tractatus domini Bonaventure de quinque festivitatibus Ihesu Xti.* Desinit fol. 202. v.: *Quam dulcedinem dulcis Iesus nobis concedat. Qui cum Patre etc. Explicit tractatus domini Bonaventure de quinque festivitatibus Ihesu xti.*

11. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 292. (272.) chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 175. r. sub sequenti rubrica: *Tractatus doctoris Seraphici domini Bonaventure de quinque festivitatibus infancie Salvatoris nostri Domini Iesu xti. Cum secundum virorum* etc. Desinit ut in editis fol. 181. v.

12. *Lambacii* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 446. chart. in 8. saec. XV. — Post medietatem voluminis fol. r. non numerato est rubrica opusculi sic exarata: *Meditationes devote de spirituali xti nativitate in mente hominis. Cum secundum sanctorum virorum* etc. Desinit fol. v.: *Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

13. *Leodii*, bibliotheca Universitatis, cod. B. 17. chart. in 8. saec. XV. ante medium. — Fol. 87. v.: *Incipit tractatus*

de spirituali infantia Salvatoris. Alia manus posterioris aevi exaravit e regione: *Sanctus Bonaventura composuit.* Desinit fol. 95. v., ubi additur: *Explicit tractatus de spirituali infantia Salvatoris.*

14. *Medelci,* bibliotheca Monasterii, cod. O. 19. chart. in 4. saec. XV. circa medietatem. — Fol. 118. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de quinque festivitatibus Domini nostri Iesu Xti, secundum quod fuerat puer. Cum secundum virorum* etc. Desinit fol. 128. v.: *quam nobis concedat Iesus xtus Marie filius, qui cum Patre etc.*

15. *Ibidem,* cod. H. 46. chart. in 12. saec. XV. post medietatem. — Opusculum incipit fol. 151. r. sub rubrica: *Bonaventura de quinque festivitatibus infancie Iesu xti.* Desinit fol. 165. v.: *Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit.*

16. *Ibidem,* cod. N. 7. in 4. chart. saec. XV. ante medium. — In parte superiore fol. 40. r. est rubrica: *Tractatus doctoris Seraphici domini Bonaventure de quinque festivitatibus infancie Salvatoris nostri Iesu Xti.* Desinit fol. 49. ut in editis.

17. *Meiningen* in Germania, bibliotheca Principis, cod. II. lat. 1. in fol. 130. suffix. 2. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 385. r. sine titulo et anonymum; desinit ut in editis fol. 390. v. absque alio additamento.

18. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. a. IV. 23. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. r. non numerato sine titulo et sine nomine auctoris. Desinit fol. v. ut editi, cui additur: *Finitum sub anno 1456. in Vigilia Epiphanie.*

19. *Ibidem,* cod. b. VI. 33. chart. in 4. saec. XV. — Post aliud opus Humberto tributum incipit hoc opusculum fol. r. non numerato sub titulo: *Bonaventura de quinque festivitatibus infantie Iesu Xti. Cum secundum virorum venerabilium* etc. Desinit fol. ultimo codicis cum additione: *Finitus per fratrem Sebastianum anno Domini LXV.* (1465) *septima die mensis Ianuarii, in qua fuit festum Valentini in Mellico.*

20. *Sancti Galli,* bibliotheca Monasterii, cod. 780. chart. in 4. saec. XV. a diversis exaratus. — Hoc opusculum incipit pag. 339 sine titulo: *Cum secundum* etc. Desinit pag. 362 cum additione: *Explicit tractatus bonus de spiritualibus meditationibus.* Nomen auctoris tacetur.

21. *Vindobonae,* bibliotheca privata Imperatoris, cod. 7933. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato: *Incipit tractatus de spirituali infancia Salvatoris Iesu Xti. Cum secundum venerabilium virorum* etc. Desinit fol. r. per verba: *Explicit tractatus de spirituali infancia Salvatoris Iesu Xti.* Nomen auctoris omittitur.

§ 5. Opusculum V. De praeparatione ad Missam.

a. Incipit hoc opusculum verbis: « Ad honorem gloriosae ac individuae Trinitatis » etc. (cfr. pag. 99, nota 1.). Oudinus (loco saepe cit. col. 419) illud ponit inter *incerta*, editores Veneti (Diatriba etc.) inter *dubia*, sed Sbaralea (Supplement. etc., pag. 151) et Bonelli (Prodrom., col. 584) inter certa, et hoc rectissime. Tractatus hic est enim seraphico Doctore vere dignissimus et non tantum auctoritate Trithemii, Mariani Florentini aliorumque, sed praecipue plurimorum codicum testimonio comprobatur. In elencho codicum infra relato recensentur 114 huius libelli codices adhuc superstites, inter quos habentur circa 23 anonymi, alii sex illum tribuunt Petro de Alliaco (Ailly), cardinali Cameracensi, qui vixit ab an. 1350-1420 et incepit docere in Universitate Parisiensi ab an. 1375; unde ratione temporis potuit esse opusculi auctor, quia probare non possumus, codices nostros saec. XIV. (vide n. 2, 55 et 80.) esse scriptos ante annum 1375. Sed alius cod. infra n. 38. relatus explicat, qua ratione facile evenire potuerit, ut hic tractatus tributus sit cardinali Cameracensi, scil. quia hic eum distribuerat aliis in Concilio Constantiensi. Legitur enim ibi: « Tractatus... compilatus per reverendissimum ac venerabilem doctorem *cantorem* (sic) Parisiensem et *in Concilio Constantiensi datus* ». Pro *cantorem* recte legitur in alio codice (n. 40.): « Dominum Petrum, cardinalem Cameracensem, quondam studii Parisiensis *cancellarium* » etc. Sed ex eo, quod ille *dederit* sive distribuerit hunc utilissimum tractatum, non sequitur, illum Petrum se venditasse libelli auctorem, cum bene dare illum potuerit tanquam anonymum. In codice n. 99. nominatur quidem Bonaventura ut auctor, sed additur: « vel secundum alios cardinalis Cameracensis ». Alii omnes codices, id est ultra 80, stant pro Bonaventura, sicut et ipsa criteria omnia interiora, ut nullatenus de hoc dubitari possit.

b. Non possunt offendere verba, quae in illo tractatu c. I. n. 6. leguntur, quod Deus sacrilegorum sacerdotum sacrificium non recipiat. Nam manifeste hoc intelligitur, « quantum est ex parte similium sacerdotum », ut iam notarunt editores Vaticanae, quia eucharistia ipsis malis mors est, vita tantum bonis. Distingui etiam oportet inter « substantiale Missae, et aliqua circumadiacentia », ut bene explicat Bonav. in IV. Sent. d. 13. a. 1. q. 4. — Obiter notamus, verba illa notissima c. I. n. 9: « Nam, cum sacerdos est absque mortali peccato et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum » etc., quae in tot libris et pagellis tribuuntur Bedae, minime in scriptis Bedae inveniri, sed esse S. Bonaventurae (vide infra pag. 102, notam 2.).

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, codex C. VIII. 1165. chartaceus in 8. saeculi XV. post medietatem. — Opusculum hoc occurrit fol. 84. v. sub sequenti rubrica: *Incipit tractatus utilis Bonaventure cardinalis de corpore xti. Qualiter quilibet sacerdos et etiam quilibet alter xpicola debeat se preparare ad digne suscipiendum corpus dominicum vel potius ad celebrationem. Ad laudem et gloriam et honorem et reverentiam sancte et individue Trinitatis* etc. Desinit folio 94. r.: *Quam gratiam ipse Iesus tibi et mihi prestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula benedictus. Amen.* — In nostra editione signatur littera Q.

2. *Gorlitii,* bibliotheca Publica, cod. A. B. 78. in 4. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit fol. 357. r. sine titulo: *Ad honorem gloriose et individue Trinitatis* etc. Desinit fol. 363. v. sub additione: *Explicit tractatus Boneventure de Sacramento eucharistie.* Sign. O.

3. *Magdeburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. XII. octav. 25. miscellan. saec. XV. — Titulus huius opusculi est fol. 73. v. his verbis exaratus: *Incipit tractatus Bonaventure pro sacerdotibus. Ad honorem gloriose* etc. Desinit: *Quod mihi et tibi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Anno Domini 1477 in Gottingh.* Sign. R.

4. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 3596. chart. in 4. saec. XV. — Initium huius opusculi occurrit fol. 159. v. sub invocatione: *In nomine domini. Amen. Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 171. ut in editis, additur: *Explicit devotus tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum.* Nomen auctoris tacetur. Sign. A.

5. *Ibidem,* cod. 11887. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 92. r. praemittitur opusculo: *Sermo domini Bonaventure. Ad honorem* etc. Fol. 97. additur: *Explicit sermo domini Bonaventure de Sacramento altaris.* Sign. B.

6. *Ibidem,* cod. 14808. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 130. v. legitur: *Tractatus Bonaventure de corpore xti et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque Misse celebrationem. Ad honorem gloriose ac individue* etc. In fine, qui occurrit fol. 140. v., additur: *Hec Bonaventura cardinalis... 1455 in die Gregorii Pape in castello.* Sign. C.

7. *Ibidem,* cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 148. r. verbis: *Tractatus de preparatione ad Missam doctoris Seraphici sancti Bonaventure. Ad honorem* etc. Desinit fol. 153. v. sub additione: *Explicit tractatus de preparatione ad Missam doctoris Seraphici sancti Bonaventure.* Sign. D.

8. *Ibidem,* cod. 15181. chart. in 4, exaratus anno 1456. — Hoc opusculum occurrit fol. 136. r. sub rubrica: *Incipit tractatus de modo accedendi ad Sacramentum et contemplationis eiusdem. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 144. r. Hinc additur: *Explicit devotus tractatus de corpore xti domini nostri Iesu xti* (sic). Sign. E.

9. *Ibidem,* cod. 18391. chart. in fol. saec. XV. — In parte superiore fol. 108. r. est rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de Sacramento eucharistie. Ad honorem* etc. Desinit fol. 114. r. verbis: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.* Sign. F.

10. *Ibidem,* cod. 18577. chart. saec. XV. — Titulus opusculi occurrit fol. 204. r. verbis: *Incipit tractatus devotus Bonaventure de Sacramento eucharistie et de preparatione digna ad sanctam communionem.* Desinit fol. 223. per verba: *sed auxilio gratie eius ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.* Sign. G.

11. *Ibidem,* cod. 18647. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. incipit opusculum sub rubrica: *Tractatus sancti Bonaventure de Sacramento eucharistie et preparatione ad Missam.* Desinit fol. 7. v. ut in editis. Sign. H.

12. *Ibidem,* cod. 24810. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 78. r. absolute: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 83. r. sub additione: *Hec Bonaventura de preparando se ad communionem. Anno 4 LIIII* (1454). Sign. I.

13. *Ibidem,* cod. 9087. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit tractatus sacratissimi ac excellentissimi corporis et sanguinis Domini sancti Bonaventure.* Desinit fol. 17. r.: *Quod mihi et tibi prestare dignetur qui vivit et regnat.* Sign. K.

14. *Ibidem,* cod. 18648. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 153. incipit hoc opusculum per verba: *Tractatus Bonaventure divinissime eucharistie utilis.* Desinit fol. 60. ut in editis; additur: *Hucusque Bonaventura.* Sign. L.

15. *Ibidem,* cod. 6174. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 273. r.: *Incipit tractatus de corpore Xti Bonaventure.* Deinde fol. 268. r.: *Explicit tractatus de corpore Xti domini Bonaventure.* Sign. M.

16. *Monasterii,* bibliotheca Paulina, cod. 425. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 171. v. praemittitur opusculo haec rubrica: *Incipit tractatus domini Bonaventure de Sacramento altaris multum utilis et compendiosus.* Desinit ut in editis fol. 182. v. Sign. P.

17. *Romae,* bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 88. chart. saec. XV. — Fol. 64. v. cum rubris litteris legitur: *Incipit tractatus domini Bonaventure de corpore et sanguine Xti et primo prohemium et divisio libri. Ad honorem* etc. Desinit folio 70. v. ut in editione. Sign. N.

Notanda de his codicibus vide pag. 99, nota 1.

II. Codices a nobis non collati.

18. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Civitatis, cod. 203. (670) miscell. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 1. r. sine ulla rubrica: *Ad honorem gloriose* etc. Sic pariter desinit fol. 8. v.

19. *Ibidem,* cod. 266. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum est sine ulla nota tituli vel auctoris.

20. *Augustae Vindelicorum,* bibliotheca Civitatis, cod. CLXXXV. chart. in 4. saec. XV. ante medietatem — Fol. 119. r. in superiore margine est titulus: *Tractotus de corpore Xti Bonaventure. Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 124. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

21. *Bambergae,* bibliotheca Civitatis, cod. AB. V. 44. chart. in 4. saec. XV. post medium. — Fol. 52. r.: *Incipit tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 58. v. ut in editis.

22. *Basileae,* bibliotheca Publica, cod. B. III. 24. membr. in fol. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. r. non numerato, praemissa rubrica: *Incipit tractatus brevis domini Bonaventure de modo se preparandi ad celebrandam Missam. Sequitur primo prologus. Ad honorem* etc. Desinit fol. v.: *Quod ipse nobis prestare dignetur. Amen.*

23. *Ibidem,* cod. A. VIII. 16. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 5. r. praemittuntur opusculo eadem verba, quae in praecedenti codice habentur. Desinit fol. 11. v.: *Quod ipse tibi prestare dignetur. Amen.*

24. *Ibidem,* cod. F. L. IV. 13. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipit opusculum domini Bonaventure de modo preparandi se ad Missam celebrandam. Primo sequitur prolacio* (sic). *Ad honorem* etc. Desinit fol. v.: *Quod ipse tibi prestare dignetur. Amen. Explicit. 1469.*

25. *Berolini,* bibliotheca Regia, cod. lat. theol. 4. 72. chart. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 3. v. sine titulo: *Ad honorem et laudem gloriose et individue Trinitatis. Amen. Et ad honorem excellentissimi* etc. Desinit fol. 11. v. cum additione: *Expliciunt collecta de regimine sacerdotis circa officium Misse per cancellarium Parisiensem edita, script. anno Domini 1425.*

26. *Brugis,* bibliotheca Civitatis, cod. 500. miscell. saec. XV. — Fol. non numerato opusculo praemittitur: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam domini Seraphici Iohannis*

Bonaventure. Prosequitur usque ad finem ut in editis, inde: *Explicit tractatus* etc., ut in principio.

27. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 1927-44. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 127. v.: *Incipit tractatus Boneventure de corpore Christi et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Desinit fol. 134. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit.*

28. *Ibidem,* cod. 2382-86. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Post alia incipit opusculum sine ulla rubrica fol. r. non numerato: *Ad honorem* etc. In fine vero additur: *Explicit tractatus de preparatione ad Missam domini Seraphici Iohannis Bonaventure.*

29. *Ibidem,* cod. 11902. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 224. r. opusculo praemittitur: *Incipit tractatus sancti Bonaventure de corpore Xti et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse. Ad honorem* etc. Desinit fol. 237. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

30. *Ibidem,* cod. 21600. chart. in 8. saec. XVII. — Pag. 3. est sequens rubrica huic opusculo praemissa: *Sancti Bonaventure, eximii Ecclesie doctoris opusculum vere aureum, quod intitulatur de preparatione ad Missam.* Desinit pag. 28: *Hoc autem non tua virtute, sed gratia divina.* Ultima verba desunt.

31. *Camberiaci,* bibliotheca Civitatis, cod. 393. chart. in 4. saec. XV. — Fol. v. non numerato legitur: *Tractatus brevis domini Bonaventure de modo se preparandi ad celebrandam Missam. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. v. per verba: *Quam nobis prestare dignetur ipse Iesus benedictus. Amen.*

32. *Divione* (Dijon) in Gallia, bibliotheca Publica, cod. 162. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 288. r. incipit opusculum sine titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 296. v. in fine: *Quod ipse nobis prestare dignetur. Amen.*

33. *Eichstadii* (Eichstaedt) in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 410. chart. in fol. saec. XV. — Post alia fol. r. non numerato est rubrica: *Tractatus Bone Venture de Sacramento eucharistie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. r. ut in editis.

34. *Einsiedeln* in Helvetia, bibliotheca Monasterii, cod. 214. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 76. v. opusculo praemittitur: *Tractatus Bone venture de corpore Xti.* Desinit fol. 79. r.: *Quod tibi et mihi prestare dignetur Iesus xtus, qui vivit et regnat tecum* etc. *Explicit tractatus Bone venture de corpore Xti et preparatione ad devotam sumptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse. Anno LII.* (1452).

35. *Ibidem,* cod. 228. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 75. r. sine titulo: *Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 78. r. cum additione: *Explicit devotus tractatus de corporis Xti perceptione.*

36. *Erfordiae,* bibliotheca Regia, cod. Amplon. 18. in 8. num. vacat, chart. saec. XV. — Post alia fol. v. non numerato: *Incipit devotus tractatus de corpore xti, editus per venerabilem in xto patrem dominum Petrum cardinalem Cameracensem, quondam studii Parisiensis cancellarium, sacer theologie doctorem eximium.* Desinit fol. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit* etc. ut in principio.

37. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 716. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 61. v.: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore xti et preparatione ad devotam sumptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Desinit fol. 65. v. sub additione: *Explicit hoc opus per fratrem C. meichsner in Fonte salutis professum et in studio viennensi finitum anno Domini MCCCC42°. post festum Annuntiationis Virginis gloriose.*

38. *Giessae* in Hassia, bibliotheca Universitatis, cod. 786. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 11. r. sub titulo: *Tractatus de preparatione ad Missam domini Iohannis Seraphici Bonaventure.* Desinit fol. 19. r. addito: *Explicit tractatus de preparatione ad Missam Iohannis Bonaventure venerabilis.*

39. *Gottwicii,* bibliotheca Monasterii, cod. 241. (238.) chart. in fol. saec. XV. — Post medietatem voluminis fol. r. non numerato est rubrica opusculi his verbis expressa: *Tractatus bonus de corpore Xti. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

40. *Graecii,* bibliotheca Regia, cod. 655. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 1. r. est titulus: *Incipit opusculum domini Bona Venture de modo preparandi ad celebranda divina. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 6. v.: *Quod ipse nobis prestare dignetur. Amen. Et sic est finis expositionis Misse.*

41. *Hafniae* (Kopenhagen), bibliotheca Regia, cod. 79. in fol. chart. saec. XV. — Fol. 1. r. incipit absolute: *Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 3. v.: *Quod ipse tibi et mihi impetrare dignetur. Amen. Explicit devotus tractatus de corpore Xti.*

42. *Ibidem,* cod. 77. in fol. chart. saec. XV. ineuntis. — Incipit opusculum hoc fol. 117. v., omisso titulo: *Ad honorem gloriose* etc. Est finis fol. 120. v.: *Quod ipse tibi et mihi preparare* (sic) *dignetur. Amen. Explicit devotus tractatus de corpore xti, ipso profesto beate Elisabeth vidue.*

43. *Hagae Comitum* (Haag) in Hollandia, bibliotheca Meermanni, cod. 176. chart. in 4. saec. XV. post medium. — Titulus opusculi est post medietatem voluminis fol. v. non numerato sic: *Incipit tractatus Bone venture de corpore Xti et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Desinit verbis: *Quod ipse mihi et tibi prestare dignetur. Amen.*

44. *Herbipoli* (Würzburg) in Bavaria, bibliotheca Seminarii, cod. U. 7. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Titulus opusculi est fol. 152. r. exaratus his verbis: *Tractatus Bonaventure de corpore xti et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque celebrationem Misse.* Desinit fol. 158: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

45. *Ibidem,* bibliotheca Universitatis, Mch. f. 220. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 363. r. sine titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 366. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

46. *Ibidem,* Mch. f. 228. miscell. in fol. saec. XV. — Fol. 175. r.: *Incipit tractatus devotus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum, compilatus per reverendissimum ac venerabilem doctorem Cantorem Parisiensem et in Concilio Constanciensi datus.* Desinit fol. 180. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur Iesus xtus Marie filius, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* Hinc adduntur eadem verba, quae praemissa sunt in initio.

47. *Ibidem*, Mch. q. 106. miscell. in 4. saec. XV. exeuntis. — Rubrica huius opusculi est fol. 257. v. exarata verbis: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore xti et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* In fine fol. 270. v. additur: *Explicit tractatus Bonaventure de corpore xti ac condigna preparatione mysterii Misse.*

48. *Hilarini*, bibliotheca Monasterii, cod. 63. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Initium opusculi occurrit circa finem codicis fol. r. non numerato sub rubrica: *Tractatus compendiosus et utilis de Sacramento corporis et sanguinis Christi.* Desinit fol. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

49. *Ibidem*, cod. 104. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 27. r. praemisso titulo: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore Christi et preparacione ad devotam sumpcionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Haec eadem repetuntur in fine fol. 33. r., quibus additur: *Anno 1425.*

50. *Lambaci*, bibliotheca Monasterii, cod. 462. chart. in 8. saec. XV. post medium. — Fol. 167. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de preparando se ad Sacramentum eukaristie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. In fine fol. 179. r. additur: *Explicit Bonaventura de Sacramento eukaristie.*

51. *Ibidem*, cod. 281. chart. in fol. saec. XV. — Titulus opusculi est fol. 1. r. expressus per verba: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore xti.* Desinit fol. 7. r. cum additione: *Explicit tractatus Bonaventure de corpore xti.*

52. *Lovanii*, bibliotheca Civitatis, cod. 15. chart. saec. XV. — Rubrica opusculi est fol. 81. r.: *De preparatione ad Missam. Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 86. r. in fine ut in editis.

53. *Lubeccae* (Lübeck), bibliotheca Civitatis, cod. theol. fol. chart. sine num. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 323. r., omisso titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 325. v. cum additione: *Explicit devotus tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum.*

54. *Ibidem*, cod. theol. 4. chart. saec. XV. — Fol. 2. r. praemittitur opusculo titulus: *Tractatus de corpore xti.* Desinit ut in editis fol. 8. v.

55. *Ibidem*, cod. theol. 8. chart. saec. XIV. — Ante finem voluminis fol. r. non numerato est titulus: *Tractatus Bonaventure de celebratione Misse notabilis.* Sequitur opusculum ut in impressis; ad calcem additur: *Hec a quolibet sacerdote sunt ante Missam habenda atque curanda.*

56. *Luneburgi*, bibliotheca Civitatis, cod. theol. lat. in 8. n. 66. miscell. saec. XV. — Hoc opus incipit fol. 176. r. verbis: *Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 180. v. ut in editis, sine ulla alia indicatione.

57. *Medelci*, bibliotheca Monasterii, cod. E. 88. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 155: *Incipit tractatus Bonaventure de Sacramento eukaristie. Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 161. r. ut in editis.

58. *Ibidem*, cod. H. 80. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum occurrit pag. 559 sub rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de Sacramento eukaristie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit ut in editis pag. 578.

59. *Ibidem*, cod. L. 35. chart. in 12. saec. XV. — Pag. 314 legitur: *Incipit tractatus Bonaventure de Sacramento divinissime eukaristie utilis valde. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit ut praecedentes ac pag. 330.

60. *Ibidem*, cod. L. 93. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 226. r.: *Incipit tractatus Bonaventure bonus et utilis de Sacramento divinissime eukaristie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 244. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

61. *Ibidem*, cod. G. 19. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 272. v. est rubrica: *Tractatus devotus de corpore xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum.* Desinit fol. 282. v. Rubricator tribuit hoc opusculum: *Reverendissimo patri domino cardinali Cameracensi sacre theologie solemnissimo doctori.*

62. *Ibidem*, cod. G.... chart. in 4. saec. XV. — Fol. 201. r. legitur: *Tractatus Bonaventure de Sacramento divinissime eucharistie. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 206. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

63. *Meiningen*, bibliotheca Principis, cod. II. lat. in fol. progress. 208. chart. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 251. r. sub titulo: *De preparatione ad celebrandam Missam.* Desinit fol. 253. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

64. *Metis* in Lotharingia, bibliotheca Civitatis, cod. 355. chart. in 4. saec. XV. — Post alia opera incipit opusculum fol. non numerato et sine titulo: *Ad honorem gloriose* etc. Desinit: *Quod ipse mihi et tibi prestare dignetur. Amen.*

65. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 4712. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum hoc incipit fol. 93. r. sub rubrica: *Tractatus Bonaventure, de Sacramento divinissime eucharistie, utilis.* Desinit ut in editis fol. 98. v.

66. *Ibidem*, cod. 7007. chart. in fol. saec. XV. — Rubrica huius opusculi habetur fol. 8. r. his verbis: *Forma accedendi ad Missam secundum Bonaventuram. Igitur xti sacerdos devote ad dominicum accessurus altare* etc. Desinit fol. 11. v.: *Quod tibi et mihi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Hucusque Bonaventura.*

67. *Ibidem*, cod. 8862. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 174. v.: *Incipit speculum conscientie Bonaventure. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit. fol. 178. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Hec Bonaventura de preparandis se ad communionem.*

68. *Ibidem*, cod. 9729. chart. in fol. saec. XV. — Titulus operis est fol. 267. r. in superiore margine: *Tractatus de corpore xti domini Bonaventure. Ad honorem gloriose* etc. Finis est fol. 270. v. cum hac simplici additione 149, id est 1491, ut alias in cod. habetur.

69. *Ibidem*, cod. 16511. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 151. v.: *Incipit tractatus sacratissimi ac excellentissimi corporis et sanguinis Domini.* Sequitur opusculum usque ad fol. 160. v., inde subiicitur: *Explicit tractatus de Sacramento corporis et sanguinis xti*, omisso auctoris nomine.

70. *Ibidem*, cod. 17851. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 185. r. sub rubrica: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam domini seraphici fratris Bonaventure.* Eadem sunt in fine fol. 201. r. Deinde *Explicit* etc.

71. *Ibidem*, cod. 19855. chart. in 8. saec. XV. (1457). — Inter alia sancti Doctoris opera hic habetur fere integrum opusculum ad instar extracti; fol. enim 140. r. legitur: *Ex tractatu Bonaventure de digna preparatione ad Missam. Nota:*

Deus a nobis debet timeri, venerari et amari; est summe timendus etc. Vide edit. nostrae cap. 1. n. 17.

72. *Ibidem*, cod. 26138. chart. in 8. saec. XV. — Rubrica huius opusculi est fol. 28. r. et notat: *Tractatus devotus sancti Bonaventure de Sacramento eukaristie, de preparatione digna ad sanctam communionem. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 40. r. ut in editis.

73. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 67. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 126. r. est titulus opusculi sic exaratus: *Tractatus de corpore xti.* Desinit ut in editis fol. 129. v. cum additione: *Finis tractatus Bonaventure de eucharistie Sacramento, 59,* id est anno 1459.

74. *Ibidem*, cod. 84. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 1. r. cum titulo: *Tractatus de corpore xti domini Bonaventure. Ad honorem* etc. Desinit fol. 7. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

75. *Ibidem*, cod. 3. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 48. r.: *Incipit tractatus domini Bonaventure cardinalis de corpore xti. Prologus.* Desinit fol. 53. v. ut in edito.

76. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. V. H. 274. miscell. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 1. sub rubrica: *De Sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit verbis: *auxilio gratie eius qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

77. *Parisiis*, bibliotheca Mazarrinea, cod. 1090. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 3. r. sub titulo: *Tractatus brevis domini Bonaventure de modo se preparandi ad celebrandam Missam.* Desinit fol. 10. r.: *Quod nobis prestare dignetur ipse Iesus benedictus. Amen. Scriptus... Februarii 1471.*

78. *Ibidem*, cod. 902. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 52. v.: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam devoti doctoris atque Seraphici sancti Bonaventure Ordinis Fratrum Minorum.* Desinit fol. 58. v., cui additur: *Explicit tractatus de preparatione ad Missam doctoris Seraphici sancti Bonaventure.*

79. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 10606. miscell. in 8. saec. XV. — Fol. 95. r.: *Incipit tractatus domini Bonaventure de preparatione sacerdotum.* Desinit fol. 101. r.: *Quod mihi et tibi ipse prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

80. *Ibidem*, cod. 3349. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 11. v. et inscribitur: *Incipit tractatus domini Bone venture de corpore et sanguine xti.* Desinit fol. 20. v.: *Quod ipse prestare dignetur. Explicit.*

81. *Ibidem*, cod 3758. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 1. cum rubrica: *Tractatus de Sacramento altaris. Ad honorem gloriose* etc. Est finis fol. 10. r.: *Quod ipse prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Explicit.*

82. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. XI. A. 10. chart. in fol. saec. XV. — Rubrica huius operis est fol. 250. r. his verbis expressa: *Incipit devotus tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum salutiferum Sacramentum, quem compilavit reverendissimus pater dominus cardinalis Cameracensis, sacre theologie solemnissimus doctor Petrus de Aliaco, cancellarius Parisiensis.* Desinit fol. 254 r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

83. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. C. LVII. chart. in folio. — Opusculum incipit sine titulo fol. 236. r.: *Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 239. r. cum additione: *1437. die 9. Aprilis hora 22. explicit tractatus Bonaventure de preparatione sacerdotum ad Missam et laicorum dignam communionem eucharistie. Deo gratias.*

84. *Remis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. E $\frac{231.}{319.}$ membr. in 8. saec. XV. — Fol. 107. r.: *Incipit tractatus et sermo Bonaventure de corpore xti.* Desinit fol. 115. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

85. *Runi* (Rein) in Austria, bibliotheca Monasterii Patrum Ord. Cisterciensium, cod. V. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 210. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore Christi et preparatione ad devotam susceptionem eiusdem ritamque celebrationem mysterii Misse. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Est finis fol. 217. v. per verba: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

86. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii, cod. IV. 23. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 28. r., praemissa rubrica: *Tractatulus Bonaventure ante Missam vel communionem legendus, vel meditandus. Ad honorem gloriose* etc. Desinit fol. 40. r. cum additione: *Explicit tractatulus domini Bonaventure cardinalis de preparatione sacerdotis Missam celebrare intendentis, 1456, Agnetis.*

87. *Ibidem*, cod. III. 33. chart. in 8. saec. XV. circa medietatem. — Rubrica huius opusculi est fol. 1. r. his verbis expressa: *Tractatulus domini Bonaventure de preparatione ad Missam.* Desinit fol. 10. v. ut in editis, inde: *Explicit tractatulus domini Bonaventure cardinalis de preparatione ad Missam.*

88. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. 941. miscell. saec. XV. — Post alia opera est rubrica huius pag. 209 bis verbis: *Sequitur tractatus Bone venture de corpore Christi et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque celebrationem Misse. Ad honorem* etc. Desinit pag. 225: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit.* Hinc librarius profert nomen suum sequentibus verbis:

> Qui leget emendet scriptorem, non reprehendat;
> *Ar* si notatur, et *nol* sibi associatur
> Et *dus* iungatur, qui scripsit ita vocatur.
> Scriptor, qui scripsit, cum Deo vivere possit.

89. *Ibidem*, cod. 814. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit pag. 250 cum verbis: *Ad honorem* etc. Desinit pag. 253 cum hac additione: *Explicit tractatus Bonaventure de preparatione devota ad corpus xti. Scriptus in Ravenspurg anno 1466, in crastino Animarum.*

90. *Ibidem*, cod. 772. chart. in 4. saec. XV. — Pag. 345: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore xti valde bonus.* Desinit pag. 353: *Quod ipse omnibus nobis prestare dignetur qui vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.*

91. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Hospital. 32. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum de praeparatione ad Missam incipit fol. 278. r. sine titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 282. ut editi. Hinc additur: *Explicit devotus tractatus de corpore Xti et de*

preparatione ad suscipiendum illud Sacramentum salutiferum. Quibus alius subiungit: *Per reverendum in Xto patrem et dominum Petrum cardinalem Cameracensem episcopum, quondam Parisius cancellarium, sacre pagine professorem.*

92. *Stutgardiae,* bibliotheca privata Regis, cod. 48. chart. in fol. saec. XV. — Rubrica opusculi est fol. 110. v. his verbis expressa: *Incipit alius tractatus de officio Misse editus per reverendum in xto patrem Bonam Venturam cardinalem Ordinis Fratrum Minorum.* Desinit fol. 115. v. sub additione: *Explicit tractatus bonus de Sacramento eucharistie et officio Misse, finitus per me Iohannem Fürbass, presbyterum ecclesie sancti Thome Apostoli Argentine, VIII. die mensis Ianuarii anno Nativitatis Domini 1432. tempore Eugenii Pape quarti, anno eius primo.*

93. *Ibidem,* cod. 84. miscell. in fol. saec. XV. — Opusculum est fol. v. non numerato sub rubrica: *Incipit tractatus Bone venture ad sumptionem eucharistie.* Ad calcem fol. v. additur: *Explicit tractatus Bonaventure de preparatione ad sumptionem eucharistie. Deo gratias.*

94. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 181. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum est fol. 1. r. cum indicatione: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore Christi et preparatione ad devotam sumptionem eiusdem ritamque celebrationem Misse.* Desinit ut in editis; ad finem additur: *Scriptus per manus domini Iohannis de Kunk, presbyteri Colonie, anno Domini 1444.*

95. *Turonibus* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 404. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 171. sub hac rubrica: *Incipit tractatus de corpore xti compositus per dominum de Bonaventura de Ordine Fratrum Minorum.* Desinit fol. 180. r. verbis: *Quod tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit.*

96. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 3655. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum de praeparatione ad Missam est mutilum, incipit enim fol. 1. verbis cap. 1. n. 2: . . . *homo absque anima rationali* etc., et decurrit usque fol. 11, ubi explicit ut in editis.

97. *Ibidem,* cod. 3737. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 108. r. cum indicatione: *Bonaventura de preparatione ad Missam. Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 111. r.: *Quod ipse nobis omnibus prestare dignetur qui eternaliter vivit et regnat Deus in secula benedictus. Amen. Explicit tractatus domini Bonaventure de preparatione ad Missam.*

98. *Ibidem,* cod. 4362. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Fol. 265. v. est titulus: *Tractatus de corpore Xti domini Bonaventure. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 270. r.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Deo laus et gloria sit per infinita secula. Amen.*

99. *Ibidem,* cod. 4031. chart. in 4. saec. XV. circa medium. — Opusculum occurrit fol. 141. v. cum rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de preparatione ad Missam.* Desinit fol. 147. v. sub additione: *Explicit tractatus de Sacramento eucharistie seu preparatorius ad Missam, domini Bonaventure, vel secundum alios cardinalis Cameracensis.*

100. *Ibidem,* cod. 4487. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 246. r.: *Incipit tractatus de corpore Xti, domini Bonaventure.* Desinit fol. 255. r. cum additione: *Explicit tractatus de corpore Xti Bonaventure.*

101. *Ibidem,* cod. 4922. chart. in 4. saec. XV. — Opus occurrit fol. 243. r. cum inscriptione: *Tractatus de corpore Xti, domini Bonaventure.* Desinit fol. 248. v.: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

102. *Ibidem,* cod. 4901. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 179. v. sub titulo: *Tractatus de corpore Xti Bonaventure.* Desinit fol. 184. v. ad verba cap. 1. n. 15: *virtute huius excessive caritatis et dulcissime...* Cetera fuerunt avulsa.

103. *Ibidem,* cod. 3651. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 123. v.: *Incipit tractatus Bonaventure de preparatione ad Missam.* Desinit fol. 128. r. cum clausula: *Explicit tractatus preparationis ad Missam Bonaventure, vel cardinalis Cameracensis.*

104. *Ibidem,* cod. 4270. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 71. r. cum rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure excellentissimus de contemplatione corporis Xti. Ad honorem et reverentiam gloriose* etc. Desinit fol. 76. r. ut in editis.

105. *Ibidem,* cod. 4236. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 249. r.: *Incipit tractatus de corpore Xti, domini Bonaventure. Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. ultimo codicis cum additione: *Explicit tractatus de corpore Xti domini Bonaventure.*

106. *Ibidem,* cod. 4760. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 64. r. cum rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de corpore Xti et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Desinit fol. 72. r. verbis: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen. Explicit.*

107. *Ibidem,* cod. 4758. chart. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 155. v. cum titulo: *Tractatus eximii doctoris Bonaventure Ordinis Minorum de corpore Xti et de preparatione ad eius devotam susceptionem ritamque celebrationem mysterii Misse.* Haec eadem verba repetuntur fol. 162. v. in fine opusculi, quibus additur: *Anno incarnationis Domini MCCCCXCIX.*

108. *Ibidem,* cod. 12880. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 130. v. legitur: *Tractatus fratris Bonaventure de corpore Xti, quatuor articulos in se continens. Primus articulus. Accessurus ad mensam celestis convivii* etc. Desinit fol. 138. v. ad verba... *profunda humilitas et annichilatio sui et vilitas et compassio mortis Xti. Explicit tractatus Bonaventure de celebratione Misse.* Opus, ut videtur, est mutilum in principio et in fine; a cap. 1. protenditur usque ad cap. 2. n. 4.

109. *Ibidem,* cod. 5099. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 140. v. sine titulo: *Ad honorem gloriose ac individue* etc. Desinit fol. 144. v. cum additione: *Explicit devotus tractatus de corpore Xti et de preparatione ad suscipiendum idem Sacramentum salutiferum.*

110. *Voravii,* bibliotheca Canoniae, cod. CCCI. chart. in 4. saec. XV. — Post alia fol. r. non numerato incipit opusculum sine ulla rubrica: *Ad laudem et honorem excellentissimi Sacramenti* etc. Desinit pariter fol. r. sine alia indicatione: *Quod ipse tibi et mihi prestare dignetur. Amen.*

111. *Wratislaviae,* bibliotheca Universitatis, cod. 1. class. in fol. 276. chart. exaratus « *anno Domini MCCCCLXVII* ». — Fol. 66. r. incipit hoc opusculum sine ullo titulo: *Ad honorem gloriose et individue* etc. Desinit fol. 71. v. ut in editis.

112. *Ibidem*, cod. I. class. 4. 147. chart. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 159. r. sub hoc titulo, qui repetitur etiam in fine: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam domini Seraphici Iohannis Bonaventure. Ad honorem* etc. Desinit fol. 164. v.: *Quod ipse mihi et tibi prestare dignetur. Explicit* etc.

113. *Ibidem*, cod. I. class. 4. 83. chart. saec. XV. — Incipit fol. 179. r. sub rubrica: *Sequitur tractatus domini Bonaventure de preparatione sacerdotum.* Desinit fol. 188. r.: *Sed auxilio gratie sue, quam mihi et tibi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

114. *Ibidem*, cod. I. class. 8. 26. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 81. r.: *Incipit tractatus de preparatione ad Missam domini Seraphici Iohannis Bonaventure feliciter.* Desinit vel potius deficit fol. 92. v., quia aliqua folia abrepta sunt.

115. Praedictis codicibus adiungimus alium, nunc asservatum in archivo nostri Collegii, chart. in 4. parv. saec. XV. circa medietatem. — Opusculum hoc incipit fol. 21. r. sub rubrica: *Tractatus fratris Bonaventure pro sacerdotibus. Ad honorem gloriose et individue Trinitatis et ad reverentiam altissimi et excellentissimi Sacramenti, scilicet pretiosi corporis* etc. Desinit fol. 25. v. per verba: *Quam mihi et tibi prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

§ 6. Opusculum VI. De perfectione vitae ad Sorores.

a. Auctor huius piissimi et satis eleganter scripti libelli, qui incipit: *Beatus homo, quem tu erudieris* etc., manifeste se prodit Fratrem Minorem, cum c. 2. n. 1. dicat: « Hac humilitate, qua apud se ipsum viluit Pater noster beatus Franciscus » etc., aliisque similiter verbis in c. 3. n. 7. Porro, hunc Fratrem Minorem esse S. Bonaventuram, tota suadet operis indoles et stilus; quod confitetur ipse Oudinus (Commentarii etc., col. 435.), dicens de eo: « In quo cum nihil invenerim, quod Bonaventura indignum sit, immerito de illo ambigerem ». Idem sentiunt editores Veneti, Sbaralea et Bonelli (cfr. Prodromus, col. 558.). Accedit auctoritas codicum, cum inter 24 infra recensitos nullus alium indicet auctorem, omnesque, exceptis 6 anonymis, nominent Bonaventuram.

b. Opusculum directum est ad quandam abbatissam Ordinis S. Clarae, ut passim in textu indicatur. Retinuimus tamen in titulo verba *ad Sorores*, quia revera interdum alloquitur has in plurali, et quia in editionibus hic modus inscribendi libellum iam invaluit. In textu tamen, ubi auctor abbatissam illam alloquitur, substituimus vocem *matris* pro *sororis*, rationibus moti, quas pag. 107, nota 7 retulimus.

c. Quae fuerit illa abbatissa, deficientibus certis documentis, non constat. Multum tamen probabile nobis esse videtur, eam fuisse B. Isabellam, sororem germanam S. Ludovici, regis Galliae, cuius festum in Ordine Minorum celebratur die 1. Septembris; multo saltem probabilior est haec nostra hypothesis, quam illa quam Bonelli (Prodrom. col. 567.), secutus Sbaraleam (Supplementum etc., pag. 154.), sustinere vult, opusculum sequens *De Regimine vitae* ad dictam Isabellam scriptum esse (vide infra pag. 128, notam 1.). Nam praeter rationes ibi tactas patet, illud VII. Opusculum non bene convenire conditionibus abbatissae S. Clarae, sed optime hoc VI. Opusculum. Piissima enim soror S. Ludovici, nata mense Martii an. 1225, mortua 23. Febr. an. 1270, fundavit Monasterium Longi campi, in quo et ipsa vixit sub Regula S. Clarae, quae mitigata erat imprimis opera S. Bonaventurae, tunc Ministri Generalis Ordinis Minorum. In vita eiusdem Beatae, scripta a sua iam in saeculo socia Agnete de Harcourt (*Acta Ss.*, Augusti, tomo VI. pag. 787 seqq.), inter multa de eiusdem sanctissima vita dicta narratur etiam, illam voluisse, ut moniales appellarentur *Sorores Minores*, illam semper surrexisse nocte ad recitandum Matutinum, illamque ita perfecte scivisse linguam Latinam, ut errores, quos capellani eius in scribendis ipsius epistolis interdum commiserint, corrigere soleret; denique, quod notatu dignum est, in praedicta vita Isabella passim titulo *matris* ornatur, quem etiam nostra editio, ut modo diximus, in textum recepit. Controversia inter eruditos est, utrum illa formalem professionem religiosam cum votis solemnibus emiserit, quod Wadding., Annales ad an. 1254, n. 33. affirmat, alii negant, et Bollandiani in dubio relinquunt. Qui illud negant volunt, Isabellam vitam quidem communem Monasterii de facto observasse, quin propter infirmam corporis sanitatem votis se obligaverit, eamque in habitatione Monasterio adiuncta esse demoratam cum aliis nobilibus feminis et ancillis. Certum tamen est, honorem et nomen *matris* ab istis monialibus ei fuisse tributum. Quidquid igitur sit de praedicta controversia, in utroque casu nihil obstat, quin libellus scriptus sit pro B. Isabella; immo bene statui eiusdem congruit illa increpatio (c. 4. n. 4.) ad *famulam* vel famulas directa: *Audi, verbosa famula* etc. Nam cum aliae abbatissae Clarissarum non soleant circa se habere famulas, in regia virgine, praesertim si secunda illa sententia vera esset, mirum sane esset, si tales circa se non habuisset. — Reverentia etiam prorsus singularis, quam auctor ubique in hoc libello manifestat erga personam, cui scribit, ipsaque diligentia magna, quae in toto opusculo et in ipsa forma Latina apparet, non obscure insinuant, non vulgaris conditionis et sanctitatis eam fuisse, quam nomine *matris* alloquitur. — His rationibus moti sumus, ut ad B. Isabellam libellum scriptum fuisse opinemur, licet hucusque nemo, quantum scimus, hoc asseruerit. Prima huius libelli editio cum multis aliis excusa est Argentinae an. 1495.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Inter alia, fol. 97. r.: *Incipit opusculum de Perfectione vite sancti Bonaventure ad Sorores suas et primo prologus. Beatus homo, quem tu erudieris, domine* etc. Desinit fol. 101. v.: *donec introducat te in thalamum dilecti sponsi tui. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Explicit Bonaventura ad Sorores suas, moniales sancte Clare.* — In nostra editione signatur littera A.

2. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Rubrica huius opusculi est fol. 39. r. his verbis expressa: *De perfectione vite.* Deinde infra: *Sequitur prologus in opusculum sancti Bonaventure doctoris Seraphici de perfectione vite ad Sorores suas.* Desinit fol. 52. r.: *Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. Explicit opusculum Bonaventure de perfectione vite.* Sign. E.

3. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. XII. B. 16. miscell. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 107. r.: *Incipit prologus*

Bonaventure in tractatum de profectu vite religiose. Desinit fol. 114. r. verbis editionis. Sign. C.

4. *Ibidem*, in bibliotheca Capituli ecclesiae metropolitanae, cod. B. LXXIX. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 44. r., praemisso tantum: *Incipit Bonaventura.* Desinit fol. 68. v. verbis: *Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat. Amen.* Sign. D.

5. *Ibidem*, cod. A. LXXIX. miscell. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum occurrit fol. 21. r. sub rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure de profectu vite.* Hinc, omisso prologo, sequitur: *Ad perfectioris vite fastigium* etc. Desinit fol. 27. r.: *Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit unus Deus in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus Bonaventure.* Sign. F.

6. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. b. VIII. 17. chart. in fol. saec. XV. circa medietatem. — Post alia opera fol. r. non numerato: *Incipit prologus in tractatum Bonaventure de profectu vite religiose.* Desinit fol. v. sub additione: *Explicit tractatus Bonaventure de profectu vite religiose, scriptus in monasterio Mellicensi et finitus feria 6. post festum sancte Dorotee virginis.* Sign. B.

Ex praenotatis codd. B C D F communiter eandem lectionem et meliorem praebent, unde hos in emendando textu plerumque secuti sumus. Iidem etiam antiquitate alios praecedunt.

II. Codices a nobis non collati.

7. *Gottwicii* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 286. (467.) chart. in 4. saec. XV. — Opusculum exhibetur fol. r. non numerato, omissis titulo et prologo, sic: *Ad perfectionis vite fastigium* etc. Ordo capitulorum mutatur et ipsum opus desinit detruncatum in fine.

8. *Liegnitz* in Silesia, bibliotheca Ecclesiae Ss. Petri et Pauli, cod. 16. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opus occurrit fol. 350. v. sub hac rubrica: *Incipit tractatus Bonaventure cardinalis de profectu vite religiose. Et primo sequitur prologus.* Desinit fol. 361. r., cui additur: *Explicit tractatus Bonaventure de profectu vite religiose.*

9. *Medelci*, bibliotheca Monasterii, cod. B. 29. chart. in 12. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 136. r., omisso titulo: *Beatus homo, quem tu erudieris* etc. Desinit fol. 192. v. per verba editionis.

10. *Ibidem*, cod. B. 50. miscell. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 164. r. exhibetur rubrica huius opusculi ita: *Incipit prologus in tractatum Bonaventure de profectu vite religiose.* Desinit fol. 167. v.: *donec introducat te etc. Amen.*

11. *Olomucii* in Moravia, bibliotheca Regia, cod. II. g. 27. chart. in 4. saec. XVI. ineuntis. — Opusculum incipit fol. 43. v. sub hac simplici indicatione: *De cognitione sui ipsius,* et omisso prologo: *Ad perfectioris vite* etc. Desinit verbis cap. 1. n. 4: *Ad tui ipsius cognicionem perfectam nunquam poteris pervenire.* Cetera desiderantur.

12. *Ibidem*, cod. II. g. 29. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. r. non numerato: *Incipit tractatus reverendi magistri Bone Venture: primo de sui ipsius cognitione. Cap. 1. Ad perfectioris vite fastigium* etc. Desinit sub additione: *Explicit libellus magistri Bone Venture.*

13. *Pragae*, bibliotheca Capituli ecclesiae metropol., cod. D. CXXVIII. membr. in 8. saec. XV. ante medietatem. — Fol. r. non numerato: *Incipit tractatus Bonaventure de sui ipsius cognitione. Sequitur prologus.* Desinit fol. ultimo codicis verbis: *Explicit libellus Bonaventure. Amen;* alia manus eiusdem aevi addidit: *de sui ipsius cognitione.*

14. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7563. chart. in fol. saec. XVI. — Fol. 1. r.: *Opusculum de perfectione vite sancti Bonaventure ad sorores suas. Prologus. Beatus homo* etc. Desinit fol. 36. r. cum additione: *Explicit Bonaventura ad sorores suas moniales sancte Clare.*

15. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii S. Petri, cod. b. XII. 38. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 79. v. sub titulo: *Tractatus Bonaventure de profectu vite religiose ad quandam Sanctimonialem.* Desinit ut in editis fol. 87. v. in fine.

16. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3797. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum hoc incipit fol. 192. r. a rubrica: *Tractatus Bonaventure de profectu vite religiose ad quandam Sanctimoniolem.* Desinit fol. ultimo cod. v. sub clausula: *Explicit tractatus Bonaventure de profectu vite religiose in die beate Kunecunde virginis et regine. 1452.*

17. *Ibidem*, cod. 4308. chart. in 4. exaratus *anno Domini 1449*, ut praemittitur opusculo, quod incipit fol. 1. r. sub hac rubrica: *De cognitione sui ipsius plurium capitulorum, quorum quodlibetum* (sic) *est tituli specialis. Beatus homo* etc. Desinit fol. 9. v. per verba: *Explicit tractatus de cognitione sui ipsius.*

18. *Ibidem*, cod. 1399. membr. in fol. saec. XV. ineuntis. — Opusculum occurrit fol. 80. r. sub rubrica: *Incipit tractatus de forma perfectionis Religiosorum. Beatus homo* etc. Desinit fol. 91. r. verbis editionis.

19. *Ibidem*, cod. 3986. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 317. v. sine ulla indicatione: *Ad perfectioris vite fastigium* etc. Desinit cap. 3. n. 5. verbis: *fugientem in Egypto, sedentem in asino, pendentem nudum in patibulo.*

20. *Ibidem*, cod. 3645. chart. in 8. saec. XV. — Initium opusculi est fol. 44. r. sic expressum: *Sequitur tractatus Bonaventure de profectu vite religiose, quem scribit ad quandam Sanctimonialem.* Desinit fol. 64. v. verbis cap. 5. n. 2: *Cum Deo in oratione assistimus, gemere et flere debemus reminiscentes...*

21. *Ibidem*, cod. 3803. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 49. r. legitur: *Incipit tractatus de profectu vite religiose ad quandam Sanctimonialem.* Desinit fol. 60. v. addens: *Explicit tractatus Bonaventure de profectu vite religiose ad quandam Sanctimonialem, 1455.*

22. *Ibidem*, cod. 3631. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 234. cum hoc titulo: *Tractatus Bone venture de profectu vite religiose ad quandam Sanctimonialem.* Desinit folio 247. v. et addit: *Explicit tractatus Bone venture de profectu vite religiose, feria secunda post festum sancte Trinitatis, 54°.* (1454).

23. *Ibidem*, cod. 3939. miscell. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 280. r., praemissa sequenti inscriptione: *Tractatus Boneventure ad sorores de humilitate, de cognitione etc. Beatus, quem erudieris* etc. Desinit ut in editis fol. 293. v.

24. *Ibidem*, cod. 12878. chart. in 8. conscriptus anno 1454. — Fol. 78. r. opusculo praemittitur: *Bonaventura de profectu*

vite religiose. Desinit fol. 97. v. per verba: *Explicit tractatus de profectu vite religiose.*

§ 7. **Opusculum VII. De regimine animae.**

a. Hoc opusculum caret prologo et incipit: « Primum omnium necesse habes, anima mea » etc. A nemine nisi ab Oudino dubitatum est, utrum sit genuina Bonaventurae opella, nec ne. Dicit enim (loc. cit. col. 416.): « Incertum est, an opusculum spectet ad sanctum Bonaventuram. Habet enim, quamvis modicissimum sit, voces barbaras sufficientes, ut divo Bonaventura indignum censeatur ». Pro probatione ille affert vocabula *viscerosa, annihilatio, vilipensio* et *deordinari*. Concludit his verbis: « Non tanta tamen dictionis rusticitas, quanta in antecedentibus opusculis, unde *Bonaventurae concedi utcumque potest* ». Sed illa his ex vocabulis sumta ratio dubitandi, qua etiam alias plerumque utitur Oudinus, nullius roboris est, applicata ad auctorem saeculi XIII; quod nunc omnes viri eruditi confitentur. Insuper vocabula memorata in aliis libris Bonaventurae certe genuinis non raro inveniuntur, quod abundanter a Bonelli demonstratum est.

Cum igitur ex parte ipsius libelli nulla ratio suadeat, ut Bonaventurae abiudicetur, et omnes infra relati codices (si praescindimus a mutilo et ideo incerto cod. n. 7.) opellam eidem tribuant, accedente testimonio Trithemii, Foresti, Mariani atque editionum Coloniensis an. 1486, Argentinensis 1489 et 1495, Brixiensis 1497 et subsequentium; libellum legitimum iudicamus.

b. Editio Vaticana cum aliis edd. antiquis et subsequentibus titulo praefigit verba: « Opusculum ad Blancham, reginam Hispaniae ». Etiam sex ex nostris codicibus idem habent, sed alii illud omittunt. De hoc infra pag. 128, nota 1, necessaria dicta sunt. Oudinus (loc. cit.), consentientibus editoribus Venetis, acriter contra haec addita disputat et ad nullam feminam scriptum fuisse opusculum contendit, sed hoc esse potius « *soliloquium* vel Bonaventurae, vel alterius *ad suam animam*, quam scriptor alloquitur ». Revera initium opusculi supra relatum habet verba *anima mea*. Bonelli e contrario probare vult, auctorem saltem aliquam devotam feminam alloqui, et argumenta Oudini satis solvit. Attamen illud quod ex verbis n. 6. occurrentibus *abusa es* Bonelli arguit, scilicet auctorem diserte mulierem alloqui, non concludit, cum supponi possit, quod ad *animam propriam* auctor per modum soliloquii loquatur, quemadmodum toties in Opusculo II. *Soliloquium* faceret solet. Alia verba ab eodem allata: *exerce te ipsam* (n. 8. 9. 10.) non habentur in nostro textu, qui omittit *ipsam*. Accedit, quod codd. A B talem lectionem habent, ut manifeste non ad mulierem, sed ad virum religiosum sermo dirigatur. Verba etiam illa, quae n. 8. (in fine) habentur: « Iuxta quod moralis honestas et *regularis observantia id expascit* », minus convenire videntur reginae Blanchae. Cum autem codices inter se dissideant et nullus sit prologus vel inscriptio epistolae, rem hanc controversam relinquimus iniudicatam, licet ultima verba: « Quod tibi ipsi praestare dignetur » etc., aliaque praecedentia minime faveant Oudino, qui monologium ad propriam animam supponere vult.

Verisimile autem est, aut in principio aliquid prologi excidisse, si auctor ipse hoc opusculum publicavit, aut illud ex privata epistola sumtum ab aliis publici iuris factum esse.

In Prolegomenis ad praecedens Opusculum VI. De Perfectione ad Sorores, et pag. 128, nota 1. iam rationes attulimus, quare nobis improbabilis videatur hypothesis Sbaraleae et Bonelli, opellam hanc scriptam esse ad B. Isabellam.

Obiter notamus, in citata prima nota ad pag. 128 corrigendum esse errorem, cum pro verbis: *in nostris Prolegomenis c. I. § 7. et 8.* » legi debeat: *in nostris Prolegomenis c. I. § 6. et 7.*

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 599. (761.) chart. in 4. saec. XV. — Fol. v. non numerato: *Incipit tractatus compendiosissimus sancti Bonaventure, in quo relucet perfectio admirabilis interioris exteriorisque hominis.* Hinc fol. seq. r.: *Primum omnium necesse habes* etc. Desinit fol. v.: *Quod tibi ipse prestare dignetur cui cum Patre et Spiritu sancto est omnis honor et gloria in secula seculorum. Amen. Explicit compendiosa doctrina vite spiritualis a Seraphico doctore sancto Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum composita, sed scripta anno 1490.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. 271. (683.) chart. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. r. non numerato eodem titulo, quo praecedens, et etiam in fine, qui occurrit fol. r., ut in editis, eadem ipsissima verba adduntur, omisso tantum anno, quo codex fuit conscriptus. Sign. B.

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Hoc opusculum exhibetur fol. 437. v. cum rubrica: *Epistola sancti Bonaventure ad dominam Blancam, reginam Hispanie, de regimine anime incipit.* Desinit fol. 440. v. per verba: *Quod ipse prestare dignetur, qui est Deus benedictus in secula. Amen.* Sign. F.

4. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 15.ª chart. in 8. saec. XV. — Rubrica opusculi habetur fol. 262. r. sic expressa: *Epistola ad Blankam reginam. Sanctus Bonaventura ad dominam Blankam, reginam Hispanie, de regimine anime.* Desinit fol. 266. r. ut in editis. Sign. E.

5. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Titulus opusculi est fol. 63. r. verbis: *De regimine anime. Sanctus Bonaventura ad dominam Blankam, reginam Hispanie, de regimine anime incipit feliciter. Primum omnium necesse habes* etc. Desinit fol. 68. r. sub additione: *Explicit regimen conscientie editum a Seraphico doctore sancto Bonaventura.* Sign. D.

6. Praedictis mss. codicibus adiungimus quendam, qui olim asservabatur in bibliotheca sacri Conventus Assisii, de quo iam egimus tom. V. pag. XL n. 2. — Huic opusculo praemittitur: *Meditatio, quam scripsit frater Bonaventura cuidam devote domine.* In fine vero legitur: *Explicit meditatio, quam scripsit frater Bonaventura ad postulationem cuiusdam sancte mulieris.* Variantes huius codicis collegimus ex editione facta a Patre Benedicto Bonelli, in Supplemento operum omnium S. Bonav. tom. III. Sign. C.

Codices hi a nobis collati plerumque satis inter se conveniunt; in hoc tamen, ut iam supra et in prima nota diximus, A B ab aliis discedunt, quod allocutionem dirigunt ad virum, et ut insinuatur, ad virum Ordinis religiosi. In aliis locis iidem

codices saepe exhibent bonas lectiones et non raro cum C convenientes et in textum a nobis receptas.

II. Codices a nobis non collati.

7. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 4596-98. miscell. saec. XVI. — Complectitur partem tantum huius opusculi sine ulla indicatione, ab initio scilicet usque ad verba n. 8: *ut ait Apostolus, sobrie, iuste et pie.*

8. *Colmariae* in Alsatia, bibliotheca Civitatis, cod. chart. in 16. saec. XVI. ineuntis. — Rubrica opusculi exhibetur fol. 20. r. his verbis: *Sanctus Bonaventura ad dominam Blankam, reginam Hispanie, de regimine anime.* Desinit fol. 25. r. cum additione: *Finis 1501 per me fratrem Iohannem Hecht de Vachingen.*

9. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 731. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 287. v.: *Incipit libellus domini Bonaventure ad dominam Blancam, reginam Hispanie, de regimine anime.* Desinit fol. seq. v. cum clausula: *Explicit Bonaventura de regimine anime.*

10. *Metis* in Lotharingia, bibliotheca Civitatis, cod. 241. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 43. r. huic opusculo praemittitur pro titulo invocatio: *Iesus Nazarenus, rex Iudeorum, miserere mei. Primum omnium* etc. Desinit fol. 45. r. cum additione: *Bonaventura edidit hunc tractatulum compendiosissimum, in quo relucet perfectio admirabilis interioris exteriorisque hominis. Explicit quod totum continens delectat.*

11. *Ibidem*, cod. 376. chart. in 8. saec. XV. — Opusculo, quod incipit post alia fol. r. non numerato, praemittitur tantum: *Bonaventura.* Desinit fol. seq. r. per verba editionis.

12. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. chart. n. 142. progress. LXXXII. saec. XV. — Opusculum est fol. 80. r. sub titulo: *Sanctus Bonaventura ad dominam Blankam, reginam Hispanie, de regimine anime.* Desinit fol. 81. r.: *Quod ipse prestare dignetur, qui est benedictus in secula. Amen.*

13. *Turonibus* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 409. chart. in 8. saec. XV. post medietatem. — Rubrica huius opusculi prostat fol. 91. r. his verbis: *Sanctissimi devotissimique Bonaventure. Primum omium necesse habes* etc. Ad calcem additur: *Finit feliciter via devotionalis spiritualis vite sanctissimi devotissimique Bonaventure.*

§ 8. **Opusculum VIII. De Sex Alis Seraphim.**

a. Hoc pretiosum opusculum genuinum esse, confitentur Oudinus (loc. cit. col. 420.), editores Veneti (Diatriba, pag. 78 seq.), Sbaralea (loc. cit. pag. 151), Bonelli (Prodrom. col. 562. seqq.). Confirmant hoc iudicium testes omni exceptione maiores, quorum primus est Gulielmus de Rubione, Minister Provinciae Arragoniae, doctus theologus Ord. Min., qui dicitur fuisse discipulus Scoti. Hic verbis disertis nominat Bonaventuram huius libri auctorem in suo Comment. in Sententias, lib. I. dist. 48, q. 2. ad finem, qui Commentarius approbatus fuit a Ministro Generali Geraldo 1333 (vel 1334) et impressus Parisiis per Iodocum Badium Ascensium an. 1518 (cfr. Prodrom. col. 252.). Secundus testis est Bartholomaeus Pisanus, et tertius Gulielmus Vorilongus (circa 1450) in suo Commentario in quartum libr. Sententiarum (vide Prolegom. ad V. tomum pag. LVI). Alios plurimos testes posteriores vide in Prolegomenis ad V. tom. pag. LVI seqq.

b. Ceterum ipsum opus sua excellentia et indole se comprobat legitimum seraphici Doctoris opus; illud supponit non tantum doctrinam consummatam, sed etiam longioris regiminis experientiam valde maturam. Unde illud ad posteriores Sancti annos referendum esse censemus. — Bene de eodem dicit Bonelli (loc. cit. col. 563.): « A capite ad calcem summam praefert divinarum litterarum peritiam ac vehemens subditis praelatisque iuvandi desiderium. Ex ipso non obscure licet arguere, quam integre, pie, moderate, prudenter, sapienter sancteque seraphico Ordini praefuerit Bonaventura, cum ab eo tradita animas regendi saluberrima documenta ad unguem fuisse executum, dubitari nequeat. Utinam praefatum opusculum diurna nocturnaque manu versetur a subditis atque praelatis, ab illis quidem, ut obediendi, ab istis autem, ut regendi sacerrimam normam ediscant. Quisquis ad ipsam sese exegerit, cum Sancto sanctus erit. Certe sedula eiusdem lectione plurimum profecisse scimus venerabilem P. Euphemium de Milionico, Minoritam Reformatum, atque ex eo praecipue suum locupletasse tractatum de *Officiis praelatorum et subditorum* » (vide Legendarium Francisc. tom. II. pag. 32, edit. Venet. 1721). — Bonelli sic continuat: « Ipsum commendat Franciscus Lamata, doctor theologus et unus ex Vaticanis editoribus in Epistola nuncupatoria Clementi VIII. inquiens: 'Etsi alii eius (Bonaventurae) tractatus ad illud quo ardes studium plurimum conferant, praecipue tamen unus est et is quidem brevissimus, *De sex Alis Seraphim* inscriptus, in quo sex enumerat vere pontificias virtutes, zelum scilicet iustitiae, pietatem, patientiam, vitae exemplum, discretionem circumspectam et devotionem ad Deum; de quibus per comparationem ad sex alas Seraphim, quas vidit Isaias, ita ibi artificiose disserit, ut nec in summa claritate brevitas, nec in compendiosa brevitate copiosa dicendi ubertas desideretur' ». Deinde: « Meritis laudibus extollitur (hic libellus) a duobus non obscuri nominis scriptoribus Societatis Iesu, videlicet a Iulio Nigronio Italo (Comment. Regularum communium Soc. Iesu p. 2. n. 66) et a Ioan. Paulo Fontio Hispano. Ille enim ait: 'S. Bonaventura reliquit posteris libellum aureum *De sex Alis Seraphim*, quo continetur religiosae gubernationis magisterium. Hunc, quia conformis est spiritui nostro congruitque cum modo procedendi Societatis, iussit P. N. Claudius [Aquaviva] typis excudi ac per omnes Provincias disseminari, ut nostri praesertim Superiores eum evolverent ac doctrinam tanti viri ad praxim referrent'. Fontius autem inquit (Comment. eiusd. tractatus De sex Alis, cui titulus *Mysticus Seraphim*, in prooemio): 'In nostra Religione Societatis Iesu (quae in materia de libris aliquod tenet votum) tanti pretii tractatum hunc *De sex Alis* existimamus, quod in nostra bibliotheca eundem fere locum, quem nostri Instituti libri, obtinet' ». Hucusque Bonelli.

c. Post editionem Argentinensem an. 1495 fere omnes sequentes collectiones opusculorum Bonaventurae hunc libellum repetunt; aliae plurimae editiones seorsim factae sunt, inter quas a P. Bonelli recensentur editio Coloniae apud Birkmann 1598; Antwerpiae, apud Cornel. Verschueren an. 1625; Barcinonae 1622 cum Comment. supra nominati P. Ioh. Fontii S. I.; Romae, an. 1622, typis Franc. Caballi. In varias etiam linguas libellus translatus est. Versio Germanica antiqua cum titulo: Der Geistliche Seraphin, prodiit Monachii apud Adam Berg an. 1608; recentissime Friburgi apud Herder.

d. Mirum valde est, quod pauci admodum codices tam praeclari et usitati opusculi in bibliothecis inveniuntur. Bonelli tantum duos cognovit: unum Mantuae in bibliotheca Conventus Gratiarum, Min. Obs. (vide Prodr. col. 430. n. 22.), alterum Ravennae, in bibliotheca S. Apollinaris Min. Obs. (ibid. col. 451. n. 8.). P. Fidelis a Fanna b. m. non invenit nisi paucos, qui sequuntur.

Elenchus codicum.

I. Codex a nobis cum textu Vaticanae editionis collatus.

1. Unicus cod., quem conferre potuimus, est *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, scilicet cod. 18933. chart. in 4. saec. XV. post medietatem. — Initium opusculi est fol. 172. r. sub rubrica: *Incipit tractatus sancti Bonaventure de sex alis Seraphim.* Prologus: *Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia. Prov. 9. Cum igitur ex levi sepe occasione* etc. Fol. 174. r. post prologum sequitur tabula, deinde iterum: *Incipit tractatus. Hec tibi scribo* etc. Desinit fol. 206. r.: *tandem ad celestia evolare faciat. Quod nobis prestare dignetur Iesus Xtus. Amen. Expticit tractatus sancti Bonaventure de sex Alis Seraphim.* — Hic praestavit perpaucas lectiones variantes.

II. Codices a nobis non collati.

2. *Avenione*, bibliotheca Civitatis, cod. sine numero, olim Caelestinorum Avenionensium A. 87. miscell. in 8. saec. XVI. — Fol. 40. v.: *Incipit tractatus sancti Bonaventure de sex alis Seraphim. Prologus. Da occasionem sapienti* etc. In fine subiungitur: *Explicit prologus cum tabula. Incipit tractatus.* Deficit cap. 7. n. 15. nostrae editionis verbis: *Quibus quasi armis defendatur et quasi...* Cetera fuerunt avulsa.

3. *Romae*, bibliotheca Barberini, cod. XIX. 34. chart. in folio saec. XVI. exeuntis. — Hic exhibet tantum schema quoddam huius opusculi. Incipit: *Prelatus Xti vices gerens sex virtutibus in sex alis Seraphim expressis potissimum fulgere decet* [sic]. *Ex opuscuto sancti Bonaventure.* Desinit: *Ad implorandam populi salutem — subditorum perfectionem — propriam in regendo discretionem.*

4. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Hospit. 254. chart. in 4. — A fol. 135. complectitur hoc opusculum exscriptum ex impresso edito Romae apud Aloysium Zannettum, anno 1591.

5. *Scaffhusae*, bibliotheca Civitatis, cod. 5. membr. in 8. saec. XV. — Incipit fol. 3. r. sine titulo: *Da occasionem sapienti* etc. Prologo additur tabula capitulorum, inde sequitur tractatus, qui desinit fol. 21. r. post medium: *Quod nobis prestare dignetur Iesus Xtus. Amen.* Hic codex a nobis requisitus pro collatione facienda non ibi fuit inventus, furto, ut fertur, ablatus. Praeter hoc opusculum codex habebat etiam: *Determinationes quaestionum circa Regulam* Fratrum Minorum, nec non *Centiloquium domini Bonaventure Ordinis Minorum.*

§ 9. **Opusculum IX. Officium de passione Domini.**

a. Huius Officii Invitatorium incipit verbis: « Christum captum et derisum, flagellatum et crucifixum venite adoremus ». Inscribitur etiam *Officium de cruce*, et saepe *Cursus de passione Domini*, Oudinus (Comment. etc., tom. III. col. 408.) et editores Veneti (Diatriba etc.) spurium illud esse censent, certe non propter rationes ex defectibus opusculi desumtis, cum Oudinus confiteatur, praefatum Officium « ex propriis s. Scripturae verbis esse compositum ». Hinc ei etiam confitendum esset, nihil abiectum ac censura dignum in eo inveniri. P. Bonelli (Prodr. col. 586.) cum Sbaralea illud esse genuinum affirmat; pro quo insigne afferri potest testimonium ex Chronicis XXIV Generalium (cfr. Analecta Francisc. tom. III. pag. 331). Dicitur enim ibi: « Hic Generalis (Bonaventura) ad instantiam domini et sancti Ludovici, regis Franciae Officium devotissimum de cruce composuit ». Idem testatur antiquus cod. Parisiensis saec. XIV. infra sub n. 27. relatus his verbis: « Incipit Officium sanctae crucis completum a fratre Bonaventura ad preces domini Ludovici ». Mirum porro esse non potest, quod inter 38 codices tantum quinque nomen auctoris exhibent (reliqui sunt anonymi), cum agatur de libello *precum* in usum devotionis transcripto, quia orantibus parum curae de nomine auctoris erat. Accedunt testes pro hoc Officio Petrus Perusinus, Franciscus Samson, Marianus Florentinus (vide Prolegomena ad V. tom. pag. LVI seq.) aliique. Hinc satis certum videtur, illud esse opus S. Bonaventurae.

b. Dolendum tamen est, quod codices inter se valde dissentiunt, ponentes differentes antiphonas et orationes; unde certo determinare non potuimus, quae lectio fuerit primitiva. Hae differentiae lectionum inde explicari possunt, quod multi sibi licere putaverint librum devotionis pro libitu accommodare proprio gustui. In textu reformando secuti sumus codices, qui nobis visi sunt meliores, aliorum lectiones maioris momenti ad calcem ponentes.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Civitatis, cod. 649. (olim 141) chart. in 4. saec. XV. — Officio de Passione praemittitur haec rubrica: *Incipiunt hic iam hore de passione Domini. Iesu, Dei verbum, David inclita proles, qui passus es pro nobis, miserere nobis. Domine, labia mea aperies* etc. *Xtum captum et derisum* etc. Desinit per verba: *Benedicamus Domino. Deo gratias.* — In nostra editione signatur littera C.

2. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. n. 1021. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Officium de Passione Domini incipit post alia opuscula fol. 99. v. a verbis: *Domine, labia mea aperies* etc. Desinit fol. 106. v.: *in ardenti desiderio retinere. Qui vivis* etc. Sign. D.

3. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, ex fundo Baldovinetti stanz. 21. E. B. IX. cod. 201. membr. in 12. saec. XV. ineuntis. — Fol. 2. r.: *Incipit officium sacratissime passionis Domini nostri Iesu Christi. Ad Matutinum vers.: Per signum Crucis* etc. Finit fol. 27. v. verbis: *Explicit officium sacratissime passionis Domini nostri Iesu Christi.* Sign. G.

4. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 877. miscell. in 8. saec. XIV. — Incipit hoc opusculum fol. 43. r. cum titulo: *Cursus de passione Domini. Domine, labia mea... Invitatorium. Xtum captum et irrisum* etc. Desinit fol. 60. r: *In memoria retinere, per te Iesu Xte, rex glorie, qui es benedictus in secula seculorum. Amen.* Sign. A.

5. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 4649. membr. in 8. saec. XV. ante medietatem. — Hoc opusculum occurrit fol. 59. r. cum verbis: *Incipit cursus de passione Domini. Domine, labia mea... Invitatorium: Xtum captum et irrisum* etc. Desinit fol. 68. r.: *ad te piissimum episcopum et pastorem fidelium animarum. Qui cum Deo* etc. Sign. E.

6. *Ibidem*, cod. 8258. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit cursus de passione Domini. Invitatorium. Xtum captum et irrisum* etc. Desinit fol. 8. v. per verba: *ad te episcopum et pastorem fidelium animarum. Qui vivis* etc. Sign. F.

7. *Romae*, bibliotheca principum Burghesiorum, cod. 54. membr. in fol. saec. XIV. ante medium. — Post alia opera liturgica fol. 18. r.: *Incipit officium sancte Crucis* etc. Desinit fol. 40. r.: *cum ardenti desiderio retinere. Qui vivis* etc. Sign. B.

Iam diximus supra, tantam esse lectionum in his codicibus differentiam, ut nullum codicem nec distinctam certamque codicum familiam semper sequi potuerimus, ut patet ex notis ad calcem positis. Plerumque tamen praeferendi visi sunt A B D, praesertim quando eandem praebebant lectionem.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Ambiani* (Amiens) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 205. miscell. in 12. saec. XVI. — Rubrica huius opusculi occurrit fol. 13. r. his verbis: *Incipiunt hore de passione Domini nostri Iesu Xti composite a devoto doctore sancto Bonaventura. Ad Matutinum. Domine, labia mea* etc. *Invitatorium. Xtum captum et derisum* etc. Desinit fol. 62. r. cum hac additione: *Finis horarum de passione Domini nostri Iesu Xti, quas composuit doctor devotus Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum.*

9. *Barcinone* in Hispania, bibliotheca Universitatis, cod. 8. 9. 19. chart. in 8. saec. XVIII. — Hoc officium occurrit cum hac rubrica: *Tractatus sancti Bonaventurae eximii Ecclesiae doctoris, videlicet primo de passione Domini officium.* Convenit per omnia cum Vaticana editione, ex qua forsitan fuit exscriptum.

10. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 2921-25 scriptus anno 1467. — Hoc opusculum incipit fol. r. non numerato sub rubrica: *Cursus de passione Domini.* Desinit verbis: *piissimum episcopum et pastorem fidelium animarum, qui vivis* etc.

11. *Ibidem*, cod. 21600. chart. in 8. saec. XVII. — Rubrica huius opusculi est pag. 407 his verbis: *Sancti Bonaventure Seraphici doctoris de passione Domini officium. Invitatorium: Xtum captum et derisum* etc.

12. *Colmariae*, bibliotheca Civitatis, cod. membr. in 16. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Sequitur nunc cursus de passione Domini. Domine, labia mea* etc. *Regem Xtum crucifixum.* Desinit fol. 27. r. verbis: *in ardente desiderio retinere, qui vivis* etc.

13. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. G. VIII. 806. membr. in 12. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. r. non numerato cum rubrica: *Incipit officium sacratissime passionis Domini nostri Iesu Xti.* Lectiones et alia quaedam discrepant ab edito sub sancti Bonaventurae nomine, cetera conveniunt.

14. *Ibidem*, cod. 197. membr. saec. XV. — Convenit fere in omnibus cum cod. praecedenti, etiam in titulo. Nomen auctoris in utroque desideratur.

15. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 220. Gadd. membr. in 8. saec. XV. — Post Psalmos poenitentiales: *Incipit officium sacratissime passionis Domini nostri Iesu Xti. Per signum Crucis* etc. Est anonymum et in aliquibus differt ab edito.

16. *Ibidem*, cod. 226. membr. in 12. saec. XV. — Fol. 160. r.: *Incipit officium sacratissime passionis D. N. I. Xti. Per signum Crucis.* Desinit fol. 200. v. Convenit per omnia cum praecedenti.

17. *Ibidem*, Plut. XXV. cod. 3. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 114. r.: *Incipit officium beatissime passionis et crucis D. N. I. Xti Nazareni. Domine, labia mea* etc. *Xtum captum et irrisum.* Desinit fol. 130. v. prorsus anonymum.

18. *Gothae*, bibliotheca Ducalis, membr. II. n. 35. in 8. saec. XV. exeuntis. — Incipit fol. 1. r. sub rubrica: *Cursus sancti Bonaventure de passione Domini.* Desinit fol. ultimo codicis per collectam Completorii: *Domine Iesu Xte, Fili Dei vivi, qui hora Completorii in sepulcro* etc.

19. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 396. membr. in fol. saec. XIV. — Officium incipit pag. 124 sub titulo: *Cursus de passione Domini.* Desinit pag. 131 verbis: *visionis tue consolationem pervenire concedas. Amen.* Orationes et responsoria non conveniunt cum impresso.

20. *Ibidem*, cod. 1656. membr. in 12. saec. XV. post medietatem. — Opusculum hoc incipit fol. 64. r. verbis: *Domine, labia mea... Christum captum et derisum* etc. Desinit fol. v. non numerato in oratione ad Completorium: *ad te piissimum episcopum fidelium animarum. Amen.* Orationes et responsoria non conveniunt cum impresso, ut in codice praecedenti.

21. *Herbipoli*, bibliotheca Conventus sanctae Crucis Patrum Minorum Conventualium cod. C. I. 144. membr. in 8. saec. XV. — Rubrica huius officii est fol. r. non numerato his verbis expressa: *Cursus de passione Domini.* Desinit post horam nonam, inde transit ad alia.

22. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 5. saec. XV. — Fol. 63. r. legitur: *Cursus de passione Domini.* Desinit fol. 65. v. cum additione: *Finiunt hore breves sive cursus cotidianus de passione Domini edite per devotissimum doctorem Iohannem Bonaventuram anno gratie.* Deest annus, sed aliis opusculis in codic. contentis additur *1487.*

23. *Lucae*, bibliotheca Publica, cod. 1484, membr. in 16. saec. XV. ineuntis. — Opusculo praemittitur rubrica idiomate italico sic: *Icomincia l' offitio della sacratissima passione di Iesu Xpo.* Desinit ut in edito per orationem: *Domine Iesu Xte, qui in hora diei ultima* etc. Additur: *Deo gratias. Explicit officium sacratissime Crucis.*

24. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 6116. membr. in. 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 78. r.: *Incipit officium reverendissime Crucis. Antiphona. Per signum Crucis* etc. Desinit fol. 121: *a morte perpetua liberemur, qui* etc.

25. *Ibidem*, cod. 7835. miscell. in 8. saec. XV. — Officium incipit fol. 74. r. titulo: *Cursus de passione. Domine, labia mea* etc. *Invitatorium: Xtum captum et irrisum.* Desinit fol. 90. v.: *hic et in celesti curia, qui cum* etc.

26. *Montis Angelorum* in Helvetia, bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti, cod. VI. 30. membr. saec. XVI. ineuntis. — Titulus huius opusculi est fol. r. non numerato: *Cursus de passione Domini.* Ordo servatur, sed nonnulla differunt ab editione Vaticana.

27. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 16309. membr. in 4. saec. XIV. post medium. — Fol. 322. r.: *Incipit officium sancte Crucis completum a fratre Bonaventura ad preces domini Ludovici. Domine, labia mea* etc. *Regem crucifixum Dominum venite adoremus.* Desinit incompletum fol. 123. v. verbis: *Fili Dei vivi, Iesu Xte, qui humiliter de Virgine natus...*

28. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. chart. in 12. saec. XV. — Pagina 71 in superiore margine legitur: *Cursus de passione Domini.* Post quandam orationem sequitur: *Domine, labia mea... Xtum captum et derisum* etc. Desinit ad Completorium pag. 88 hac oratione: *Domine Iesu Xte, qui hora Completorii dixisti Apostolis tuis: Tristis est anima mea usque ad mortem, et tribus vicibus orasti ad Patrem, ut, si esset possibile, transferretur a te calix passionis tue; et pre angustia et pavore mentis sanguineum sudorem sudasti et confortationem ab Angelo suscepisti de celo: Ne, queso, permittas, me in manus crudelium inimicorum tuorum tradi, sed iubeas, me adduci per manus sanctorum Angelorum tuorum ad te pissimum episcopum fidelium animarum, qui vivis* etc. Quia pluribus in codicibus (vide n. 5. 6. 10. 31.) legitur haec oratio, ideo opportunum duximus hic eam inserere.

29. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Conventus, cod. Blas. 76. membr. in 12. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 1. r. praemittitur haec notitia: *Frater Iodocus Schüssler, divi Francisci Ordinis conventualis Überlingensis, hunc librum possidet ab anno Domini 1574.* Sequitur Kalendarium, hinc: *Incipit cursus de passione D. N. I. Xti. Domine, labia mea* etc. *Christum captum et derisum* etc. Desinit fol. 33. r. ut in editis.

30. *Solothurnii* in Helvetia, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. membr. in 8, non sign. saec. XIV. ante medium. — Post alias preces fol. r. non numerato: *Incipit cursus de passione Domini.* Admodum differt ab edito.

31. *Tridenti*, bibliotheca Civitatis, ex collectione Tonelli, cod. sine num. membr. in 12. saec. XV. post medium. — Officium passionis incipit fol. non numerato: *Invitatorium. Christum captum et irrisum* etc. Desinit in oratione ad Completorium: *Domine Iesu Christe, qui hora diei ultima* etc.

32. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, cod. class. II. 53. membr. in 16. saec. XV. — Folio 127. v.: *Incipit officium passionis D. N. I. Xti. Domine, labia mea* etc. *Regem Crucifixum* (sic) *venite adoremus.* Desinit ad Completorium ut in edito fol. 166.

33. *Ibidem*, cod. class. II. 55. membr. in 16. saec. XV. ineuntis. — Est rubrica in fol. 106. r.: *Incipit officium passionis D. N. I. Xti.* Desinit ad orationem Completorii ut praecedens.

34. *Ibidem*, cod. class. II. 18. membr. in 16. saec. XV. — Fol. r. non numerato aureis litteris: *Incipit officium passionis Domini nostri Iesu Christi.* Desinit ad Completorium per orationem: *Domine Iesu Christe, qui in hora diei ultima* etc.

35. *Ibidem*, cod. Musaei Correr Class. V. n. 7. membr. in 16. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipiunt de passione Domini. Ad matutinas.* Prosequitur usque ad Completorium, cuius orationi additur: *Laus sit Xto, qui patrum veterum... caro refloruit. Amen.*

36. *Vicetiae* (Vicenza) in Italia, bibliotheca Bertoliana, cod. G. 2. 7. 23. membr. in 12. saec. XV. post medietatem. — Fol. non numerato: *Incipit officium sanctissime passionis Domini nostri Iesu Xti. Ad Matutinum.* Prosequitur usque ad Completorium, sed plura discrepant ab edito.

37. *Ibidem*, cod. G. 2. 7. 29. membr. in 16. saec. XV. exeuntis. — Habet initium: *Incipit officium sancte crucis.* Desinit fol. ultimo exarato ad horam Completorii.

38. *Weimariae*, bibliotheca Ducalis, cod. O. 62. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Rubrica huius occurrit fol. 112. v. verbis: *Incipiunt hore de passione Xti. Domine, labia mea etc... Xtum captum et derisum.* Desinit fol. 132. v. verbis: *tradatur corpus nostrum pulveri et anima nostra creatori, qui vivis et regnas* etc.

§ 10. Opusculum X. Vitis mystica.

a. Incipit hoc opusculum sic: *Ego sum vitis vera*, et pluries impressum est inter opera S. Bernardi cum titulo: « Tractatus de passione Domini ». Quod autem huic illud abiudicandum sit, praeter Bellarminum et Labbaeum etiam insignis operum Bernardi editor, Ioan. Mabillonius, asserit libroque praefigit hanc notam: « Non est S. Bernardi, sed cuiusdam alterius auctoris pii nec indocti nec inelegantis, qui parvos sermones conscripsit ex num. 53 ». Quis autem sit hic auctor nec indoctus nec inelegans, de hoc, quod scimus, nemo inquisivit usque ad P. Bonelli. Hic enim, cum ei communicati essent duo codices (scilicet Vindobonensis et Gottwicensis, etiam a nobis infra notati), qui nomen *Bonaventurae* huic opusculo apponunt, fide horum codicum et aliis indiciis motus, putavit totius tractatus editi auctorem esse S. Bonaventuram. Vidit quidem et confessus est, in codice Vindobonensi et multo magis in alio manifeste truncato tractatum hunc exhiberi multo edito breviorem. Nihilominus non suspicatus est, breviorem illam formam esse primitivam, editam vero insertionibus posterioribus triplo ampliatam. — Sed nos legentes tractatum a Bonelli editum incidimus in multos locos ita ab indole, consuetudine et stilo Bonaventurae alienos, ut totum opusculum illegitimum esse a principio censuerimus. Cum vero postea viderimus, undecim antiquiores et meliores codices in eo convenire, ut vix tertiam partem editorum contineant, et hanc bene ordinatam et titulo et prologo respondentem, et ex altera parte pateat, ea quae in his codicibus deerant, non obscura vestigia praebere, quod ab alio auctore et contra opusculi rationem et unitatem inserta sint; tunc nostrum de genuinitate examen ad eam partem restringendum esse vidimus, quae in his codicibus exhibetur. Haec autem nihil continet, quod non sit Bonaventura dignum; unde accedente in favorem S. Bonaventurae bonorum codicum sufficiente auctoritate, ipsi opus tribuendum esse satis constat, cum nullum alium scriptorem habeat competitorem.

b. Diximus supra, non obscura exstare vestigia, quae ostendunt, multa a posteriore scriptore primitivo operi esse inserta. Hoc apparet praecipue in illis longioribus additamentis, quae a nobis post hunc libellum posita sunt. Secundum prologum enim auctor vult agere de *ligno vitae*, secundum quod est *vitis mystica*, de qua locutus est Christus (Ioan. 15, 1.), huiusque vitis folia, flores fructusque adaptare ad Christum eiusque passionem. Sed in editis scriptor a c. 17. n. 53. (vide infra pag.

192) divertit sermonem ad alia themata, quae multis cum digressionibus describit. Nam multo diffusius agit de aliis floribus, scil. viola humilitatis, lilio castitatis, croco abstinentiae, relicto themate primo. Hoc confitetur ipse scriptor, infra n. 120. (pag. 216), dicens: « Haec autem per quendam excessum de flore lilii spiritualis, qua praecipue floret Vitis et vita nostra, bonus Iesus, in gratiam virginum, ad quarum notitiam hunc tractatum credimus futurum, diligentius pertractare studuimus... *Nec timemus linguas detractorum dicentium, nos uniformitatem materiae non servasse, qui a tractatu vitis in tractatum lilii deciderimus;* cum pro certo sciamus » etc. — Porro a n. 72. (pag. 198) et deinceps in textu alloquitur *moniales*, quasi pro eis tractatum fecerit, dum genuina pars istas virgines Deo consecratas non meminit. — Denique stilus huius scriptoris, certe ingenio et facilitate dicendi non carentis, penitus differt a S. Bonaventurae modo dicendi presso ac sententiarum gravitate singulari, cum ille potius verbose et non sine ambagibus et repetitionibus scribat. Hinc omnino constare videtur, dicta additamenta abiudicanda esse S. Bonaventurae. Quis autem haec scripserit, incertum est, cum verba: « in sermone, quem de Parvis (sive Pueris) conscripsimus » (vide infra pag. 193, notam 6.), non satis indicent auctorem.

c. Quod autem forma brevior iure sit tribuenda seraphico Doctori, id inter 16 codices infra relatos attestantur 11, qui hanc formam habent et libellum illi inscribunt. Eandem formam breviorem habet etiam n. 9, sed tacito nomine auctoris. Duo tantum codices Darmstadienses (n. 1. et 2.) et sunt anonymi et longius opus habent, cod. A integrum, sed B truncatum. Nomen Bernardi prae se fert hoc opusculum in codd. n. 12. (sed cum hac restrictione: « Et *asseritur* beato Bernardo ») et n. 13. Observat Bonelli (Supplementum etc., tom. III. in praevia admonitione col. 2.), siglam B. inventam in codicibus occasionem potuisse dare, ut accipiatur non pro Bonaventura, sed pro Bernardo. Hoc re vera pluries factum esse, alias constat. Inter illos 11 codices, quos secuti sumus, antiquitate et auctoritate eminet cod. C, qui titulum habet: *Sermo Bonaventurae super hoc verbo: Ego sum vitis vera* etc. Non est prorsus improbabile, substantiam libelli primitus compositam fuisse in forma sermonis, ut vult cod. C, et postea mutatam fuisse in affectuosam de passione Domini meditationem, quam seraphico Doctori ita familiarem fuisse traditum est, ut principalem librum suum esse Crucifixum dicere potuerit. Quoad ipsas sententias magna congruentia invenitur inter hanc *Vitem mysticam* et libellum *Lignum vitae*. Sed in eo duo opuscula differunt, quod in *Ligno vitae* manifeste *aliis* stilo presso brevissime proponuntur puncta meditanda, in *Vite mystica* vero auctor ipse se effudit in tenerissimos affectus, plenos tamen multis gravibusque sententiis. Hinc plures codices opellam hanc non inepte inscribunt: « *Planctus* Bonaventurae de passione Domini ». Propter eandem rationem nec mirum videri potest, quod forma orationis vivacior solito appareat et non nihil differat ab eo simpliciore dicendi genere, quod in aliis libris ad instructionem scriptis auctor adhibere solet. Non tamen in scriptis S. Doctoris desunt exempla affectuosi modi scribendi, ut in prologo Opusculi XXI. de XXV Memorialibus, et passim in libello per modum contemplationis scripto de V Festivitatibus (Opusculum V.).

d. Bonelli, ut diximus, denuo edidit integrum opus, quale inter opera S. Bernardi impressum fuit, et adhibitis duobus codicibus eam partem, quam hi habebant, aliquatenus correxit. Quoad reliqua non potuit uti nisi iam editis, et pro fundamento adhibuit editionem Venetam anni 1546. In nostra editione illa magna additamenta harum editionum, licet non genuina, haud putavimus penitus esse supprimenda, quia utilia continent; minora addita posuimus ad calcem, maiora vero post finem libelli. Cum autem textus horum addimentorum in multis locis manifeste esset corruptus, tum in editione Maurina tum apud Bonelli; ope duorum codicum A B saepissime eum emendavimus.

e. Denique notatu dignum est, quod in Breviario Romano ex hoc opusculo depromptae sunt lectiones secundi Nocturni duorum festorum, nempe de Ss. Corde Iesu (vide c. 3. n. 3.) et Ss. plagarum D. N. I. Christi, quod celebratur feria VI. post Dominicam III. Quadrag. (vide cap. 23. n. 1. et 2.). Inscribuntur quidem ibi hae lectiones cum titulo *Sermo S. Bernardi*, quia verus auctor adhuc erat ignotus. — Ex eodem tractatu plura allegantur in illo inedito opere *Rosarium Iesu et Mariae*, de quo locuti sumus supra Prolegom. pag. XL col. 1. circa finem.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 1081. membran. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Rubrica opusculi occurrit his verbis fol. 1. r.: *Incipit prologus in librum, qui dicitur Vitis. O benigna vitis vera, lignum vite* etc. Desinit fol. 119. v.: *finemque sacremus optimo et dulcissimo Iesu. Explicit liber, qui dicitur Vitis.* Vide editionis additamentum ultimum in fine (pag. 189). — In nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, in eodem codice compactum invenitur aliud exemplar ab antiquiore manu exaratum, fol. 124. sub eodem titulo, scilicet: *Incipit prologus in librum, qui dicitur Vitis. O benigna vitis* etc. Desinit fol. 147. v.: *et verbis et factis eius preostensum fuit, qui auditis nuntiorum verbis...* Cetera desunt. Vide editionis cap. 10. n. 1. (pag. 175, notam 9.). Sign. B.

3. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 294. (274.) chart. in fol. saec. XV. — Legitur fol. non numerato rubrica: *Incipit planctus fratris Bonaventure, cardinalis Ordinis Minorum de passione Domini. Ego sum vitis... O Iesu, benigna vitis veni, lignum vite* etc. Suspenditur scriptum cap. 23. n. 1. ad verba: *ardorem rose caritatis in arbore considera passionis.* Deinde notatur: *Reliqua, videlicet finem huius tractatus, quere vertendo folia quinque, ubi incipit: Quis unquam tam gravia.* Sed ista folia fuerunt praecisa. — Verba illa: « in arbore considera passionis », fortasse respiciunt *arborem* illam in opusculo *Lignum vitae* descriptam, cuius secunda pars agit *de passione Domini.* Sign. G.

4. *Lentiae* (Linz) in Austria, bibliotheca Publica, cod. P. N. 6. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis vel saltem saeculi XIV. incipientis. — Fol. r. non numerato incipit opusculum cum hoc titulo: *Sermo Bone Venture super hoc verbo: Ego sum vitis vera. Ego sum vitis* etc. *O Iesu, benigna vitis, veni.* Desinit cap. 24. n. 3. (pag. 188) verbis: *talis te ut complectatur exspectat. Caput floridum multis.* Desunt igitur genuini operis paucae tantum lineae. Sign. C.

5. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 18648. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit tractatus vel sermo devotus et utilis de passione dominica, editus a cardinali Bonaventura super illo verbo Iohannis: Ego sum vitis vera.* Desinit fol. 17. r.: *Divinitatis tue imaginem reformemur. Prestante Domino nostro. Amen. Deo gratias.* Sign. D.

6. *Ibidem*, cod. 18649. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 216. r. cum hac rubrica: *Tractatus domini Bonaventure de passione Domini super illo verbo Iohannis: Ego sum vitis vera.* Desinit fol. 243. r. ut in codice praecedente. Deinde alia manus eiusdem aevi addidit: *Explicit tractatus domini Bonaventure.* Sign. E.

7. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4178. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 121. v. legitur: *Incipit planctus Bone Venture de passione Domini. Ego sum vitis... O Iesu mitis, veni.* Desinit fol. 133. r. cum editione, addito: *Explicit planctus Bone venture de passione Domini.* Sign. H.

8. *Zwettel*, bibliotheca Monasterii, cod. 76. membr. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit fol. non numerato sub titulo: *Planctus Boneventure de passione Domini. Prologus.* Desinit ut in edito cum additione: *Explicit planctus Bone venture.* Sign. F.

Iam supra de his codicibus plura diximus. Solummodo codd. A B totum opus a Bonelli iterum editum continent, et ideo aliam familiam repraesentant; hi tamen utiles fuerunt ad emendanda tot additamenta sumta ex editis. Etiam quoad eam partem, quae genuina est, non raro lectiones bonas aliorum codicum confirmarunt. Sed manifestum est, quoad hanc partem legitimos testes esse illos sex codices collatos, qui distinctam familiam repraesentantes, valde inter se conveniunt. Plerumque duos antiquiores codd. C et F secuti sumus.

II. Codices a nobis non collati.

9. *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. 575. miscell. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 80. r. sine titulo: *Iesu benigne, vitis vera, lignum vite* etc. Desinit fol. 103. v.: *ut conformati imagini passionis tue, ad eam quoque, quam peccando amisimus, tue Divinitatis imaginem reformemur.* Vide editionis cap. 24. n. 4.

10. *Hamburgi*, bibliotheca Civitatis, Gefflen. biblioth. N. 7, modo theolog. XXI. cod. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 13. v.: *Incipit planctus fratris Bonaventure cardinalis de passione Dei et comparatio Xti passi ad vitem in exterioribus accidentiis et in interioribus proprietatibus pulcherrima, et quare in Evangelio dicit Dominus: Ego sum vitis vera. Prologus in eundem tractatum.* Desinit fol. 22. v.: *Divinitatis tue imaginem reformemur. Prestante D. N. I. Xto, qui cum Patre et Spiritu sancto in unitate vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen. Explicit dulcissima meditatio lacrimosa et amorosa, cordis compunctiva de passione Xti, per manus fratris Iohannis Sartoris de conventu Halberstadi, pro tunc lectoris secundarii in Hamborg. Anno Domini MCCCC41, dominica secunda post Epiphaniam Domini.*

11. *Medelci*, bibliotheca Monasterii, cod. D. 32. membr. in 4. saec. XV. — Rubrica opusculi est fol. 155. r. his verbis: *Incipit tractatus vel sermo devotus et utilis de passione dominica, editus a cardinali Bonaventura super illo verbo Iohannis: Ego sum vitis vera.* Desinit fol. 169. v.: *reformemur. Prestante Domino nostro. Amen.*

12. *Traiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 78. inter S. E., membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Folio r. non numerato: *Incipit liber, qui intitulatur: Ego sum vitis vera, et ascribitur beato Bernardo. Prologus.* Desinit fol. ultimo v.: *Cuius nomini principium opusculi huius sacravimus finemque sacremus optimo et dulcissimo Iesu. Quod* etc. *Explicit liber, qui vocatur: Ego sum vitis vera, de dulcissimo Iesu Xto.* Alia manus saec. XV. addidit: *Qui alio nomine intitulatur. Flores crucifixi Iesu.*

13. *Ibidem*, cod. 224. int. S. E. membr. in 4. saec. XV. — Incipit fol. 3. r. cum rubrica: *Prologus deprecatorius beati Bernardi abbatis super verbis evangelicis: Ego sum vitis vera. Ihesu benigne* etc. Desinit fol. 59. v.: *iugiter per humilitatis custodiam conservemus. Amen* (cfr. infra pag. 159, nota 6. et pag. 222, n. 155.). *Explicit tractatus de proprietatibus vitis sive flores Crucifixi.*

14. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4444. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 245. r.: *Incipit planctus Bone Venture de passione Domini.* Desinit fol. 254. r.: *imaginem reformemur, qui vivis et regnas. Explicit planctus Bone Venture de passione Domini.*

15. *Ibidem*, cod. 4362. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Hoc opus incipit fol. 231. v. sine ullo titulo: *Ego sum vitis vera* etc. *O Iesu mitis, veni, lignum* etc. Desinit cum editione fol. 249. v. et additione: *Explicit planctus Boneventure de passione Domini Iesu Xti.*

16. *Ibidem*, cod. 4487. chart. in 4. saec. XV. — Post alia opuscula sancti nostri Doctoris fol. 273. r. est rubrica huius: *Incipit alter tractatus eiusdem Boneventure de passione Xti. Et solet intitulari planctus Boneventure. Ego sum vitis vera* etc. *Iesu mitis, veni.* Desinit fol. 289. v. sicut in editione; additur: *Explicit planctus Bonaventure de passione Domini.*

CAP. II.

De genuinis operibus, quae ad res Ordinis Fratrum Minorum spectant.

His operibus primo loco adnumeranda est illa praeclara *Quaestio* de *Paupertate*, quam in tomo V. nostrae editionis pag. 124 seqq. publicavimus, et de qua in Prolegomenis istius voluminis c. II. § 1. seqq. diffuse rationem reddidimus. Haec Quaestio erat disputata in scholis et deinde publicata contra Gulielmum a S. Amore, qui in magna illa lite, quam Universitas Parisiensis egit contra Mendicantes, fuit antesignanus. Obiectiones eiusdem contra hanc Bonaventurae Quaestionem disputatam antea non notas ex quodam codice bibliothecae Laurentianae (Florentiae) publicavimus (vide Prolegom. pag. VII. seqq.). Licet illa Quaestio de paupertate secundum materiam spectet ad hunc tomum, noluimus tamen eam separare ab aliis illis Quaestionibus disputatis ad quintum tomum pertinentibus, praesertim de Perfectione evangelica, cuius partem constituit.

Inter opuscula ad Ordinem spectantia huius VIII. tomi primo loco ponimus ea quae magis ad defensionem Ordinis illa aetate vehementissime impugnati spectant. Haec sunt quinque (Opusc. XI-XV.), inter quae eminet Opusc. XI. *Apologia pauperum.* Sequuntur deinde ea quae pro instructione Religiosorum scripta sunt (Opusc. XVI-XXII.), denique utraque Legenda S. Francisci.

§ 1. **Opusculum XI. Apologia pauperum.**

a. Inter certissima s. Doctoris opera et principalia ab omnibus eruditis viris hic liber, qui incipit: « Summi legislatoris » etc., semper recensebatur. Hoc asserit ipse Oudinus (Commentarii etc. tom. III, col. 392) eumque inter ea indubia Bonaventuriana ponit, ex quibus, ut dicit, « attente lectis methodum seraphici Doctoris agnoverit neque plane elegantem neque omnino neglectam, sed media quadam inter elegantiam et negligentiam incedentem via, cuius tamen aliquando phrases ad deiectionem tendant, more Scholasticorum huius temporis. Quoad ingenium cognovi illud grave et virile ac nullatenus infans aut monachale vel simplex, omnem in expressionibus barbariem ac nugacitatem vitans. Qua ex impressione accinxi me ad discussionem operum atque opusculorum sub illius nomine circumlatorum, quam nullus hucusque aggressus est ». Certe Oudinus more humanistarum nullam stili praestantiam agnovit nisi formatam secundum auctores classicos Latinos.

Hic liber saepissime ab antiquis testibus tribuitur S. Bonaventurae, imprimis ab Ubertino a Casali tum in libro *Arbor vitae crucifixae Iesu,* libro III. c. 9, tum in illis scriptis, quibus in magno illo in curia Romana agitato processu defendit Spirituales, quae a cl. P. Ehrle S. I. publicata sunt in Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters, tom. III. 1-195. Ibi pluries citatur haec Apologia (vide pag. 59 et alibi) ab Ubertino et etiam ab adversario eius Raymundo (vide pag. 94). Citatur etiam a Michaele de Cesena in epistola appellationis an. 1328 Pisis scripta (Baluzii Miscellanea, editio Mansi tom. III. Appendix, pag. 251 col. 1). Item, de eadem dicitur in Chronicis XXIV Generalium (Analect. Francisc. tom. III, p. 326): « Existens vero Generalis, libellum perniciosissimum, qui creditur fuisse magistri Geraldi de Abbatisvilla per *Apologiam* tam eleganter quam subtiliter confutavit ». Item citatur in libro *Conformitatum* Bartholomaei Pisani (libr. I. p. II. fruct. 8.). Superfluum est posteriores testes quam plurimos allegare, cum multi codices, etiam saeculi XIII, infra relati Bonaventurae suffragentur.

b. Occasionem scribendi hanc Apologiam Ordinis praebuerunt calumniae cuiusdam magistri Parisiensis in libello, qui incipit: « Tantum sibi praesumtionis assumserunt quidam homines » etc., de quo necessaria dicta sunt infra pag. 233, nota 2. Ibidem n. 4. etiam probatur, hoc opusculum non ante annum 1269 scriptum esse. — Magna illud diligentia, abundante doctrinae copia et ingenii subtilitate elaboratum est. Abundat textibus Scripturae et Ss. Patrum ac Canonum testimoniis non vulgaribus, quae non sine improbo labore omnia invenire potuimus. Sophismata adversarii et falsa principia auctor funditus evertit, sinceram evangelicam doctrinam solide probat atque verum Regulae Fratrum Minorum sensum patefacit. — Nec mirandum, quod auctor in Apologia multo acrius calumniatorem hunc, sed tacito nomine, insectetur, quam prius errores Gulielmi a S. Amore. Iam enim Sedes apostolica iudicium suum de re controversa tulerat, condemnans libellum Gulielmi; sed hic denuo eosdem et peiores errores protulit, ita ut Gulielmum « non parva temeritate velut innocentem excusaret ipsiusque doctrinam commendaret, non sine multa iniuria Sedis iam dictae » (Apolog. c. 8. n. 1.; cfr. etiam c. 1. n. 1.). In hunc igitur calumniatorem omni excusatione destitutum verus zelus animarum et gloriae divinae S. Doctori arma ministravit iustitiae, temperata tamen vera christiana caritate. Hoc ultimum testantur ipsa Sancti verba in prologo, praesertim n. 2, et in c. 6. n. 20, ubi dicit: « Super quo Patri misericordiarum sacrificium devotae precis offerimus, ut, sicut de ipsius subversione doluimus hactenus, ita de conversione in posterum gaudeamus ».

Edita est haec Apologia in *prima*, ut videtur, collectione parvorum Opusculorum S. Bonaventurae, quae est sine indicatione loci, temporis et typographi (vide Bonelli Prodrom. col. 280), et in fere omnibus subsequentibus.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii,* bibliotheca Communalis (olim Conventus sancti Francisci), cod. 121. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Rubrica huius operis occurrit fol. 113. r. his verbis: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatores. Summi legislatoris constat diffinitione sancitum* etc. Desinit fol. 176: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.* — Signatur a nobis littera G.

2. *Florentiae,* bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVII. Dextr. cod. 9. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Pagina 26 legitur: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Pag. 118 desinit cum additione: *Laus et honor Xto soli de fine sit isto.* Sign. A.

3. *Ibidem,* bibliotheca Nationalis, cod. B. III. 1283. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumpniatorem B. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 56. r.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Explicit Apologia pauperum. Deo gratias.* Manus sequentis aevi addidit: *Finito libro sit laus et gloria Xto. Amen.* Sign. D.

4. *Perusiae,* bibliotheca Communalis, cod. E. 58. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 219. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum editam a domino Bonaventura Ordinis Minorum adversus calumpniatores et precipue contra magistrum Geraldum de Villa abbatis. Summi legislatoris* etc. Desinit fol. 249: *salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.* Sign. F.

5. *Pragae,* bibliotheca Capituli metropolitani, cod. A. LXXIX. 4. miscell. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Hoc opus occurrit fol. 9. v. sub titulo: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Prosequitur usque ad fol. 20. (responsio 3, cap. 9. n. 13.) et verba: *ad inferna descendit. Glossa Luce XV.* Cetera fuerunt amandata, ex incuria forsan compactoris, ad calcem codicis. Desinit nunc fol. 288. r.: *salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen. Explicit in apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Saepe sed saepius infra textum interseruntur quaedam titulo *Glossa;* sed

attentius considerando invenimus, huiusmodi additiones nihil aliud esse nisi repetitiones eorum quae leguntur in textu aliquatenus a scriptore accommodata vel contracta. Collatio facta est usque ad cap. 9. n. 13. Sign. E.

6. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. 64. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 1. r. a prima manu praemittitur haec rubrica: *Apologia fratris Bone venture Ordinis Minorum de Balneo regio.* Hinc col. 1: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calupmniatorem.* Desinit fol. 46. v. cum additione: *Explicit Apologia adversus calumpniatorem edita a fratre Bonaventura, Ordinis Fratrum Minorum generali Ministro.* Sign. C.

7. *Ibidem*, cod. 174. membr. in 12. saec. XIV. ineuntis. — Ad calcem 1. fol. r. prima manus scripsit hanc rubricam: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Desinit fol. 83. r.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.* Sign. B.

Excepto codice Pragensi, de quo vide supra n. 5, ceteri unam familiam constituunt, praesertim antiquiores A B C D G, qui inter se tantum in minutis rebus dissentiunt. In Florentino cod. A, licet sit bonus, desideratur manus correctoris, alter vero (D) hoc habet cum editione 1 commune, quod quodlibet capitulum dividat in duas partes, quarum prima exhibet principia, altera refutationem adversarii. Duo Tudertini sunt optimi, sed B interdum aliquod vocabulum omittit, C vero nonnunquam superfluum addit, quod etiam in Assisiensi G notandum est.

Collatae sunt etiam editiones duae: una, quae est anni 1484, cum in fine Breviloquii eisdem typis impressi et in unum volumen compacti hic annus legatur; altera est edita cum doctis notis a P. Soldati Ord. Praed. Romae an. 1773.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Augustae Taurinorum*, bibliotheca Universitatis, cod. D. IV. 25. membr. in fol. parv. saec. XIII. exeuntis. — Rubrica occurrit fol. 18. r. verbis: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 68. v.: *salvam faceret a persequentibus animam meam. Laus et honor Xto soli de fine sit isto.*

9. *Ibidem*, cod. D. VI. 50. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Huius operis initium est fol. 1. r. sub hoc titulo: *In nomine Iesu Xti incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Ad verba: *Prime responsionis prima particula primumque capitulum,* ignara manus saec. XVII. scripsit: *Apologia Fratrum Minorum contra Decretales Ioannis 22.* Desinit fol. 72. v. verbis Hieronymi: *Non negamus cunctis pauperibus* (cap. 12. n. 38.). Cetera desiderantur.

10. *Boloniae* (Boulogne) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 69. miscell. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 105. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumpniatorem.* Desinit fol. 160. r. verbis: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.*

11. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 12167-71. membr. in 12. saec. XV. — Hoc opus est fol. non numerato cum sequenti titulo: *Incipit Apologia pauperum adversus calumniatorem paupertatis evangelice, edita a domino Iohanne Bonaventura, doctore Seraphico.* Desinit: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen. Explicit Apologia domini Iohannis Bonaventure contra paupertatis evangelice adversarium compilata.*

12. *Erfordiae*, bibliotheca Regia, cod. 65. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 4. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum contra calumniatorem. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 66. r. cum additione: *Explicit Apologia pauperum adversus calumniatorem, edita a domino Bonaventura cardinali et Fratre Minore.*

13. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVII. Dextr. cod. 6. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Opus occurrit fol. 13. r. cum titulo: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem.* Desinit fol. 79. r.: *animam meam. Amen. Explicit hoc opusculum. Deo gratias.*

14. *Ibidem*, Plut. XV. Dextr. cod. 12. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 42. r.: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem, quam fecit frater Bonaventura Ordinis Minorum Fratrum generalis Minister et sancte Romane ecclesie cardinalis et episcopus Albanensis. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 77. v.: *animam meam. Explicit Apologia bone memorie fratris Boneventure et domini albanensis et episcopi cardinalis. Deo gratias. Amen.*

15. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina Capituli, cod. Est. y. 130. N. 40. membr. saec. XIII. exeuntis. — Rubrica opusculi est fol. 95. r. his verbis: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumpniatorem. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 150. v.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen.*

16. *Leodii*, bibliotheca Universitatis, cod. 78. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumniatorem. Summi Legislatoris* etc. Desinit fol. 41. v. cum editione: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

17. *Medelci*, bibliotheca Monasterii, cod. E. 5. chart. in fol. saec. XV. ante medium. — Titulus huius opusculi est fol. 1. r. his verbis: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus calumpniatorem a doctore devoto domino Bonaventura compositam.* Desinit fol. 70. r. verbis, quae in originali non inveniuntur: *et assumendo, que naturaliter toti mundo sunt nota. Ista humiliter sint dicta et sine aliqua presumptione vel temeraria assercione sint scripta.*

18. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 1129. membr. in 4. saec. XV. ante medietatem. — Fol. 5. r.: *Sancti Bonaventure, doctoris devoti in Apologiam pauperum contra calumpniatorem prologus incipit.* Desinit fol. 88. v. cum sequenti additione: *Apologia pauperum devotissimi doctoris domini Bonaventure adversus calumpniatorem compendiosus tractatus feliciter explicit.*

19. *Romae*, bibliotheca olim Principum Burghesiorum, cod. 226. membr. saec. XIII. exeuntis. — Apologia est mutila, incipit enim fol. 1. r. a cap. 7. n. 15. verbis: *onere liberatus es. Nudum Xtum nudus sequere.* Desinit fol. 72. r.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Amen. Explicit Apologia pauperum.*

20. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, cod. Class. VIII. 173. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum est exaratum a diversis manibus eiusdem aevi; habet initium fol. 1. r. cum rubrica: *Incipit prologus in Apologiam pauperum adversus*

calumpniatorem. Summi Legislatoris etc. Desinit fol. 87. v.: *ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

§ 2. **Opusculum XII. Epistola de tribus quaestionibus ad magistrum innominatum.**

Superfluum est quaestionem instituere, num hoc opusculum, quod incipit: « Innominato magistro spiritum intelligentiae » etc., sit legitimum Bonaventurae scriptum. Nullus enim vir eruditus de hoc unquam dubitavit, nec ipse Oudinus (loc. in § praecedenti cit.). Iam sola codicum auctoritas ad hoc probandum sufficeret, coniuncta cum indole operis, cum inter 30 codices infra relatos in 4 tantum desideretur nomen auctoris, sed in 26, quorum multi sunt valde antiqui, explicite Bonaventura nominetur auctor. — De occasione scribendi hanc Epistolam ratio redditur in ipso opusculo et praesertim cfr. pag. 332, nota 1, in qua tamen corrigenda sunt verba lineae 8, quod cod. L sit « omnium aliorum antiquior », quia revera est saeculi XV. Praeterea notatu dignum est id quod pag. 336, nota 6. ex illo codice exscriptum est.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis (olim sancti Francisci), cod. 111. membr. in 12. saec. XIV. — Epistola sancti Bonaventurae incipit post alia opera cum sequenti rubrica: *Responsiva super quibusdam articulis regule. Innominato magistro* etc. Desinit verbis: *et si te vocaverit, non recuses. Vale in Domino. Amen.* — A nobis signatur littera K.

2. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 776. progress. 1268. miscell. in 8. saec. XV. — Fol. 81. r. est sequens rubrica: *Incipit dominus Bonaventura ad magistrum innominatum.* Desinit fol. 84. v.: *et si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino Iesu. Explicit.* Sign. G.

3. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVII. Dext. cod. 9, de quo locuti sumus supra pag. LXVI, n. 2. — Initium huius est pag. 59 cum rubrica: *Incipit quoddam opusculum fratris Bonaventure, generalis Minorum Fratrum de declaratione quorundam articulorum regule Minorum Fratrum. Innominato magistro* etc. Desinit pag. 122: *non recuses. Explicit eliminatio errorum magistri contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum Bonaventuram, qui tunc rexit Parisius. Deo gratias.* Sign. B.

4. *Ibidem*, Plut. XXXI. Sin. cod. 3. membr. in fol. saec. XIV. post medietatem. — Hoc opusculum occurrit fol. 195. r., praemisso titulo: *Ad innominatum magistrum. Innominato magistro frater Bonaventura spiritum* etc. Desinit fol. 196. v.: *et si vocaverit, non recuses. Vale in Domino. Amen.* Sign. C.

5. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 8090. chart. in 4. saec. XV. ante medietatem. — Hoc opusculum incipit fol. 42. r., praemissa sequenti rubrica: *Frater Bonaventura contra quosdam regulae detractores. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 49. v.: *et si te vocaverit, non recuses. Amen. Explicit eliminatio errorum magistri cuiusdam contra Regulam beati Francisci, Domino concedente, per servum suum fratrem Bonaventuram composita, qui tunc rexit Parisius et postea factus est Minister generalis septimus a principio Ordinis Minorum et decem et octo annis salubriter prefuit et ministravit Ordini et postea est factus cardinalis et episcopus.* Sign. D.

6. *Ibidem*, cod. 23446. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Incipit opusculum fol. 133. v. sine ullo titulo: *Innominato magistro* etc. Desinit fol. 137. r. cum additione: *Explicit eliminatio errorum magistri innominati contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum Bonaventuram. — Cessat pictura divino dogmate pura — quam Bonaventura depinxit non sine cura.* Sign. E.

7. *Ibidem*, cod. 23595, olim Conventus sancti Francisci Assisiensis, membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 54. r. manus aevi posterioris opusculo praemisit rubricam: *Incipit epistola fratris Bonaventure; quam misit cuidam magistro super dubiis motis ab ipso in Regula beati Francisci.* Desinit fol. 55. r.: *non recuses. Vale in Domino. Amen.* Sign. F.

8. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 1129. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 89. r. occurrit rubrica huius opusculi his verbis: *Devotissimi doctoris domini Bonaventure ad quendam magistrum Parisiensem epistola de quibusdam articulis Regule Fratrum Minorum.* Desinit fol. 93. v.: *Vale in Xto. Amen.* Ex hoc cod. sumta est specialis additio pag. 336, nota 6. huius voluminis. Sign. L.

9. *Romae*, bibliotheca sancti Isidori Hibernorum, cod. modo 5. saec. XVI. — Opusculum est fol. 51. v. sub titulo: *Incipit declaratio sancti Bonaventure super tribus punctis Regule. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 58. ut in editis. Sign. I.

10. *Ibidem*, cod. 77. chart. saec. XV. — Fol. 221. r. in superiore margine legitur: *Declarationes beati Bonaventure super tres articulos Regule. Primus articulus. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 224. v.: *non recuses. Vale in Domino et ora pro me. Explicit apologia etc.* Sign. M.

11. *Ibidem*, cod. 45. chart. saec. XV. — Fol. 55. r.: *Epistola fratris Bonaventure generalis Ministri, quam misit cuidam magistro super dubiis motis ab ipso in Regula beati Francisci.* Desinit fol. 58. r.: *non recuses. Vale in Domino. Amen.* Sign. N.

12. *Ibidem*, cod. 84. miscell. in 12. saec. XV. — Fol. 362. v. est rubrica huius opusculi his verbis: *Sanctus Bonaventura super tribus punctis Regule innominoto magistro.* Desinit fol. 369. v.: *non recuses. Vale in Domino. Amen.* Sign. O.

13. *Ibidem*, bibliotheca olim Principum Burghesiorum, cod. 271. membr. in 8. saec. XIV. — Haec epistola incipit fol. 55. v. sine ulla rubrica per verba: *Innominato magistro* etc. Desinit fol. 57. v.: *si te vocaverit, non recuses.* Sign. H.

14. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 680. chart. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 116. r. cum hac rubrica: *Dominus Bonaventura cardinalis contra quosdam Regule detractores.* Desinit fol. 120. v.: *non recuses. Amen*, cum eadem additione: *Explicit eliminatio errorum* etc., quae habetur in cod. n. 5. Sign. A.

Quoad relationem, quam hi codices collati inter se habent, non potuimus distinguere constantem familiarum differentiam; attamen iam ex descriptione codicum apparet, in rebus accidentalibus plures magis inter se convenire, ut ex eodem fonte videantur esse derivati. Ceterum fere omnes in locis plurimis quos mutavimus, discedunt ab editis et in rebus minutis sensum non alterantibus insolitam praebent multitudinem lectionum variantium (cfr. pag. 331, nota 1. in fine).

II. Codices a nobis non collati.

15. *Brixiae*, bibliotheca Quinciniana, cod. II. VI. 6. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 328: *Epistola sancti Bonaventure. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 331. ut in editis.

16. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 12167-71, de quo locuti sumus in opusculo praecedenti sub n. 11. Hoc incipit cum rubrica: *Eliminatio erroris magistri contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum beatum Bonaventuram. Innominato magistro* etc. Desinit: *et si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino.*

17. *Friburgi* in Helvetia, bibliotheca Patrum Minorum Conventualium, cod. 23. miscell. saec. XV. ineuntis. — Fol. 52. r. est sequens titulus: *Bonaventura supra quibusdam articulis Regule. Innominato magistro* etc. Finis est fol. 55. v.: *non recuses. Explicit. — Cessat pictura divino dogmate pura — quam Bonaventura depinxit non sine cura.*

18. *Londini*, collectio Harleana, cod. 3995. membr. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 57. r. sine ullo titulo: *Innominato magistro* etc. Desinit fol. 59. v. ut in editis.

19. *Ienae* in Borussia, bibliotheca Universitatis, II. collect. Bossian. cod. oct. 14. miscell. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 298. v. verbis: *Proponis, charissime, ut tibi tres articuli de Regula Fratrum Minorum solvantur.* Desinit fol. 301. v.: *et si vocaverit te, non recuses. 1477. Explicit eliminatio errorum circa Regulam beati Francisci per dominum Bonaventuram.*

20. *Ibidem*, in eodem codice, sed ab alia manu eiusdem saeculi, est aliud apographum huius opusculi fol. 315. r. sub hoc titulo: *Incipit epistola domini fratris Bonaventure ad magistrum Guillerrimum* (sic) *de sancto Amore. Innominato magistro* etc. Desinit fol. 320. r.: *non recuses. Vale in Domino. Amen. Explicit epistola domini fratris Bonaventure ad magistrum Guillerrimum de sancto Amore.*

21. *Lucernae*, bibliotheca Cantonalis, cod. 11. chart. in 12. saec. XV. — Post alia opera fol. r. non numerato est titulus huius his verbis: *Epistola sancti Bonaventure ad magistrum innominatum eliminans errorem contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum sanctum Bonaventuram. Innominato magistro* etc. Desinit: *et si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino.*

22. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 15.ª in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 266. v. cum titulo: *Eliminatio erroris Magistri contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum sanctum Bonaventuram.* Desinit fol. 273. v.: *non recuses. Vale in Domino.*

23. *Oxonii*, bibliotheca Canonic., cod. 91. chart. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 46: *Incipit epistola domini sancti Bonaventure in responsione quorundam dubiorum circa Regulam Fratrum Minorum. Proponis, charissime* etc. Desinit fol. 59: *si vocaverit te, non recuses.*

24. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 165. v.: *Incipiunt quedam epistole sancti Bonaventure et primo ad magistrum innominatum eliminans errorem contra Regulam beati Francisci, domino respondente per suum servum Sanctum Bonaventuram.* Desinit fol. 170. r.: *Si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino.*

25. *Parmae*, bibliotheca Regia, cod. 112. chart. in 8. saec. XV. — Incipit opusculum fol. 20. r. cum titulo: *Dubitatio triplex in Regula: paupertatis, laboris et studio* (sic). *Innominato magistro* etc. Desinit fol. 22. r.: *et si te vocaverit, non recuses.* Alia manus eiusdem saeculi addidit: *Vale in Domino.*

26. *Romae*, bibliotheca Barberini, cod. XI. 149. membr. saec. XIV. — Post alia fol. non numerato: *Incipit epistola fratris Bonaventure generalis Ministri missa cuidam magistro super dubiis motis ab ipso super Regulam Fratrum Minorum.* Desinit verbis: *et si te vocaverit, non recuses. Vale.*

27. *Ibidem*, bibliotheca Societatis Iesu, cod. 2. membr. saec. XIV. exeuntis. — Huic opusculo praemittitur a posteriore manu fol. 1. v.: *Epistola innominato magistro.* Desinit fol. 3. v. ut in editis.

28. *Scaffhusae* (Schaffhausen) in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 5, de quo egimus supra in opusculo VIII. c. I. n. 5. Haec epistola incipit fol. 38. v. sine titulo: *Innominata magistro* etc. Desinit fol. 31. v. cum sequenti additione: *Explicit eliminatio errorum magistri contra Regulam beati Francisci, Domino respondente per servum suum Bonaventuram, qui tunc rexit Parisius et post factus est Minister generalis septimus a principio Ordinis fratrum Minorum.*

29. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. class. in 4. 83. chart. saec. XV. — Post alia opera fol. 188. v. est haec rubrica: *Sequitur determinatio quorundam articulorum de Regula Fratrum Minorum per dominum Bonam venturam tunc Regentem parisiensem edita et transmissa cuidam in artibus liberalibus Magistro, averso ab Ordine per quosdam emulos alterius Ordinis religiosos. Magistro innominato spiritum* etc. Desinit fol. 94. r.: *et si te vocavit* (sic), *non recuses etc. Deo gratias.*

30. *Ibidem*, cod. IV. class. in 4. 193. chart. saec. XV. — Fol. 223. r. praemittuntur opusculo eadem verba, quae in praecedenti, cum quo perfecte convenit, etiam in fine, qui occurrit fol. 226. r. circa medium.

§ 3. Opusculum XIII. Determinationes quaestionum circa Regulam Fratrum Minorum.

a. Hae *Determinationes* incipiunt: « Cum inter alios Ordines Religiosorum » etc. Genuinas easdem esse tum quoad primam tum quoad secundam partem censent Oudinus, editores Veneti, Sbaralea et Bonelli (Prodrom., col. 611). Ipsae videntur primo esse editae in collectione opusculorum Argentinae facta an. 1495; deinde habentur in subsequentibus et in *Firmamento trium Ordinum S. Francisci*, Paris. 1512. Adscribuntur Bonaventurae etiam in indiculis Mariani Florentini et Anonymi Pistoriensis, omnesque 6 codices infra relati pro prima parte idem testantur.

b. Diximus *pro prima parte*, quia pro secunda parte non habemus testem nisi unum codicem Romanum in Collegio S. Isidori, qui nunc ibi amplius non invenitur. Haec enim pars in omnibus praecedentibus editionibus impressa est tanquam opusculum distinctum cum speciali titulo: *Liber apologeticus in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur* (vide infra pag. 356, notam 6.). Sed hunc librum apologeticum non esse nisi quandam continuationem primae harum *Determinationum* partis, certum nobis esse videtur. Deficit in eo omnino prologus et absolute incipit his verbis: « Praeter hoc, quod surripitis

clericis eleemosynas, quae ipsis darentur, si vos non essetis » etc. Haec verba *Praeter hoc* iam insinuant aliquid praecedenter dictum, et reapse in fine primae partis (q. 27.) iam facta est mentio de praeiudicio, quod clerici quoad temporalia a Fratribus patiantur. Alias rationes vide pag. 356, in nota 6. modo citata. Genuinam etiam hanc secundam partem esse, duce Oudino (loco saepe citato), Sbaralea et Bonelli admittunt, et etiam editores Veneti, qui tamen addunt: « Antiquorum neminem vidimus, qui gemina haec opuscula (scil. I. et II. partem) recenseat ». Revera, ut iam diximus, ante Marianum Florentinum pars II. in nullo alio indiculo invenitur (vide Prolegomena ad tomum V. pag. LIX).

Dum prima pars opusculi habetur in sex codicibus, secundae partis nullum habuimus conferendum. Unicus enim, cuius notitiam habemus, fuit Romae, in Collegio S. Isidori. Hic collatus est a P. Soldati O. P., qui Romae an. 1772 hoc cum aliis opusculis edidit (cfr. Prolegomena ad tom. V. c. 2. § 1.). Bonelli (Prodrom. col. 608) de utraque parte dicit: « Quae tradit amborum auctor de conditionibus necessariis ad officium regiminis animarum (p. II. q. 5.) apprime conformia sunt illis quae leguntur in tractatu *de sex Alis Seraphim.* Sicut in Epistola de reformandis Fratribus Ordinis vult, officia praedicationis et confessionis cum multo examine imponenda; ita hic necessaria ad praedicationis officium praescribit (q. 4.). Quae etiam docet de cura Ordinis S. Clarae (q. 17.) omnino concordant cum his quae libr. I. c. 8. n. 11. et 12. retulimus » (ubi idem narratur fide aliorum auctorum). Idem probat deinde, nihil obstare quod ibi (q. 16.) de *Beguinis* dicitur, quia iam illa aetate in Belgio et Gallia hoc nomen quibusdam piis et orthodoxis feminis et plerumque tertii Ordinis S. Francisci dari consuevit. Ad hoc confirmandum ille affert ex sermone quodam Fr. Guiberti de Tornaco Ord. Min., auctoris saec. XIII., ad *Beginas* inscripto haec verba: « In diebus nostris, sicut aliquae mulieres malae, ita sunt aliquae per Dei gratiam bonae, quae a timore Domini conceperunt spiritum salutarem et in medio perversae nationis et pravae vitam ducunt sanctissimam, et hae dicuntur *Beginae* » (cfr. infra pag. 368, nota 5.).

Quoad primam partem, id est *Determinationes quaestionum,* Bonelli solvit obiectionem, quae fieri posset contra solutionem quaestionis 6, ubi magnos Conventus nequaquam dissonos esse paupertati Fratrum Minorum docere videtur, cum alibi, praesertim in Epistolis officialibus infra pag. 468-471 relatis improbet aedificiorum *constructionem sumtuosam et curiosam.* Ad hoc bene respondet Bonelli, ibi conari quidem Bonaventuram satisfacere quaerentibus: « Cur Fratres Minores habeant magnos Conventus », sed eos defendere comparate ad *casellas et vilia habitacula,* non vero approbare eos qui reapse sint *magni et sumtuosi et paupertati absimiles,* sed qui tales *appareant,* licet non sint; illos vero, qui revera sint, reprobare, dicens: « Non tamen intendo in his excusare, nisi quae valde necessaria sunt et rationabiliter » etc.

c. Licet praedicti quatuor viri docti etiam partem secundam, scilicet Librum apologeticum, certum esse Bonaventurae foetum censuerint, nos tamen hoc minus certum esse putamus, saltem quoad *integrum* opusculum. Praeter rationes, quas infra pag. 355, nota 6. breviter insinuavimus, est etiam defectus idoneorum testium pensandus atque repetitio aliquorum iam dictorum in prima parte eiusdem. Fieri igitur potuit, ut ab alio auctore saltem plura secundum doctrinam S. Bonaventurae addita sint, quod ut etiam deinceps fiat, expressis verbis in fine partis II. suadetur. Testes pro genuinitate sunt pauci et parum graves, ut supra diximus. Tamen haec suspicio nostra non tam certa nobis videtur, ut opusculum expungere potuerimus ex catalogo operum S. Bonaventurae.

Elenchus codicum, qui habent partem I. harum Determinationum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 15. chart. in 8. saec. XV. — Determinationes incipiunt fol. 8. v. sine ullo titulo: *Cum inter alios Ordines* etc. Desinunt fol. 34. v. verbis: *Et de his dicta sufficiant. Expliciunt Determinationes questionum quarundam edite a fratre Bonaventura contra detractores Regule S. Francisci.* — In nostra editione signatur littera C.

2. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 120. v.: *Incipiunt Determinationes quarundam questionum edite a doctore devoto, scilicet Bonaventura, de statu Ordinis Fratrum Minorum, contra detractores Regule beati Francisci.* Desinit fol. 137. r.: *Et de his sufficiat. Expliciunt Determinationes quarundam questionum Bonaventure* etc. Sign. B.

3. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. Class. IV. 4. 12. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 433. r. legitur: *Incipiunt Determinationes questionum quarundam edite a doctore devoto, scilicet sancto Bonaventura, de statu Ordinis Fratrum Minorum contra detractores Regule sancti Francisci.* Desinit fol. 256. v.: *Et de his sufficit. 1490.* Deinde fol. seq. r.: *Expliciunt* etc. ut in initio. Sign. A.

II. Codices a nobis non collati.

4. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 8090. chart. in 4. saec. XV, de quo egimus in opusculo praecedenti n. 5. elenchi. — Huic opusculo, quod incipit fol. 106. v., praemittitur: *Frater Bonaventura cardinalis Ordinis Minorum. Cum inter alios* etc. Desinit fol. 139. r. verbis: *Et de his sufficiat. Expliciunt Determinationes questionum quarundam edite a doctore devoto sancto Bonaventura, de statu Ordinis Fratrum Minorum, contra detractores Regule beati Francisci.*

5. *Scaffhusae*, bibliotheca Civitatis, cod. 5. membr. in 8. saec. XV, de quo vide quae diximus c. I. in catalogo codd. opusculi VIII. n. 5. — Determinationes incipiunt fol. 21. v., praemissa praefatione quadam a correctore, quae incipit: *Multa sepe sunt a bonis licite* etc. Desinunt fol. 38. r. verbis: *oneris sibi impositi fideles sublevatores. Expliciunt questiones 27 seraphici doctoris sancti Bonaventure, episcopi Albanensis et Ecclesie Romane cardinalis et Ordinis Minorum octavi* (sic!) *generalis, quas ego frater Cunradus de Bondorff sincerius, quo potui, correxi 1486.*

6. *Ultraiecti* ad Rhenum, bibliotheca Academiae, cod. 36. chart. in 8. saec. XV. circa medium. — Hic cod. multa continet de vita et Regula Fratrum Minorum, inter quae: *S. Bonaventure determinationes multarum questionum super eandem*

Regulam; sed eae quaestiones nunc a codice sunt avulsae et forsan deperditae.

§ 4. **Opusculum XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant.**

Incipit hoc opusculum sic: « Quia plerique dubitant » etc. Cum P. Bonelli (Prodrom. col. 607 seqq.) et tribus aliis saepe citatis viris eruditis etiam nos hunc libellum *certo* genuinum esse censemus, licet ante Marianum Florentinum in nullo priore indiculo referatur et duorum tantum codicum auctoritate Bonaventurae adscribatur. Tanta evidentia doctrinam et stilum seraphici Doctoris prae se fert, ut alium auctorem nequaquam supponere possimus. Hoc tamen non de *toto* opusculo, ut in editis exstat, intelligendum est, sed de ea parte, quam habet cod. A, qui finito n. 20. ponit « Amen. Et sic est finis illius quaestionis. Explicit ». Reliqua, quae in cod. B et editione Argentinensi an. 1495 et subsequentibus habentur et a nobis sub rubrica *Additamentum* subiuncta sunt, omnino arbitramur esse supposititia, moti quatuor rationibus pag. 381 ad calcem in nota 9. expositis.

Quod Bonelli (Prodrom. col. 609) circa tempus, quo auctor hoc scripserit, concludit ex loco, qui est in *Additamento* pag. 384 col. 2. (ad notam marginalem *Duodecimo*), per se non valet pro parte genuina, quae certe anterior est illo Additamento. Dicit enim ille: « In ipso (opusculo) ita citatur Decretalis Innocentii IV, ut iterata iudicum ecclesiasticorum contra eius formam transgressio in ferendis excommunicationis sententiis notetur, liceatque hinc arguere, post ipsam Decretalem multasque eiusdem inobservantias a Doctore seraphico scriptum ».

Elenchus codicum.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Wolfenbutae,* bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 550. chart. in 4. — Hoc opusculum incipit fol. 352. r. sine ullo titulo: *Quoniam plerique dubitant et querunt* etc. Desinit fol. 356. v.: *Quod enim pro caritate institutum est non debet contra caritatem militare. Et sic est finis illius questionis. Anno Domini 1457 scripsi die Palmarum propria manu in Magdeburg ego frater Iohannes Rümeland, pro tunc Custos Custodie Magdeburgensis.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. Alius codex huius opusculi asservabatur olim *Romae* in bibliotheca Collegii S. Isidori Hibernorum; de eo loquitur cl. P. Benedictus Bonelli in opere: *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae* etc., Venetiis 1767, col. 465. n. 92. eoque usus est pro editione, quam publicavit P. Soldati Ord. Praed. Romae 1773. Variantes lectiones ab eo diligenter collectas exhibemus sub littera B.

§ 5. **Opusculum XV. Epistola de Sandaliis Apostolorum.**

a. Haec Epistola inscriptionem habet: « Talis lector tali lectori spiritum intelligentiae sanioris », tacito nomine scribentis et eius cui scripta est. Cum Oudino, Sbaralea et editoribus Venetis P. Bonelli (Prodrom. col. 650) censet, genuinum opusculum esse hanc Epistolam, cui etiam Ioh. Trithemius, Marianus Florentinus, Iacobus Philippus Forestus aliique posteriores in suis indiculis suffragantur, consentientibus duobus codicibus, quos in praecedente § 4. allegavimus. De eadem materia Bonaventura agit in Opusc. XI. *Apologia pauperum,* c. 10. n. 6. seqq. et in Opusc. XVI. *Expositio in Regulam,* c. 2. n. 16. seqq., et quae ibi dicta sunt auctor Epistolae huius denuo profert, additis nonnullis aliis testimoniis. Unde etiam si quis alium auctorem huius Epistolae gratis supponere voluerit, verum tamen esset, substantiam libelli esse S. Bonaventurae.

b. Quoad codices tantum dicendum est, unicum, quem ipsi contulimus, esse illum Monacensem chart. in 8. saec. XV, qui supra pag. LXX, n. 1. notatus est. — Alio Romano Collegii S. Isidori usus est P. Soldati O. P. in editione illa, de qua locuti sumus in praecedenti columna n. 2.

§ 6. **Opusculum XVI. Expositio super Regulam Fratrum Minorum.**

a. Soli editores Veneti, refragantibus Oudino, Sbaralea et Bonelli (Prodrom. col. 609), huius *Expositionis* dubiam esse genuinitatem asserunt (Diatriba, pag. 92), « quia antiquorum ne unus quidem est, qui hanc *Expositionem* tribuat Bonaventurae »; adduntque: « Praeter testium altum silentium sunt alia bene multa, quae *Expositionem* hanc nobis suspectam faciant. Cum cap. IV. de pecuniae receptione ageret expositor, omnia, quae Ioannis XXII. tempestate in Minoritas iacta sunt, refellit omnino. Hoc, quaeso, caput confer, si vis, cum Alvari Pelagii opere: *de Planctu Ecclesiae* et in multis quam maxime concordare deprehendes ». — Ad hoc recte respondet Bonelli (loc. cit.): « Sed genuina haec dubitandi ratio adeo futilis et evanida est, ut ab ipsis editoribus infirmetur ». Ad primum refellendum Bonelli illis obiicit, eos alia opuscula, quae desunt in antiquioribus indiculis, nihilominus ut legitima proclamasse, imprimis illum *Librum apologeticum* et *Determinationes quaestionum* (ambo in Opusc. XIII.). Et quoad secundam rationem iterum ipsi editores haud diffitentur, *fieri posse, ut eadem obiecta Minoritis fuerint tempore Bonaventurae nostri.* Animadvertunt quoque circa memorata opuscula, id est *Libellum apologeticum* et *Quare Fratres Minores praedicent* etc., « quod in ipsis Doctor noster sane antevertit refellitque ea quae false docuit deinceps Richardus Rodulphus, in Anglia cancellarius, archiepiscopus Armachanus, qui Innocentii VI. tempore floruit obiitque an. 1359 ». Certum reapse est, posterius vix aliquid obiectum esse contra Ordinem Minorum, quod Bonaventura in quinque praecedentibus libris apologeticis non tetigerit.

b. Ceterum non desunt testimonia idonea, quae Bonaventurae hanc *Expositionem* tribuunt. Primo loco nominandus est S. Ioannes de Capistrano in Constitutionibus Martinianis, quas pro unione Ordinis an. 1430 composuit et Martinus V. confirmavit (cap. 3.). Ut ostendit Bonelli (loc. cit.), hic libellus citatur etiam in manuscripta Regulae declaratione Fr. Christophori de Varisio, socii eiusdem Capistrani; porro in tractatu de *Recursu ad amicos spirituales* Fr. Ioannis Philippi, qui ab anno 1467 usque ad annum 1470 fuit Vicarius Generalis Ultramontanus; item habetur in indiculis Mariani Florentini, Alexandri Ariosti, Roberti Liciensis aliorumque posteriorum (vide indiculos in Prolegomenis tomi V.). Etiam *Firmamentum Ordinis* hanc Expositionem edidit cum nomine Bonaventurae.

Accedit auctoritas codicum infra recensitorum. Inter 17 codices, quorum duo sunt anonymi, unus solus alii tribuit ac Bonaventurae, scil. discipulo eiusdem Pechamo, Cantuariensi archiepiscopo. Hic tamen aliam Regulae Minorum declarationem scripsit, ut infra pag. 491, in nota monstratum est.

c. In ipsa hac Expositione nullibi fit mentio Declarationis Regulae factae a Nicolao III; quod satis demonstrat, eam scriptam esse, antequam celebris haec Declaratio emanavit, quae ipsa manifeste principaliter secundum eam normam facta est, quam S. Bonaventura in hoc et praecedentibus opusculis, praesertim in *Apologia pauperum* iam docuerat. Ex aliis etiam citationibus argui potest, eam tempore scriptam esse, quo Bonaventura Ordini Minorum praefuit. Huic praecessit alia et omnino prima declaratio Regulae, quae nominatur *quatuor Magistrorum* atque pluries in notis ad calcem positis allegata a nobis est, cum Bonaventura eadem usus sit. Haec in determinandis quibusdam obligationibus Regulae paulo maiorem rigorem ostendit, quem noster auctor aliquatenus temperavit. Ipsum opusculum abundanti sua doctrina, praegnante brevitate, altissimis principiis et ipso stilo satis ostendit seraphicum spiritum auctoris.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum editione Vaticana collati.

1. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Publica, codex 776. progress. 1268. miscell. in 8. saeculi XV. — Folio 73. v. in fine: *Incipit principalis declaratio domini fratris Bonaventure super regulam Minorum,* fol. 74. r.: *Quicumque hanc Regulam* etc. Desinit fol. 84. v.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen. Explicit declaratio Bonaventure super Regulam fratrum Minorum.* — In hac nostra editione signatur littera D.

2. *Claris Aquis* in hoc nostro Collegio, cod. chart. in. 8. parvo saec. XV. — Expositio Regulae incipit fol. 53. r. cum hac rubrica: *Ihesus, Maria, Franciscus. Declaratio domini fratris Bonaventure super regulam fratrum Minorum. Quicumque hanc regulam* etc. Desinit fol. 85. v. cum additione: *Explicit expositio regule secundum Bonaventuram, Deo gratiarum actiones. In Amberga anno Domini 1458. in vigilia s. Luce evangeliste.* Sign. G.

3. *Florentiae,* bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XV. Dextr. cod. 12. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 116. v. legitur: *Incipit expositio venerabilis patris et magistri fratris Iohannis de Pechiam super regulam fratrum Minorum. Quicumque hanc regulam* etc. Desinit fol. 141. r. ut in edit.; additur: *Explicit expositio fratris Iohannis super Regulam.* Sign. B.

4. *Neapoli,* bibliotheca Nationalis, cod. VII. G. 48. chart. in 8. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit postilla fratris Bonaventure, ut dicitur, super Regulam. Quicumque hanc regulam* etc. Desinit fol. 24.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen.* Sign. C.

5. *Perusiae,* bibliotheca Publica, cod. E. 58. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 249. est sequens rubrica: *Declaratio domini Bonaventure cardinalis ordinis Minorum super Regulam dicti ordinis.* Desinit fol. 263.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen.* Sign. F.

6. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 522. membr. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 87. v. praemissa rubrica: *Fratris Bonaventure,* prosequitur: *Et nullo modo licebit eis* etc. Complectitur tantum num. 13. 14. 15. capit. 2. nostrae editionis. In fine additur: *Hucusque frater Bonaventura.* Sign. E.

7. *Ibidem,* bibliotheca collegii S. Isidori Hibernorum, cod. 5. chart. saec. XVI. ineuntis. — Expositio Regulae incipit fol. 1. r. verbis: *Salutem et apostolicam benedictionem. Eccli. III. Benedictio patris* etc. Desinit verbis: *octava gratie et glorie commendatur. Amen.* Sign. A.

Quoad hos codices manifestum est, duas familias esse distinguendas. Codices enim A B C F G, sicut plerumque in aliis lectionibus magis conveniunt, ita in eo, quod habent non paucas additiones et quasdam quidem longiores, quae omissae sunt in Vaticana et omnibus editionibus, excepta ea quam signavimus *ed. 1.* Cum Vaticana editione in hoc convenit solus cod. D. Patet autem, has omissiones esse veras lacunas, iam ea ratione, quam notavimus pag. 404, nota 8.

In particulari omnes codd. praebent multas lectiones variantes, etiam D, qui, licet conveniat cum Vaticana in illis omissionibus, saepissime in aliis differt ac convenit non raro cum ceteris codicibus. Ed. 1 repraesentat bonum codicem, et in hoc singularis est, quod non raro etiam alias lectiones addit, v. g. *modum, alias nomen,* in quo etiam G interdum convenit. — Ed. 1, quae sine titulo continet multa documenta ad Ordinem Minorum spectantia, impressa est Brixiae per Iacobum Britannicum Brixianum an. 1502. Ed. 2, impressa Venetiis 1504, fere semper convenit cum Vaticana, unde raro erat notanda.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Augustae Ausicorum* (Auch) in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 82. chart. in 8. parv. saec. XVII. — Titulus est fol. 9. r. non numerato: *Regula et testamentum seraphici patris nostri sancti Francisci de assisio cum collectanea declarationum summorum Pontificum et expositionum sancti Bonaventure et Patrum ordinis. Opera est in usum R. P. Michaelis a Figeaco Provincialis.*

9. *Brugis* in Belgio, bibliotheca Episcopalis, cod. 2. membr. in 8. saec. XV. (1447.). — Folio 135. v.: *Incipit declaratio domini Bonaventure ordinis Minorum ac sancte Romane ecclesie cardinalis super regulam fratrum Minorum.* Desinit fol. 168. r. verbis: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen.*

10. *Darmstadii,* bibliotheca Ducalis, cod. 2456. chart. in fol. saec. XV. circa medium. — Declaratio Regulae incipit fol. 24. sine titulo: *Quicumque* etc. Desinit a posteriore manu exarata fol. 73. r. cum additione: *Explicit declaratio domini Bonaventure super regulam fratrum Minorum.*

11. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Incipit fol. 51. r. sub titulo: *Declaratio sancti Bonaventure. Quicumque hanc regulam* etc. Desinit fol 97. r.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen. Explicit declaratio sancti Bonaventure super regulam fratrum Minorum.*

12. *Ibidem,* bibliotheca Universitatis, cod. 142. chart. in 8. saec. XV. — Quamvis in indiculo praemisso fol. 1. legatur, codicem continere Regulam fratrum Minorum glossatam secundum sanctum Bonaventuram, tamen non ipsius expositio, sed quaedam ex ipsa ab alio auctore facta glossa in Regulam, quae desinit fol. 7.

13. *Ibidem,* cod. 145. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Rubrica huius occurrit fol. 1. per verba: *Incipit declaratio sancti Bonaventure doctoris seraphici in regulam fratrum Minorum.* Desinit fol. 98. v. ut in edit.; deinde: *Explicit declaratio super Regulam fratrum Minorum sancti Bonaventure doctoris seraphici eiusdem ordinis, anno Domini 1498.*

14. *Oxonii,* bibliotheca Canoniciana, cod. miscell. 277. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Titulus huius opusculi occurrit fol. 27. r. verbis: *Incipit declaratio sancti Bonaventure ordinis Minorum ac sancte Romane ecclesie cardinalis super regulam fratrum Minorum.* Desinit fol. 46.: *ut octava gratie et glorie commendetur.*

15. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, cod. 18325. membr. in 16. saec. XV. — Titulus huius est fol. 93. r. verbis: *Sequitur expositio seu declaratio Regule Fratrum Minorum per dominum sanctum Bonaventuram cardinalem. Quicumque* etc. Desinit fol. 124. r.: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen. Explicit Regula secundum expositionem domini sancti Bonaventure. Deus sit benedictus super omnia. Amen.*

16. *Stronconii,* bibliotheca Conventus, cod. chart. in 8. saec. XV. — Expositio Regulae incipit sine titulo et nomine auctoris: *Quicumque hanc Regulam* etc. Desinit verbis: *ut octava gratie et glorie commendetur. Amen.*

17. *Ultraiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 36. chart. in 12. saec. XV. circa medietatem. — Fol. 6. r. legitur: *Incipit declaratio domini Bonaventure super Regula fratrum Minorum.* Desinit fol. 50. v. verbis: *ut octava gratie et glorie commendetur.*

§ 7. Opusculum XVII. Sermo super Regulam Fratrum Minorum.

Hic *Sermo* hucusque nunquam est publicatus nec ab aliquo allegatus. Tamen omnino eum genuinum habemus, licet duos tantum codices pro Bonaventura testimonium ferant extrinsecum. Tota enim praeclara doctrina in eo contenta et modus eam proponendi eidem aliud reddit testimonium luculentum, si cum ceteris Bonaventurae scriptis, praesertim cum praecedente Opusculo *Expositio super Regulam* et aliis tractatibus ad Ordinem spectantibus confertur.

Unico tantum codice uti potuimus, quem habet nostrum collegium quemque descripsimus supra in elencho codicum c. II. § 6. pag. LXXII n. 2. In eo post *Expositionem super Regulam* immediate a fol. 14. v. usque ad fol. 20. v. sequitur hic Sermo.

Praeter hunc alter cod. post *Determinationes circa Regulam* olim habebat istum Sermonem, sed nunc folia eum continentia avulsa sunt. Hic cod. invenitur Ultraiecti ad Rhenum, in bibliotheca Academiae, cod. 36. chart. in 12. saec. XV, quem iam notavimus supra n. 17.

§ 8. Opusculum XVIII. Constitutiones Generales Narbonenses.

Hae non inveniuntur in aliis Operum S. Bonaventurae collectionibus. De his ut in nova horum Operum editione imprimendis loquitur Bonelli (Prodrom. pag. 622). Quod S. Bonaventura primum *Constitutionum* Ordinis Minorum codicem fecerit et auctoritate Capituli Narbonensis promulgaverit, est factum historicum innumeris et antiquis testibus certissime probatum. Harum meminit Petrus Ioannis Olivi in discussione suorum articulorum an. 1285 facta § 12, item fere omnes posteriores Ordinis Constitutiones, quae nova antiquis statuta addere consueverunt, et ante omnes Fr. Salimbene infra pag. 449 nota 1. citatus. Plures codices inveniuntur, qui primitivas Constitutiones aliquatenus mutatas et posteriorum Capitulorum additamentis auctas exhibent, sed unus tantum Vaticanus est (vide infra n. 13.), qui sinceram Bonaventurae recensionem sine insertis habet, quam primus edidit cl. P. Ehrle S. I. De his omnibus plura dicta sunt in nota ad calcem modo citata. Manifestum est, quod solummodo textus primitivus, quem praesentat cod. Vaticanus, spectat ad Bonaventuram, unde alii infra recensiti codices pro textu formando servire non potuerunt, sed quoddam pretium historicum habeat.

Elenchus codicum.

1. *Augustae Ausicorum* in Gallia (Auch), bibliotheca Civitatis, cod. 54. membr. in 12. saec. XIV. ineuntis. — Post decretales Nicolai III. et Clementis V. super Regulam Fratrum Minorum sequitur folio r. non numerato rubrica Constitutionum sic expressa: *Prologus super constitutiones generales. Quoniam, ut ait sapiens, ubi non est sepes, diripietur possessio* etc. Manus posterior pluribus in locis abrasit textum antiquum et alium substituit. In fine adduntur: *Memorialia facta in capitulo generali Parisius celebrato anno Domini MCCXC. secundo.*

2. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 12167-71. membr. in 16. saec. XV. — Folio non numerato manus recentior praemittit: *Incipiunt constitutiones generales Ordinis antique. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Eadem forsan manus addidit in fine: *Expliciunt constitutiones generales ordinate Assisii in generali capitulo ibidem anno Domini millesimo CCC quinquagesimo quarto celebrato.*

3. *Cremonae* in Insubria, bibliotheca Publica, cod. 15. 3. 22. chart. in 4. saec. XVIII. — In admonitione ad lectorem, pag. 1 notatur, quod Constitutiones fuerunt exscriptae ex codice quodam saeculi XV; quibus praemittitur sequens rubrica: *Incipiunt constitutiones generales ordinis Fratrum Minorum edite et confirmate in capitulo generali apud Narbonam A. D. 1260. decima Iunii, tempore R. P. F. Bonaventure S. ministri generalis et postea fuit cardinalis sanctae Romane ecclesie et nunc canonizatus. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt rubrica 12. pag. 32.

4. *Friburgi* in Helvetia, bibliotheca PP. Conventualium, cod. 33. — Duo prima folia asseribus inhaerentia et duo ultima continent Constitutiones generales scriptas saeculo XIII, sed sunt incompletae et transpositae; folio 1. v. incipiunt a verbis: *Et nunquam fiat sine consilio discretorum.* Cfr. rubrica 2. Fol. 2. r. incipit: *provideat, secundum quod unicuique viderit expedire.* Rubrica 2. Folio penultimo r.: *maxime venientes de extraneis provinciis et longinquis.* Rubrica 4. Fol. ultimo r. tabulae annexo: *Titulus tertius de observantia paupertatis.*

5. *Ibidem,* cod. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Constitutiones incipiunt fol. 1. r. sine titulo: *Item, quando Fratres testamentis intersunt* etc. Eodem fol. r. sequuntur aliae ordinationes posterioris saeculi.

6. *Ianuae,* bibliotheca Universitatis, cod. A. II. 15. miscell. saec. XVI. ineuntis. — Folio 31. r. praemittitur: *In nomine Domini incipiunt constitutiones generales. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt folio 44. v.: *Simile officium fiat pro patribus et matribus fratrum ultima die feriali in hebdomada ante Adventum. Explicit.*

7. *Kremisani,* bibliotheca Monasterii, cod. 138. membr. saec. XIV. — Rubrica est folio 177. r. his verbis: *Prologus in constitutiones generales ordinis Fratrum Minorum. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt fol. 183. r.: *Anniversarium*

domini bone memorie regis Francorum in vigilia beati Bartholomei fiat, quia hoc ei concessum est in capitulo Pisano de gratia speciali.

8. *Lucernae,* bibliotheca Cantonalis, cod. 203. membr. saec. XIV. — Constitutiones generales incipiunt pag. 25 sic: .... *m, ut ait sapiens* etc. Desinunt pag. 104 verbis: *Obitus illustrissime domine Iohanne, quondam regine Francie; pridie nonas aprilis per totum ordinem celebretur.*

9. *Oxonii,* bibliotheca Bodleiana, cod. Canonic. miscell. 75. membr. saec. XV. — Constitutiones incipiunt fol. 71. v. a sequenti rubrica: *Tituli constitutionum generalium antiquarum editarum per venerabilem patrem fratrem Bonaventuram bone memorie de Balneoregio. De religionis ingressu primum capitulum.* Desinunt cap. 12.: *De suffragiis defunctorum.*

10. *Ibidem,* cod. 359. membr. saec. XV. — Folio 30. r.: *Incipit prologus constitutionum generalium. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt, omisso capitulo 12.

11. *Pragae,* bibliotheca Universitatis, cod. IV. G. 30. chart. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 217. r. legitur: *Incipit prologus in constitutiones generales. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt fol. 225. v. cum hac nota: *Iste sunt constitutiones generales ordinate Lugduni etc. Quorum aliqua sunt extracta de capitulo Caturcensi, aliqua de capitulo Venetiarum et Veronensi capitulis generalibus et aliqua addita in eodem capitulo Lugdunensi Anno Domini MCCCLI. Expliciunt constitutiones generales.*

12. *Ravennae,* bibliotheca Classensis, cod. 138. 2. O. membr. saec. XV. — Constitutiones incipiunt folio 1. r.: *Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt rubrica 12.

13. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 7339. membr. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 93. r.: *Incipiunt constitutiones generales ordinis Fratrum Minorum edite et confirmate in capitulo generali apud Narbonam anno Domini 1260. decima Iunii, tempore rev. patris fratris Bonaventure, S. ministri generalis et postea cardinalis sancte Romane ecclesie, et nunc canonizatus. Prologus.* Desinunt folio 117, additis pluribus definitionibus et responsionibus ad consultationes habitas.

14. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Conventus sancti Bernardini, cod. sine numero, membr. in 12. saec. XV. — Folio 37. r. habetur: *In nomine Domini. Amen. Incipiunt constitutiones generales. Quoniam, ut ait sapiens* etc. Desinunt cap. 12: *De suffragiis defunctorum,* verbis: *Sufficit autem una missa in conventu in anniversariis supradictis cum vigiliis defunctorum.*

15. *Toleti,* bibliotheca Capituli, cod. Caion. 25. n. 10. membr. saec. XIV. exeuntis. — Complectitur Constitutiones papales Benedicti Papae XII. circa Ordinem Fratrum Minorum publicatas in generali Capitulo eorundem celebrato Caturci anno Domini 1337. Constitutionibus praemittitur Bulla *Pastor bonus* edita Avenione XV. Kal. Iulii pontificatus anno primo.

§ 9. **Opusculum XIX. Epistolae officiales.**

a. Sub hoc titulo adunavimus illas septem epistolas, quas S. Bonaventura ut caput Ordinis ex officio scripsit, quaeque adhuc superstites sunt. Harum duae primae maioris sunt momenti, unde etiam a Waddingo in Annales Ord. Min. receptae sunt, ut dictum est infra pag. 468, nota 1. Habentur ipsae iam in collectione parvorum Bonaventurae opusculorum impressa an. 1484, sine indicatione loci et editoris, et in multis subsequentibus. Eas genuinas esse, nemo in dubium vocavit (cfr. Bonelli, Prodrom. col. 657). Primam illam invenimus in 20 codicibus, secundam in 6 infra in elencho notatis. Codices a nobis collati non differunt ab editis quoad sententias, sed tantum quoad quaedam verba. Ope horum codicum et editionum textum ed. Vaticanae expurgavimus.

b. Quoad quinque alias parvas epistolas notavimus ad paginarum calcem fontem, unde unamquamque sumsimus, quod hic repetere supersedemus.

Elenchus codicum.

A *Epistola I.*

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Civitatis, cod. 776. progress. 1258. miscell. in 8. saec. XV. post medietatem. — Haec epistola reperitur folio 182. v., incipiens: *Litera domini fratris Bonaventure. In Xto sibi carissimis fratribus ministris et custodibus* etc. Desinit fol. 183. v.: *Datum Parisius anno domini MCCLVII. die sancti Georgii martyris. Hanc literam legi in singulis conventibus vestre provincie faciatis.* — In hac nostra editione signatur littera E.

2. *Magdeburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. XII. oct. 2. miscell. saec. XV. — Fol. 360. r. legitur: *Epistola sancti patris Bonaventure generalis electi. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit verbis: *Datum Parisiis anno Domini 1262. in die sancti Georgii.* Sign. D.

3. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. Urbinat. 480. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 408. r. praemittitur: *Epistola ad totum ordinem. In Xto sibi karissimis* etc. *Licet insufficientiam nostram.* Desinit: *Datum Parisiis* etc. *Benedictum sit nomen Domini Iesu et tota curia celestis. Amen.* Sign. F.

4. *Ibidem,* bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 5. iam descriptus supra pag. LXXII n. 7. — Fol. 58. v.: *Incipit epistola sancti Bonaventure directa ad Capitulum generale, cur splendor nostri ordinis obfuscatur, ordo exterior inficitur et nitor conscientiarum interius defoedatur. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit fol. 60. verbis: *velint nolint. Dat. Parisius anno Domini MCCLXXVII* (sic). *Amen.* Sign. C.

5. *Ibidem,* cod. 68. miscell. in 12. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 242. r. habetur: *Epistola beati Bonaventure ad Capitulum generale. In Xto* etc. Desinit ut in cod. praecedenti. Sign. B.

6. *Ibidem,* cod. 84. miscell. in 12. saec. XV. exeuntis. — Fol. 359. v.: *Incipit epistola sancti Bonaventure Ordinis Minorum ad generale Capitulum.* Desinit: *Dat. Parisius anno Domini 1277* (sic). *Finis.* Sign. A.

II. Codices a nobis non collati.

7. *Brixiae,* bibliotheca Quinciniana, cod. H. VI. 6. membr. in. 8. saec. XV. — Folio 331. r.: *Alia eiusdem epistola. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit cum editione: *legi in singulis conventibus vestre provincie faciatis.*

8. *Darmstadii,* bibliotheca Ducalis, cod. 2456. miscell. in fol. saec. XV. exeuntis. — Epistola incipit fol. 52. v.: *Epistola*

sancte memorie cardinalis domini Bonaventure, quondam generalis ministri Ordinis Minorum, ad ministros provinciales et custodes. In Xto etc. Desinit fol. 53. v.: *Datum Parisius anno Domini MCCLVII. in die sancti Georgii martyris. Hanc literam* etc., ut in editione.

9. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 3. Plut. XXXI. sinist. membr. in fol. parv. saec. XIV. — Haec epistola incipit fol. 205. v. sic: *In Xto sibi charissimis ministris et custodibus universis Ordinis fratrum Minorum frater Bonaventura, Ordinis eorum generalis minister, salutem et pacem, que superat omnem sensum. Licet insufficientiam meam* etc. Desinit eodem folio ad verba: *Occurrit improvida officiorum commissio* (n. 2.). Cetera desiderantur.

10. *Ienae*, bibliotheca Universitatis, cod. oct. 14. collect. Bossianae, chart. saec. XV. — Fol. 320. r.: *Epistola Domini fratris Bonaventure, quam misit per totum Ordinem. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit fol. 62. r.: *Datum Parisius anno Domini MCCLVI. in die sancti Georgii martyris. Hanc literam* etc., ut in editione.

11. *Ibidem*, in eodem codice exstat aliud exemplar huius epistolae praecedenti per omnia simile, a manu quidem diversa exaratum, sed eiusdem temporis.

12. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 9058. saec. XV. exeuntis. — Fol. 33. v. legitur: *Alia epistola sancti Bonaventure. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit folio 35. v. verbis: *Hanc autem literam legi in singulis conventibus vestre provincie faciatis.*

13. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 15. chart. in 8. parv. saec. XV. — Epistola haec incipit fol. 283. v.: *In Xto sibi karissimis* etc. Desinit fol. 286. r.: *faciatis. Explicit.*

14. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, cod. 277. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 26. r. legitur: *Incipit epistola sancti Bonaventure directa Capitulo generali. In Xto* etc. Desinit folio sequenti r. ut in editione.

15. *Papiae*, bibliotheca Universitatis, cod. CXXX. A. 21. miscellan. in 8. saec. XV. — Fol. 46. r. est sequens rubrica: *Nota, quod dominus Bonaventura asserit, decem esse, quae destruunt religionem nostram. Primum est negotiorum multiplicitas.* Non exhibetur ipse textus, sed excerptum, cui additur: *Hec sanctus Bonaventura in quadam epistola directa ad capitulum generale.*

16. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327. chart. in 8. parv. saec. XV. — Fol. 172. r.: *Epistola alia eiusdem* (Bonaventurae) *ad ministros provinciales et custodes de reformandis fratribus sui Ordinis. In Xto sibi carissimis* etc. Desinit fol. 174. r.: *legi in singulis conventibus vestre provincie faciatis.*

17. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 449. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 63. v. est sequens rubrica: *Littere fratris Bonaventure cardinalis et generalis Minorum. In Xto... Licet meam insufficientiam* etc. Desinit folio 65.: *ex omnibus supradictis.*

18. *Ibidem*, bibliotheca Vallicelliana, cod. B. 131. chart. saec. XV. — Haec epistola habetur folio 74. Incipit et desinit ut edita.

19. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 88. chart. saec. XV. — Fol. 3. r.: *Epistola fratris Bonaventure, quam direxit per totum ordinem tempore sui ministerii. In Xto* etc. Desinit: *Dat. Parisius anno Domini MCCLXXVII.*

20. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4349. chart. in 8. saec. XV. — Epistola incipit fol. 69. r. verbis: *In Xto sibi carissimis* etc. Desinit fol. 71. r.: *Datum Parisius anno Domini MCCLXII. in die sancti Georgii martiris.*

B. *Epistola II.*

I. Codices a nobis cum editione Vaticana collati.

1. *Romae*, bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 77. miscell. in 12. saec. XV. — Rubrica huius est folio 224. v. sic expressa: *Epistola beati Bonaventure ad omnes fratres Minores. In Xto sibi carissimo fratri P. ministro Tuscie frater Bonaventura, Ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam. Quoniam ad hoc potissimum* etc. Desinit verbis: *explicetur. Datum Parisius tempore Capituli generalis.* In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, bibliotheca Vaticana, cod. Urbinat. 480. supra descriptus, n. 3. — Fol. 107. v. habetur: *Epistola de reformandis fratribus. In Xto sibi carissimo* etc. Desinit: *Datum Parisius tempore Capituli generalis.* Sign. B.

3. *Ibidem*, cod. 9403. membr. 8. saec. XIV. — Epistola incipit fol. 20. v. verbis: *In Xto sibi karissimo fratri* (nomen fuit abrasum) *ministro Tusciae frater Bonaventura Ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus* etc. Desinit fol. 21. v.: *Datum Parisius tempore Capituli generalis.* Sign. C.

II. Codices a nobis non collati.

4. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 9068. chart. 8. saec. XV. exeunt. — Fol. 31. v. praemittitur tantum: *Epistola sancti Bonaventure;* deinde: *In Xto sibi karissimo fratri B. laucelis provincie ministro frater Bonaventura* etc. Desinit fol. 34. v. cum editione: *opportunum fuerit explicetur.*

5. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 15. chart. 8. saec. XV. — Epistola incipit fol. 280. v. sine ulla indicatione: *In Xto sibi karissimo fratri Biaucelis provincie ministro* etc. Desinit fol. 283 v.: *explicetur.*

6. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327. chart. in 12. saec. XV. — Fol. 170. v. post alia opera sancti Bonaventurae sequitur: *Epistola eiusdem sancti, in qua mandat, ut fratres nostri Ordinis caveant a frequentia discursuum, ab importunitate questuum, a sumptuositate edificiorum, librorum, vestium ac ciborum, a predicatione contra prelatos coram laicis et a litigiosa invasione sepulturarum et testamentorum. In Xto sibi carissimo fratri B. Faucelis provincie ministro frater Bonaventura* etc. Desinit fol. 172. r.: *quam citius opportunum fuerit explicetur.*

§ 10. **Opusculum XX. Regula novitiorum.**

a. *Regula novitiorum* incipit: *Reformamini in novitate sensus vestri* etc. et est certissime genuinum S. Bonaventurae opus. Sed antequam hoc ostendamus, expedit, ut nonnulla praemittamus de multis aliis libellis pro instructione novitiorum et aliorum Ordinis Minorum Religiosorum scriptis, qui in editione Vaticana et subsequentibus habentur.

Editio Vat. tom. VII. pag. 568 seqq. de hac materia habet plura opuscula hoc ordine: *primo* notissimum librum *Speculum disciplinae*, qui incipit cum prologo: « Ad honestatem tendentes », duasque partes habet, de quo plura infra dicentur. — Secundo, de *Profectu Religiosorum* cum duobus prologis, quorum primus incipit: « Collationes meas » etc., alter vero: « In priori formula » etc. Pars I. huius operis incipit: « De quatuor cautelis novitiorum » etc.; pars II: « De septem processibus Religiosorum » etc. — Tertio habet opusculum de *Institutione novitiorum*, cuius pars I. incipit: « Primo semper debes considerare, ad quid veneris », et pars II. sic: « Si vis in spiritu proficere » etc. — Quarto loco habetur *Regula novitiorum*, certo Bonaventurae vindicanda. Editio Vat. omnes praedictos libellos integros eidem tribuit, dum Oudinus (loc. cit. col. 431 seqq.) cum editoribus Venetis omnia haec opera proclamat esse supposititia. Sbaralea recte solam genuinam agnoscit *Regulam novitiorum*, Bonelli vero solam partem secundam libri de *Profectu Religiosorum* censet esse *certe* alterius auctoris, ac partem primam eiusdem esse *verisimilem*, sicut et libellum de *Institutione novitiorum;* alia omnia putat spectare certo ad Bonaventuram auctorem.

Accedit, quod in codicibus et antiquis editionibus summa confusio habetur tum circa *ordinem* horum opusculorum et eorum partium, tum circa *numerum* titulosque ipsorum libellorum, cum passim ex uno faciant duos, tum circa ipsum *textum* propter insertiones, vel lacunas, quae in diversis inveniuntur. Hoc iam observavit Waddingus (de Scriptor. Ord. Min. pag. 54 seq.) his verbis: « Mira varietas est in his opusculis de instituendis novitiis. Valde discrepant in ordine et dispositione, in titulis et exordiis, in partitione et numero capitulorum, propterea quia plerique, addentes et dementes aliqua secundum captum suum, vel tironum necessitatem sive adolescentum qualitatem, immutaverunt aliquando titulos et exordia, aliique ambientes pro auctoribus haberi, alias rerum formas induxerunt; unde ortum est ambiguum circa genuinos auctores iudicium ». — Exemplum huius confusionis apparet in ipso Bonelli Prodromo (col. 612-622). Ibi ille distinguit praeter *Speculum disciplinae* et *Regulam novitiorum* quinque diversos de hac materia libellos, scilicet 1. *Viginti passus de virtutibus bonorum Religiosorum*, incipientes: « Si vis in spiritu proficere », quod re vera est pars II. de *Institutione novitiorum*. — 2. *De compositione hominis exterioris*, incipiens: « Primo semper debes considerare », quod est eiusdem pars I. — 3. *De interioris hominis ac mentis reformatione*, incipiens: « In priori formula », quod est pars III. libelli Fr. David *De exteriori et interiori homine secundum triplicem statum* etc. — 4. *De Vitiis et eorum remediis*, incipiens: « Plurimorum instantia » etc., vel, ut habetur in aliis editionibus, « Voluntas nulli » etc., quod in editione Vat. continetur in libro I. de *Profectu Religiosorum*. — 5. Adhuc quintum opusculum edidit Bonelli tanquam Bonaventurianum in suo *Supplemento*, tom. III, col. 314. seqq., quod incipit: « Religio munda et immaculata » etc. Sed hoc opusculum est ipsa illa *Regula novitiorum* quoad substantiam et plurimas propositiones et locos ad probandum adductos, mutatis prologo, ordine et inscriptione capitulorum, detractis et additis nonnullis sententiis. Hoc satis confitetur ipse Bonelli, in praefixa *Admonitione* dicens: « Tanta autem affinitas stili et doctrinae est inter hoc opusculum et Regulam novitiorum, ut plerumque *ipsissima verba* contineant ac plane *idem utriusque auctor appareat* » (!). Verius concludendum est sic: ergo alius scriptor pro libitu in nonnullis *Regulam novitiorum* mutavit.

Incredibile prorsus est, omnes istos libellos, qui quoad materiam plerumque conveniunt, ab occupatissimo auctore Bonaventura scriptos esse pro usu novitiorum. Ad rem dicit Sbaralea (Supplementum etc., pag. 162 n. 79.): « An non satis hoc argumentum tractavit Bonaventura in *Regula novitiorum?* Ut quid igitur necesse fuit idem recoquere pulmentum » ?

b. Idem Sbaralea (loc. cit. pag. 163 col. 1) verum iam vidit et quoad *auctorem* et quoad *ordinem* horum opusculorum et earum partium. *Regulam novitiorum* recte vindicavit Bonaventurae, opus de *Profectibus Religiosorum* vero Fratri David de Augusta Vindelicorum (Augsburg) Ord. Min., coaetaneo S. Bonaventurae († 1272), qui scripsit librum cum titulo: « De exteriori et interiori homine secundum triplicem statum incipientium, proficientium et perfectorum ». Hoc attestantur Nicolaus Glasberger (Analecta Franc., tom. II. pag. 83), Ludovicus Prutenus (Trilogia animae, p. II. c. 20.), Trithemius, Sbaralea (Supplement. etc. pag. 211). Quoad *ordinem* in hoc opusculo ipse titulus insinuat quinque partes principales et tres libros, quorum duo primi agunt tum de *exteriore* tum de *interiore homine.* Unde dicit Sbaralea: « Sunt tres libri hoc ordine dispositi: primus continet... primo de informatione [id est institutione] novitiorum; pars prima incipit: ‘ Primo semper debes considerare ’; altera pars incipit: ‘ Si vis in spiritu proficere ’ [separatim in codicibus et editis cum titulo: *Viginti passus*]. Secundus liber tractat de reformatione mentis, cuius prima pars incipit: ‘ In priore formula novitiorum ’, quam citat et libro III, Process. 6. c. 33; altera vero pars incipit: ‘ Nunc de singulorum novitiorum ’. Tertius liber agit de profectibus Religiosorum et dividitur in septem processus » etc. — Hoc breviter notatum hic sufficiat. Plura, favente Deo, dicemus in praefatione separati tomi, totum opus Fratris David continentis, quem paramus. Ibi auctoritate codicum bonae notae atque antiquarum editionum ostendetur, opus hoc in Ordine Fratrum Minorum semper magni habitum et usitatum restituendum esse praedicto Fr. David.

c. Sed redeamus ad *Regulam novitiorum* certissime Bonaventurae tribuendam iam propter tot codicum infra in *elencho* relatorum auctoritatem, cum inter 40 codices pro Bonaventura testentur 37, nullus pro alio auctore, et 3 sint anonymi. — Praeterea, pro eodem testimonium ferunt Bartholomaeus Pisanus, Iacobus Perusinus, Robertus Liciensis aliique (vide indiculos in Prolegomenis ad V. tomum). Confirmant hoc multae editiones antiquae, quarum prima sine loco et anno, quam Sbaralea suspicatur esse Venetam an. 1487, alia item sine loco et anno, tertia facta Ulmae per Ioan. Zainer an. 1473, quarta Brixiensis an. 1495 etc. (vide Sbaraleam, loc. cit. et Bonelli, Prodrom. col. 619). Errant igitur tum Oudinus, qui primam editionem fuisse vult Romanam an. 1596, tum editores Veneti, qui inepte scribunt (Diatr. pag. 129): « Ne vel ipse Marianus Florentinus in suo Chronicorum fasciculo meminit. Hinc nimiam iam vides licentiam Romanorum editorum, qui, *tacentibus omnibus* (!), Regulam istam Bonaventurae nomine promulgarunt ». — Denique ipse libellus sua indole et stilo satis insinuat, auctorem ipsius esse Ordinis Fratrum Minorum (cfr.

c. 7.) et quidem seraphicum Doctorem. Apposite dicit Sbaralea (loc. cit.): « Opus redolet doctrinam et gravitatem Bonaventurae, etsi habeat tria vel quatuor verba minus Latina, *appodiare, guerra, campanella*, sed quae illis temporibus in usu erant etiam in epistolis Romanorum Pontificum ». Quod spectat ad ista tria verba, Bonelli (loc. cit. col. 618) pro *appodiare* citat Sermones coaetanei Fr. Guiberti de Tornaco, pro *guerra*, Bullam Innocentii IV: *Ad apostolicae dignitatis apicem. Guerra* invenitur etiam in ipsa celeberrima *Legenda S. Francisci*, secundum lectionem probatissimorum codicum.

d. Notandum est etiam, in editione Vat. in fine opusculi inveniri additamentum ab aliena manu conscriptum, quod incipit: « In conventu Fratrum Minorum Parisiis, conversante bonae memoriae Fratre Bonaventura » etc. (vide infra pag. 490, notam 6). Sed hoc manifeste non ab *auctore* libelli ibi positum est, nec invenitur in nostris codicibus. Teste Bonelli (loc. cit. col. 619) in ed. Ulmensi an. 1473 atque in alia sine loco et anno idem additamentum non postpositum, sed praemissum fuit Regulae novitiorum cum inscriptione: « Brevis et utilis doctrinae (sic) iuvenum domini Bonaventurae card. Ord. Min. ». — Porro titulus in pluribus codicibus inscribitur *Institutio* novitiorum pro *Regula*, quo verbo proprie pars operis Fratris David indicatur; in aliis titulus est *Instructio* novitiorum. — In editione Vat. c. 25. *de silentio* extra ordinem est et praefigendum capitulo 26. *de paupertate*, quod per solitam conclusionem *qui vivis et regnas* etc. totum opusculum terminat. — Denique cod. Lambacensis (infra in elencho n. 16.) praeter genuinum prologum (quem codex ille ponit post tabulam) habet alium ineditum, quem, quia exhibet multas sententias seraphico Doctori familiares, ne penitus excidat, infra posuimus post elenchum codicum.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Cortonae* in Tuscia, bibliotheca Communalis, cod. 45. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Opusculum hoc est folio 57. sub titulo: *Incipit liber sancti Bonaventure episcopi Albanensis et sancte Romane ecclesie cardinalis dignissimi de institutione novitiorum. Incipit prologus. Renovamini* etc. Desinit fol. 65. verbis: *Ad quod nos perducat Iesus Xtus, qui est benedictus in secula. Amen.* — In hac nostra editione signatur littera L.

2. *Ibidem*, cod. 204. chart. in fol. saec. XV. — Opusculo praefixa est haec rubrica fol. 51: *Incipit liber domini Bonaventure de Balneo regio Ordinis Minorum de institutione novitiorum. Incipit prologus. Renovamini* etc. Desinit fol. 64. ut in editione. Sign. C.

3. *Florentiae*, bibliotheca Riccardiana, cod. CCCCXLV. membr. in 8. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 2. r. non numerato legitur: *Incipit liber, quem frater Bonaventura composuit et ordinavit de instructione novitiorum, in quo sunt capitula XVI.* Hinc tabula capitulorum, post quae: *Incipit prologus. Renovamini* etc. Desinit, ut notatur in editione pag. 483 n. 1. cap. VI. et verbis: *non esset abstinentia, sed simulata sanctitas.* Sign. E.

4. *Monachii*, bibliotheca Universitatis, cod. 15. chart. in 8. saec. XV. — Initium huius opusculi indicatur fol. 130. r. hac rubrica: *Incipit tractatus valde utilis de informatione iuvenum et novitiorum Bonaventure cardinalis. Reformamini* etc. Finis est fol. 152. r. verbis: *gratiam habebis in presenti et gloriam in futuro. Quod nobis concedat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen. De informatione novitiorum et iuvenum secundum Bonaventuram cardinalem Ordinis Minorum finit feliciter.* Sign. I.

5. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. F. 35. chart. in fol. saec. XV. — Folio 1. r. opusculo praemittitur: *In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Incipit informatio novitiorum secundum Fratrem Bonaventuram cardinalem Ordinis Minorum. Dicit Apostolus: Renovamini* etc. Desinit in cap. 15. n. 2. verbis: *venenum aspidum sub labiis eorum. Deo gratias. Amen.* Sign. D.

6. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis, quem etiam notavimus supra pag. XX n. 196. — Hoc opus est folio 143. r. cum rubrica: *Incipit directorium religiosorum editum a seraphico doctore sancto Bonaventura. Sequitur prologus. Reformamini* etc. Desinit verbis: *quanto a nobilibus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Sign. F.

7. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 8596. membr. in 12. saec. XV. — Rubrica huius opusculi exhibetur folio 49. r. verbis: *Incipit tractatus de regulari disciplina, quem composuit magister bonaventura Ordinis Minorum. Prohemium. Reformamini* etc. Desinit folio 78. v. verbis, ut notatum est pag. 487, nota 4. cap. 12. n. 2: *asper sermo, brevis.* Cetera desiderantur. Sign. G.

8. *Ibidem*, cod. 7690. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Opusculum reperitur fol. 143. r. sub titulo: *Incipit regula novitiorum edita a beato Bonaventura. Renovamini* etc. Desinit ut in editis. Sign. H.

9. *Ibidem*, bibliotheca Vallicelliana Patrum Oratorii, cod. F. 52. membr. in 4. saec. XV. — Rubrica huius est fol. 84. v. expressa verbis: *Incipit forma, qualiter novitius informetur. Renovamini* etc. Desinit cap. 15. n. 2. verbis: *venenum aspidum sub labiis eorum. Deo gratias.* Sign. A.

10. *Ibidem*, bibliotheca principum Corsinianorum, cod. 41. E. 28. membr. in 4. saec. XIV. — Folio 22. r. legitur: *Domini Bonaventure de Balneo regio Ordinis Minorum de institutione novitiorum. Prologus incipit. Renovamini* etc. Desinit fol. 140. verbis: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat Iesus Xtus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* Sign. B.

Praeter hos codices collegimus etiam lectiones variantes ex opusculo impresso Brixiae 1495 (sign. ed. 1).

Extraordinariam lectionum variantium farraginem ex his fontibus collegimus, quarum maxima pars, contradicentibus fere omnibus aliis, erat improbabilis nec mentione digna. Plerumque tamen maior pars conveniebat in locis, ubi textus Vaticanae editionis castigandus erat. Codd. E H L hoc habebant peculiare, quod passim aliqua verba et interdum alia maiora addebant.

II. Codices a nobis non collati.

11. *Brixiae* in Italia, bibliotheca Quinciniana, cod. G. II. 12. chart. in 12. saec. XV. exeunt. — Legitur folio 1. r: *Incipit quedam regula edita a sancto Bonaventura propter novitios*

noviter religionem intrantes. Incipit prologus. Renovamini etc. Desinit fol. 11. v. ut in editis.

12. *Colmariae,* bibliotheca Civitatis, cod. membr. in 8. num. vacat, saec. XV. — Rubrica praesentis opusculi exhibetur folio 125. v. seqentibus verbis: *Incipit liber informationis novitiorum a fratre Bonaventura editus de doctrina novitiorum et quorumlibet religiosorum. Prologus. Reformamini* etc. Desinit fol. 128. v. ad verba cap. 5. n. 2: *Paulatim incidas panem et vinum.* Folia sequentia fuerunt abstracta.

13. *Cracoviae,* bibliotheca Universitatis, cod. A. A. XI. 26. chart. in 4. saec. XV. circa medium. — Hoc opusculum locum habet post alia folio r. non numerato, cum hac rubrica: *Incipit tractatulus valde utilis de informatione iuvenum et novitiorum Bonaventure. Reformamini* etc. Desinit ut cod. 1 (supra n. 4.): *et finaliter erit tibi bene, quia gratiam habebis in presenti et gloriam in futuro. Quam nobis concedat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen. De informatione novitiorum et iuvenum domini Bonaventure cardinalis Ordinis fratrum Minorum finit.*

14. *Gottwicii,* bibliotheca Monasterii, cod. 258. (457.) chart. in 4. saec. XV. — Rubrica huius opusculi occurrit folio 179. r. verbis: *Incipit fratris Bonaventure de institutione novitiorum.* Post tabulam sequitur: *Prologus. Renovamini* etc. Desinit fol. 184. v. incompletum (cap. 7. n. 2.): *semper sis in ecclesia, antequam officium inchoat.*

15. *Ienae,* bibliotheca Universitatis, collect. Bossiana, cod. oct. 4. chart. saec. XV. ineuntis. — In parte superiori fol. 2. r. habetur: *Incipit forma et regula, qualiter debeat quilibet novitius informari secundum Bonoventuram. Renovamini* etc. Finis est fol. 13. v. verbis: *venenum aspidum sub labiis eorum* (cap. 15. n. 2. editionis nostrae). Quibus additur: *Explicit forma novitiorum fratris Bonaventure. Sit laus Deo.*

16. *Lambacii,* bibliotheca Monasterii, cod. 463. chart. in 8. saec. XV. ineuntis, ut supra notavimus, pag. XVI n. 102. — Huic opusculo fol. 70. r. praemittitur sequens rubrica: *Incipit tractatus magistri Boneventure de institutione novitiorum. Prologus. Veritatem meditabitur guttur meum* etc. Hunc prologum hucusque ineditum vide infra pag. LXXIX. Ad calcem huius prologi est tabula capitulorum, deinde sequitur: *Renovamini in novitate sensus* etc. Desinit folio 96. r. verbis: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

17. *Lipsiae,* bibliotheca Universitatis Paulina, cod. 1271. membr. saec. XV. (1454). — Opusculo praemittuntur haec verba: *Sequitur consequenter liber de instructione novitiorum domini Bonaventure devoti; et primo ponuntur metrica hec dicta:*

Suscipe vivendi doctrinam proficiendi,
Quam tibi descripsit qui servulus est Crucifixi;
Hec tibi doctrina moralis sit medicina;
Per quam proficias ut cauccior amodo fias;
Bene fervescas virtutibus undique crescas.

Sequitur prologus libri: *Renovamini* etc. Desinit folio ultimo codicis v.: *quanto amabilius possidetur. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Hinc pius scriptor addit: *Et sic est finis. Explicit liber omnium tendentium et proficere volentium et notanter novitiorum in sacra religione domini Bonaventure, de instructione bonorum morum, quondam cardinalis et ministri generalis. Demum orate pro scriptore unum Ave Maria.*

18. *Londini,* bibliotheca Harleana, cod. 3995. membr. in 4. saec. XV. — Opusculum hoc est fol. 50. v. cum rubrica: *Tabula super tractatum fratris Bonaventure de instituendis novitiis;* et incipit sic: *Reformamini* etc. Desinit ut in editione.

19. *Medelci,* bibliotheca Monasterii, cod. O. 20. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 295. v.: *Tabula fratris Bonaventure de institucione novitiorum.* Post tabulam sequitur: *Renovamini* etc. Desinit fol. 310. r.: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat qui* etc.

20. *Ibidem,* cod. N. 10. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. r. non numerato ipsis verbis, quibus praecedens cod., cum quo etiam desinit, addito: *Explicit libellus fratris Bonaventure de institutione novitiorum.*

21. *Ibidem,* cod. Q. 6. chart. in 4. saec. XIV. ante medietatem. — Opusculum incipit folio 109. r. et desinit fol. 128. r. Tam in initio quam in fine eadem leguntur quae in praecedenti codice.

22. *Ibidem,* cod. E. 69. chart. in 12. saec. XV. ante medium. — Opusculum incipit sine titulo folio 251. r.: *Renovamini* etc. Desinit folio 269. r.: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat* etc. *Explicit libellus Bone Venture fratris de institutione novitiorum.*

23. *Mediolani,* bibliotheca Universitatis (vulgo Brera), cod. A. D. IX. miscell. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. r. non numerato hac rubrica: *Hec est regula novitiorum per Bonaventuram fratrem ex Ordine Minorum compilatum* (sic). Deinde, omisso prologo, sequitur: *De divino officio celebrando. Cum spiritualia* etc. Desinit verbis: *quanto nobilius possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

24. *Moguntiae,* bibliotheca Seminarii, cod. chart. in 8. saec. XV. (1462). — Rubrica huius est folio 1. r. his verbis: *Incipit formula vivendi edita a venerabili ac egregio cardinali Bonaventura Ordinis fratrum Minorum cuidam novitio. Renovamini* etc. Finis est fol. 16. v. verbis: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

25. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Hoc opusculum incipit fol. 288. sub rubrica: *Formula sancti Bonaventure. Renovamini* etc. Desinit fol. 304. v.: *tanto nobilius, quanto amabilius possidetur. Ad quod nos perducat. Explicit formula novitiorum, seraphici scilicet doctoris Bonaventure.*

26. *Ibidem,* cod. 5607. chart. in fol. saec. XV. — Titulus huius opusculi est folio 43. v. expressus: *Incipit bonus tractatus pro religiosis et specialiter incipientibus. Renovamini in novitate* etc. Finem habet fol. 48. r.: *tanto nobilius quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat Iesus Marie filius, qui vivit. Amen.*

27. *Ibidem,* cod. 4710. chart. in fol. saec. XV. — Folio 60. r. est rubrica opusculi his verbis: *Incipit tractatus Bonaventure de institutione monachorum novitiorum et incipientium. Incipiunt capitula.* Post: *Incipit prologus. Renovamini* etc.; prosequitur usque ad cap. 14. n. 2. nostrae editionis, ad verba: *quia talis non dicitur obedientia, sed propria*

voluntate abuti. Gregorius: Si quis aperte vel occulte. Cetera desiderantur.

28. *Ibidem*, cod. 9726. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 70. r. verbis: *Prologus libri Bonaventure cardinalis et doctoris de instructione novitiorum. Renovamini* etc. Desinit fol. 74. r.: *tanto nobilius quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat, qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

29. *Ibidem*, cod. 9804. chart. in 4. saec. XV. — Folio 129. r. legitur: *Incipit prologus libri Bonaventure cardinalis. Renovamini* etc. Desinit fol. 140. v.: *possidetur. Ad quod nos perducat. Amen. Explicit libellus fratris Bonaventure de instructione novitiorum.*

30. *Ibidem*, cod. 18568. chart. in 4. saec. XV. — Folio 141. r.: *Incipit tabula libri Bonaventure de institutione novitiorum;* post tabulam: *Sequitur prologus. Renovamini* etc. Finis est fol. 152. cum additione: *Explicit tractatus Bonaventure cardinalis et doctoris eximii de institutione monachorum novitiorum et incipientium. Anno 1447. in die sancti Arsacii.*

31. *Ibidem*, cod. 18970. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 3. sub titulo: *Tractatus incipientibus perutilis sancti Bonaventure.* Post tabulam capitulorum: *Sequitur prologus. Renovamini* etc. Desinit folio 23. r.: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat* etc. *Explicit libellus Bonaventure de institutione novitiorum. Anno ut supra 1483.*

32. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 3. chart. in 8. saec. XV. — Folio 58. r.: *Incipit tractatus valde utilis de informatione iuvenum novitiorum domini Bonaventure cardinalis. Reformamini* etc. Desinit fol. 64. r. verbis: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

33. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. G. 15. miscell. in 4. saec. XV. exeuntis. — Opusculum est fol. 24. r. sub rubrica: *Incipit liber, qui dicitur informatio novitiorum secundum seraphicum doctorem sanctum Bonaventuram de Ordine Minorum. Prologus: Dicit Apostolus: Renovamini* etc. Desinit verbis cap. 15. n. 2.: *venenum aspidum sub labiis eorum. Deo gratias. Amen.*

34. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 10717. membr. in 16. saec. XV. ineuntis. — Folio 32. v.: *Incipit tractatus fratris Bonaventure de informatione iuvenum et specialiter novitiorum. Incipit prologus. Reformamini* etc. In fine capituli 15. additur: *Finito libro sit laus et gloria Xto.* Hinc sequitur capitulum de humili obedientia, quod desinit verbis: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

35. *Ibidem*, cod. 3758. chart. saec. XV. — Regula novitiorum incipit folio 104. v.: *Renovamini in novitate* etc. Desinit cum editione fol. 118. v.: *quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat etc.*

36. *Sancti Galli* in Helvetia, bibliotheca Pastorum, cod. 780. miscell. in 4. saec. XV. — Pagina 270 incipit hoc opusculum sine titulo: *Reformamini* etc. Desinit pag. 311: *quanto a nobilibus possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

37. *Ibidem*, cod. 938. chart. in 4. saec. XV. — Rubrica opusculi exhibetur pag. 116 verbis: *Incipit liber Bonaventure de institutione novitiorum.* Hinc sequitur tabula capitulorum, deinde: *Incipit prologus. Renovamini* etc. Desinit pag. 141: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Explicit liber Bonaventure de institutione novitiorum completus anno Domini 1448. in vigilia Bonifacii et sociorum eius.*

38. *Stronconii* prope Narniam, bibliotheca Conventus Ordinis Minorum, cod. chart. iam descriptus supra pag. XXII n. 235. — Hoc opusculum incipit folio non numerato, praemissa sequenti invocatione: *In nomine individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Incipit quedam formula vite religiosorum, maxime novitiorum secundum Bonaventuram de Balneo regio. Reformamini* etc. Desinit verbis editionis.

39. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4059. chart. in 8. saec. XV. — Opusculo praemittitur tabula capitulorum, folio 64. r., deinde sequens titulus: *Tractatus Boneventure de institutione novitiorum. Prologus. Renovamini* etc. Desinit folio 80. v.: *quanto a multis possidetur. Ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Et sic est finis illius tractatus Boneventure pro quolibet sacerdote valente.*

40. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. Class. I. 2. in 12. membr. saec. XV. incuntis. — Opusculo praemittitur: *Incipit tractatus de informatione novitiorum secundum fratrem Bonaventuram cardinalem Ordinis Minorum. Reformamini* etc. Desinit folio 22. v.: *tanto nobilius quanto a nobilioribus possidetur. Ad quod nos perducat Xtus Dei filius, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

Alius prologus hucusque ineditus.

Ex codice 463. chart. in 8. *bibliothecae monasterii Lambacensis.* — *Incipit* tractatus magistri Bonaventurae de institutione novitiorum. *Prologus. Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium* (Prov. 8, 7.). In verbis istis Salomon promittit, se facturum duplex opus sapientiae, de quo loquitur Aristoteles in Elenchis. Duplex est enim, sicut docet hic Philosophus, opus sapientiae: primum est *non mentiri eum, de quibus novit*, secundum est *mentientem manifestare posse.* Hoc est dicere, quod sapiens primo debet in doctrina sua praemeditatam veritatem lucide declarare; secundo falsitatem et falsiloquos detegere et libere reprobare.

Propter primum ergo dicit Salomon: *Veritatem meditabitur guttur meum*, propter secundum subdit: *Et labia mea detestabuntur impium.* Haec autem congrue fieri non possunt nisi per gratiam Spiritus sancti, inter cuius septem dona secundum numerationem Isaiae Prophetae donum *sapientiae* obtinet primum locum in descendendo, sed ultimum secundum conversionem numeri in ascendendo. Donum vero *scientiae* quintum locum obtinet numeraliter descendendo, sed tertium ascendendo. Christus enim, qui est consubstantialis Sapientia Dei Patris, per assumtionem carnis ad nos descendendo donum suae sapientiae nobis infudit, dum ad veram fidem humanum genus instruxit, dum, *lumen ad revelationem gentium* (Luc. 2, 32.) factus, refulsit *his qui in tenebris* ignorantiae *sedebant et in umbra mortis* (Luc. 1, 79.) vitiorum multiplicium mortiferae quiescebant. Sapientiam ergo fidei beatissimae Trinitatis, quam Paulus Apostolus *loquebatur inter perfectos* (I. Cor. 2, 6.), Christus promisit suis discipulis, dicens (Luc. 21, 15.): *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Postea ultimo

dedit eis sapientiam, id est sapidam scientiam caritatis, quando *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (Eph. 4, 8.), quando scilicet eis Spiritum sapientiae dedit, qui eos *docuit omnem veritatem* (Ioan. 16, 13.). Et ideo dixi supra: donum sapientiae primum in descendendo et ultimum in ascendendo obtinet locum, quia Christus in suo descensu primo nos docuit fidei veritatem, ultimo in suo ascensu discipulis suis infudit perfectam caritatem, quando scilicet eorum *dilectio ut mors fortis* (Cant. 8, 6.) facta est et plus quam mors, et eorum sancta « aemulatio » *durior quam infernus*. Et ideo primum et ultimum numerum sibi specialiter consecravit, dum *primitias et decimas* sibi ipsi praeceptis legalibus dedicavit (cfr. Exod. 22, 29. et alibi passim). Sicut enim unitas est principium omnium numerorum, ita denarius est primus limes et ultimus numerus in primo ordine numerorum, quia in unitate fidei et perfectione decalogi omnis vera sapientia declaratur. Proprie enim sapientia dicitur de divinis, quibus nulla falsitas admiscetur; et omnium divinorum charismatum, sicut fides est principium et fundamentum, ita vera caritas est finis et omnium complementum. Et propter hoc bene dicit Apostolus, quod *finis praecepti est caritas*, et quod *plenitudo legis est dilectio* (I. Tim. 1, 5. et Rom. 13, 10.), quia saporem caelestis gratiae et lumen verae scientiae complectitur et coniungit, ut vera sapientia, id est sapida scientia, dici possit. Scientia vero secundum Sanctos proprie dicitur de humanis, vel etiam de divinis secundum humanam rationem perceptis et acquisitis; et nihilominus scientia inter dona Spiritus sancti sicut sapientia adnumeratur et est in descendendo quintum donum, sed in ascendendo tertium computatur. Quia enim ante adventum Christi humanum genus per delectabilia obiecta quinque sensuum corporalium quasi totum carnale erat effectum; ideo Verbum Dei, id est Filius Dei, Verbum caro factum est, ut de carnalibus spirituales faceret, ut sic, quia Deus spiritus est, per quinque sensuum purificationem homines spirituales effecti possent in Dei filios adoptari, quia talibus Christus descendendo per carnis assumtionem *dedit potestatem filios Dei fieri* (Ioan. 1, 12.), a carne ad spiritum ascendendo. Et ideo bene dictum est, quod donum scientiae in ascendendo tertium computatur, quia per donum scientiae tres vires animae, scilicet *rationalis, concupiscibilis* et *irascibilis*, illuminantur et adiuvantur, ut *rationalis* per cognitionem veritatis declinet falsitatem, *concupiscibilis* per dilectionem bonitatis respuat iniquitatem, *irascibilis* per apprehensionem honestatis vitiorum fugiat vilitatem; et ita anima per verum bonum et arduum ascendat ad cognitionem et dilectionem et apprehensionem beatissimae Trinitatis, exclusa ignorantia, genitrice erroris et falsitatis, exstincta concupiscentia, matre omnis iniquitatis, expulsa impotentia, parente omnis infirmitatis.

Et quia de sacris Religionibus tractare intendimus, quarum aliquae per vitam contemplativam circa Deum et divina divinae caritatis ardore versantur, aliquae vero per vitam activam circa humanas necessitates amore Christi utiliter occupantur; ideo, ut de divinis digne loqui possimus, divina sapientia indigemus, et eiusdem scientia nobis necessaria est, ut de humanis ad veram religionem pertinentibus tractare congrue valeamus. Invocemus ergo devote gratiam Spiritus sancti, ut per sapientiam atque scientiam tam de divinis quam de humanis possimus veritatem salutiferam declarare et detegere falsitatem circa ea praecipue, quae pertinent ad perfectionem verae religionis, de cuius veritate et integritate ad praesens inquirere proponimus et tractare. Explicit prologus. — Tabula fratris Bonaventurae de institutione novitiorum. Versus: Sis iustus, prudens, fortis, discretus et verax (?) — et constans, moestus, humilis castusque, modestus — orans, mansuetus, miserans... laetus — quindenis gradibus his culmen caeli adi. De officio celebrando cap. 1. etc., de paupertate cap. 16. Prologus: *Renovamini in novitate sensus*.

§ 11. **Opusculum XXI. Epistola continens viginti quinque Memorialia.**

a. De hoc opusculo, quod incipit: « In Christo suo dilecto Fratri N. », Oudinus (loc. cit. col. 424) ingenue fatetur, « ex inscriptione et dictione operis certo spectare ad divum Bonaventuram ». *Soli* editores Veneti ausi sunt, nulla adducta ratione, illud reiicere ad *incerta* S. Bonaventurae scripta (Diatrib. pag. 80 seq.), de quo a Bonelli (Prodrom. col. 653 seq.) acriter, sed iuste arguuntur. In indiculis ad tom. V. saepe citatis Bonaventurae attribuunt hanc epistolam Trithemius, Marianus Florentinus aliique. Consentiunt antiquae editiones, quarum una relata in Bonelli Prodromo (col. 280) ita habet: « Utilissima quaedam Epistola eximii et devoti Doctoris Bonaventurae, quae est quaedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Christo vivere volentium, et distinguitur in XXV Memorabilia (sic) ». Aliam prae manibus habemus, quae licet in fine sit sine loco et anno, videtur esse an. 1484, quia adiunctum est *Breviloquium* hoc anno impressum eisdem omnino typis et charta. Omnem autem dubitationem tollunt tum Epistolae sententiae earumque forma, tum auctoritas tot codicum, quorum multi sunt optimae notae. Inter 74 codices tantum quatuor sunt anonymi, et tres erronee Bernardum nominant auctorem. — Aliis verbis et variis inscribitur haec Epistola: vel « Epistola de spirituali profectu »; vel « de modo proficiendi compendioso »; vel « de ordine vitae spiritualis »; vel « Exhortatorius ad Fratres »; vel « Speculum Fratrum et Sororum » etc.

b. Revera haec Epistola praebet *Regulae novitiorum* pro incipientibus Religiosis scriptae quoddam pretiosum supplementum, quia documenta ibi proposita, si debito modo observantur, idonea sunt, ut viam parent perveniendi ad summam perfectionem. — Etiam hac ratione haec Epistola singulare habet pretium, quia vitam *interiorem* S. Doctoris authentice nobis magna ex parte manifestat, cum contineat ea *proposita*, quae ipse ad proprium usum sibi collegerat (cfr. pag. 491 nota 1. et clarius pag. 498 col. 1).

In editione Vat. inscriptio Epistolae habet *Fratri E*, Bonelli (loc. cit.) cum pluribus codicibus ponit *ad Fratrem Petrum;* nos, quia nomen visum est incertum, substituimus litteram N. De illo Fratre *Petro* Bonelli haec adiungit: « Binos innotuisse nobis illius aevi Fratres Petri nomine vocatos, quorum alter Minister Franciae Bonaventuram nostrum laudavit in epistola scripta an. 1268... alter vero Minister Turoniae memoratur ab eodem Bonaventura » (vide infra pag. 473 Epist. VI.).

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca ecclesiae Cathedralis, cod. 49. chart. saeculi XVI. ineuntis. — Praesens opusculum

incipit folio 75. r. his verbis: *Prologus in epistolam sequentem. In Christo suo dilecto N. Bonaventura de Balneo regio confratri in Domino. Qualicumque homine iam veteri* etc. Desinit fol. 105. r.: *commendabis. Qui est trinus* etc., ut indicatur infra pag. 498, nota 5. — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem,* bibliotheca Publica, cod. 191. progress. 668. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit folio r. non numerato his verbis: *Incipit epistola domini Bonaventure perutilis ac devota. In Xto suo dilecto frater Bonaventura confratri eius in Domino. Qualicumque* etc. Desinit fol. r. ut in editione. Sign. B.

3. *Monasterii,* bibliotheca Universitatis Paulinae, cod. 345. (580.) membr. in 8. saec. XV. exeuntis. — Post medietatem voluminis folio non numerato occurrit rubrica huius opusculi his verbis: *Incipit utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium et distinguitur in XXV memorialia, ut inferius patebit. In Xto suo dilecto E. Bonaventura de Balneo regio confrater eius in Domino* etc. Desinit fol. r. cum conclusione infra relata pag. 498, nota 5. Sign. D.

4. *Neapoli,* bibliotheca Nationalis, cod. VII. G. 48. chart. in 8. saec. XV. ineuntis. — Rubrica huius opusculi est folio non numerato his verbis: *Incipit quedam formula vite spiritualis;* cui alia manus recentior addit: *fratris Bonaventure.* Deinde sequitur: *In Xto suo fratri dilecto P. frater eius in Domino.* Desinit: *Cui est honor et gloria per indefessa et interminabilia et infinita secula seculorum. Amen. Vale frater* etc., ut legitur infra pag. 498, nota 5. Sign. C.

5. *Romae,* bibliotheca principum Barberini, cod. XLIV. 2. membr. saec. XIV, quem descripsimus supra pag. XXI n. 220. — Folio 3. r. praemittitur opusculo sequens titulus: *Incipit epistola domini fratris Bonaventure cuidam suo discipulo de spirituali profectu notabilis valde. Dilecto in Xto Iesu N. frater eius* etc. Desinit fol. 27. v.: *repleatur in Xto Iesu domino nostro, cui est honor et gloria. Amen.* Sign. E.

6. *Ibidem,* bibliotheca Casanatensis, cod. B. VI. 13. membr. in 12. saec. XIII. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 34. r. his verbis: *Epistola venerabilis patris fratris Bonaventure de Balneo regio. In Xto fratri dilecto T. Bonaventura confrater eius in Domino* etc. Desinit verbis: *Expliciunt memorialia pauperis servuli Crucifixi.* Sign. F.

7. *Ibidem,* bibliotheca principum Corsini, cod. 41. E. 28. membr. in 4. saec. XIV. — Folio 189. r. legitur: *Incipit epistola domini fratris Bonaventure de Balneo regio Ordinis Minorum de ordine spiritualis vite, quam misit cuidam suo discipulo. In Xto suo fratri dilecto T. Bonaventura confrater eius in Domino* etc. Desinit folio 198. v.: *per indefessa et immensa ac infinita secula seculorum. Amen.* Sign. G.

In castigando textu Vaticanae editionis plerumque secuti sumus codices antiquiores E F G, quibus non raro etiam C et interdum B consentiunt. Tamen illos minime caece sequi potuimus, cum non raro singuli manifeste falsas lectiones habuerint, et aliquando, sed raro, fere omnes in eundem errorem inciderint.

Praeter codices usi sumus antiqua editione (sign. ed. 1), impressa sine indicatione loci, probabiliter an. 1480, qui in fine primi huius opusculorum collectionis, scilicet Breviloquii, notatus est.

II. Codices a nobis non collati.

8. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis, olim Conventus sancti Francisci, cod. 27. chart. in 16. saec. XV. — Folio non numerato legitur: *Incipit speculum fratrum Minorum, verum etiam omnium religiosorum. In Xto Iesu fratri dilecto Petro frater eius* etc. Desinit ut in editis cum additione: *Vale, frater, in Domino Iesu Xto, sine quo omnia nihil valent. Expliciunt memorialia pauperis servuli Crucifixi. Amen.*

9. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Publica, cod. 747. progress. 566. miscell. in 12. saec. XV. — Circa finem voluminis folio non numerato: *Incipit epistola fratris Bonaventure perutilis atque devota. In Xto suo dilecto E. frater Bonaventura* etc. Desinit verbis: *commendabis. Cui est honor et gloria, decus et imperium per infinita secula seculorum. Amen. Explicit epistola fratris Bonaventure devota et utilis. Deo gratias.*

10. *Bernae,* bibliotheca Civitatis, cod. mss. A. 82. chart. in 16. saec. XV. exeuntis. — Rubrica opusculi est folio 1. r. sic: *Incipit epistola domini Bonaventure cardinalis de modo proficiendi compendioso. In Xto suo fratri N. N. dilecto frater eius in Domino. Qualicumque* etc. Desinit fol. 24. v. verbis: *Cui est honor, gloria et imperium per indefessa et indefinita secula seculorum. Amen.*

11. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 3716-28. chart. in 4. exaratus anno 1490. — Folio 156. r. post alia opera nostri Doctoris, de quibus egimus tom. V. pag. XIX n. 46. et supra pag. XIII n. 48. habetur: *Sequitur utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure prenominati, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium; et distinguitur hec epistola in viginti quinque memoralia, ut inferius patebit. Prologus. In Xto suo dilecto E. frater Bonaventura* etc. Desinit fol. 159. r. verbis: *commendabis. Cui est honor et gloria, decus et imperium per infinita secula seculorum. Amen.*

12. *Ibidem,* cod. 11902-9. miscell. in 8. saec. XV. — Folio 128. r. legitur: *Beati Iohannis Bonaventure, viri seraphici ac doctoris devotissimi, Albanensis episcopi et cardinalis, epistola utilissima, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium, feliciter incipit. Prefatio seu prologus epistole sequentis. In Xto suo dilecto E. frater B.* etc. Desinit fol. 140. r.: *commendabis. Cui est honor etc. Finit epistola devotissimi et seraphici doctoris sancti Bonaventure.*

13. *Colmariae,* bibliotheca Civitatis, cod. 15, de quo egimus supra pag. XLIV n. 57. — Hoc opusculum est fol. 25. v. cum titulo: *Incipit utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium et distinguitur in XXV memorialia, ut inferius patebit. Prologus. In Xto suo dilecto E. B. de Balneo regio* etc. Desinit fol. 40. r. ut in editis. Post *Finit* repetuntur eadem verba, quae supra, quibus additur: *Per me fr. Ioannem Hecht. Anno 1501.*

14. *Cortonae,* bibliotheca Communalis, cod. 45. iam descriptus supra pag. 77 n. 1. — Hoc opusculum est cum rubrica:

Incipit epistola sancti Bonaventure episcopi et cardinalis Albanensis de ordine spiritualis vite ad quendam discipulum suum. In Xto fratri suo dilecto... frater Bonaventura etc. Desinit: *Cui est honor et gloria et imperium per indefessa et immortalia et infinita secula seculorum. Amen.*

15. *Ibidem*, cod. 124. chart. saec. XV, de quo egimus supra pag. LXXVII n. 2. — Rubrica huius est fol. non numerato: *Incipit epistola domini fratris Bonaventure de Bolneo regio Ordinis Minorum de ordine spiritualis vite, quam misit cuidam suo discipulo. In Xto fratri suo dilecto E. B. confrater eius* etc. Desinit ut in codice praecedenti.

16. *Cremifani*, bibliotheca Monasterii, cod. XI. 164. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 281. r. verbis: *In Xto suo fratri dilecto Iohanni frater eius Bernhardus in Domino* etc. Desinit fol. 288. v.: *Cui est honor, gloria et imperium in secula seculorum. Amen.*

17. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 696. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Folio 77. v.: *Sequitur quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure prenominati, que est quasi quedam regula et instructio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium. Et distinguitur hec epistola in XXV memoralia, ut inferius patebit. In Xto suo dilecto E. frater B.* Desinit folio 84. r. ut in editis.

18. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. 747. D. III. miscell. saec. XV. — Opusculum incipit folio 321. r. cum rubrica: *Incipit epistota cardinalis Bonaventure. In Xto fratri dilecto suo N. frater eius in Domino* etc. Desinit fol. 323. r.: *commendabis. Cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Vale, frater, in Domino Iesu Xto, sine quo omnia nihil valent.*

19. *Gorlitii*, bibliotheca Civitatis, cod. A. B. 81. chart. in 4. saec. XV. — Incipit hoc opusculum fol. 356. r. sub titulo: *Epistola Bonaventure de regulis vivendi.* Deinde, omisso prologo: *Oportet ante omnia te cupientem sequi vestigia* etc., desinit folio 357. v. ut in editis.

20. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1649. chart. in 12. saec. XVI. ineuntis. — Opusculum incipit folio non numerato r. sub titulo: *Tractatus de humilitate sancti Bonaventure. In Xto suo dilectissimo T. Bonaventura* etc. Desinit n. 6. verbis: *magna et inscrutabilia, quorum non est numerus.*

21. *Ibidem*, cod. 910. chart. in 4. saec. XV. — Haec epistola incipit fol. 3. r. verbis: *In Xto suo fratri dilectissimo T. B. confrater eius* etc. Desinit fol. 7. v.: *qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit in die sanctorum Cosme et Damiani. anno 87* (1487.).

22. *Ienae*, bibliotheca Universitatis, Collect. Salana, cod. 60. chart. in fol. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 275. v., omisso titulo et prologo: *Oportet ante omnia, te cupientem sequi* etc. Desinit fol. 177. v. cum additione: *Explicit epistola Bonaventure pulcra et bona.*

23. *Lambaci*, bibliotheca Monasterii, cod. 458. chart. in 8. saec. XV. — Opus incipit post medietatem voluminis fol. non numerato r.: *In Xto suo fratri dilectissimo T. Bonaventura* etc. Desinit verbis: *qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen.*

24. *Lipsiae*, bibliotheca Universitatis Paulinae, cod. 1556. chart. in folio saec. XV. — Opusculum incipit fol. 32. r., praemisso: *Epistola Bonaventure de sequendo Christo.* Deinde omittit prologum et initium sumit a verbis: *Oportet ante omnia* etc. Desinit fol. eodem v.: *quod ipse tibi concedat, qui est trinus et unus et eternus in secula benedictus. Amen.* Hinc minoribus litteris prosequitur: *Per me fratrem Tiburtium Troppe. Explicit epistola Bonaventure pulcra. Deo gratias.*

25. *Ibidem*, cod. 346. chart. in fol. saec. XV. — Initium opusculi est fol. 10. v. sub titulo: *Incipit memoriale pauperis servuli Crucifixi, sequitur opus Bone venture de speculo anime. In Xto suo fratri dilecto frater eius in Domino. Qualicumque* etc. Folia quaedam interponuntur a compactore, ut recte animadvertitur fol. 11. v. manu saeculi posterioris. Desinit fol. 23. v. ut in editis.

26. *Londini*, bibliotheca Musaei, collectio Arundeliana, cod. 289. membr. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 22. v. sub titulo: *Epistola fratris Bonaventure, que est quasi quedam regula* etc., ut supra n. 3. Deinde: *In Xto Iesu dilecto E. frater Bonaventura.* Desinit fol. 25. v. ut in editis.

27. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. recenter sign. 15. A. chart. saec. XV. — Rubrica huius opusculi est fol. 11. r. sic expressa: *Beati Iohannis Bonaventure, viri seraphici ac doctoris devotissimi, Albanensis episcopi et cardinalis, epistola utilissima, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium, feliciter incipit. Distinguitur autem hec epistola in viginti quinque memoralia, ut inferius patet... In Xto suo dilecto E. frater B.* etc. Desinit fol. 15. v. cum hac additione: *Finit epistola devotissimi ac seraphici doctoris sancti Bonaventure. Anno MIIII. 86.* (1486.) *Septembris XXIII.*

28. *Marburgi*, bibliotheca Universitatis, cod. class. IV. D. 38. chart. saec. XV. — Rubrica huius opusculi est fol. 378. r. his verbis: *Epistola Bonaventure pulcra. Oportet ante omnia, te cupientem* etc. Desinit folio 381. r.: *quod ipse tibi concedat, qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Deo gratias.*

29. *Mediolani*, bibliotheca Universitatis (vulgo Brera), cod. A. D. XIV. 26. chart. in fol. saec. XV. — Folio 1. r.: *Incipit epistola beati Bernardi abatis valde utilis, quam misit uni suo predilecto. In Xto suo fratri dilecto E. B. confrater eius in Domino. Qualicumque veteri* etc. Desinit fol. 7. v.: *devotis tuis digneris orationibus commendare. Cui est honor et gloria et imperium per indefessa et immortalia et infinita secula seculorum. Amen.*

30. *Ibidem*, cod. A. D. IX. 12. chart. in 4. saec. XV. — Folio r. non numerato: *Incipit epistola beati Bernardi abbatis valde utilis ad spirituales profectus, quam misit uni suo predilecto. In Xto suo fratri C. B. et confrater eius* etc. Desinit fol. r. ut in editis.

31. *Mellicii*, bibliotheca Monasterii, cod. H. 28. chart. in 12. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 167. v. cum hac rubrica: *Epistola fratris Bonaventure pro noviciorum informacione. In Xto suo fratri dilectissimo T. Bonaventura* etc. Desinit fol. 172. v. ut in editis.

32. *Ibidem*, cod. H. 85. chart. in 12. saec. XV. exeuntis. — Epistola haec incipit fol. 51. r., praemissa rubrica: *Admonicio-nes Bonaventure, scilicet ut homo proficiat in vita spirituali. Oportet ante omnia, te cupientem sequi* etc. Notandum, quod opus interrumpitur fol. 52. r. in fine et continuatur fol. 56. v. in principio. Desinit fol. 58. v. cum additione: *Expliciunt aurea verba. Hic est finis tractatus Bonaventure.*

33. *Ibidem*, cod. N. 7. iam notatus supra pag. XVII n. 136. — Hoc opusculum incipit fol. 23. r.: *In Xto suo dilectissimo E. Bonaventura frater eius* etc. Desinit incomplete n. 6. ad verba: *ubi sunt magna et inscrutabilia, quorum non est numerus.*

34. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 3034. iam descriptus supra pag. XVIII n. 150. — Folio 232. v. incipit hoc opusculum sub titulo: *Epistola et instructio Bonaventure ad novitium quendam de Balneoregio. In Xto suo fratri dilectissimo E. Bonaventura confrater eius* etc. Desinit folio 237. r. verbis: *frui gloria in futuro, quod ipse tibi concedat qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen.*

35. *Ibidem*, cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeunt. — Folio 36. r.: *Sequitur utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio pie et spiritualiter in Xto vivere volentium. Et distinguitur hec epistola in XXV memoralia, ut inferius patebit. Prologus. In Xto suo dilecto E. Bonaventura* etc. Desinit cum editione folio 44. r.

36. *Ibidem*, cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. — Continet cod. fere integrum hoc opusculum sub rubrica: *Nota valde utilia ex quadam epistola devoti doctoris Bonaventure illis pie et spiritualiter in Xto vivere volentibus. Memoralia generalia. Sunt ergo hec quedam virtutes* etc., fol. 3. r.

37. *Ibidem*, cod. 9810. chart. in 4. saec. XV. — Folio 26. r. est sequens rubrica: *Incipit epistola fratris Bonaventure ad novitium quendam, que intitulatur Balneum regium* (sic) *anime. In Xto suo fratri dilectissimo E. Bonaventura confrater* etc. Desinit fol. 33. r. verbis: *Explicit epistola* etc., ut legitur supra.

38. *Ibidem*, cod. 11924. chart. in 8. saec. XVI. — Folio 1. v. legitur: *Incipit utilissima quedam epistola eximii et devoti doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium, et distinguitur in XXV memoralia, ut inferius patebit. In Xto suo dilecto E. Bonaventura de Balneo regio* etc. Desinit fol. 12. v. ut in editione.

39. *Ibidem*, cod. 14777. chart. in 8. saec. XV. — Folio 154. r. opusculo praemittitur tantum: *Memoralia generalia sancti Bonaventure.* Deinde, omisso prologo, sequitur: *Sunt ergo quedam virtutes probate in iuvenibus* etc. Desinit fol. 160. v. ut in editis.

40. *Ibidem*, cod. 4781. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum occurrit fol. 22. v. sub titulo: *Incipit epistola fratris Bonaventure ad novitium quendam, que intitulatur Balneum regium* (sic) *anime. In Xto suo fratri dilecto E. Bonaventura confrater* etc. Desinit folio 29. r. verbis: *quod ipse tibi concedat* etc. *Explicit epistola fratris Bonaventure ad novitium.*

41. *Ibidem*, cod. 5014. chart. in 8. saec. XV. — Haec epistola incipit folio 95. v. sine ullo titulo: *In Xto fratri suo dilectissimo frater Bonaventura* etc. Desinit fol. 98. v. ut in editis.

42. *Ibidem*, cod. 7669. chart. in 4. saec. XV. — Folio 118. r.: *Incipit epistola fratris Bonaventure de Balneo regio multum utilis et bona.* Haec rubrica praemissa fuit ab alia quidem, sed coaeva manu; antiqua manus continuat: *In Xto suo fratri dilectissimo E. Bonaventura confrater eius* etc. Desinit fol. 128. r. Eadem manus adiungit: *Explicit epistola fratris Bonaventure utilis et valde bona.*

43. *Ibidem*, cod. 9726. chart. in fol. saec. XV. — Folio 1. r.: *Incipit epistola et instructio Bona venture ad novitium quendam de Balneo regio. In Xto Iesu dilectissimo E. Bonaventura* etc. Desinit ut in editis fol. 4. r.

44. *Ibidem*, cod. 18882. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum incipit fol. 84. r. sub hoc titulo: *Epistola sancti Bonaventure, que est regula omnium pie in Christo vivere volentium. In Xto suo dilecto E. Bonaventura de Balneo regio confrater eius* etc. Desinit fol. 105. v. ut in editione.

45. *Ibidem*, cod. 18558. chart. in 4. saec. XV. — Folio 21. r.: *Incipit epistola fratris Bonaventure ad novitium quendam, que intitulatur Balneum regium* (sic) *anime. In Xto suo fratri dilectissimo E. Bonaventura confrater* etc. Ultima pars epistolae exarata fuit ab alia manu in parva schedula, a verbis scilicet: *Hec autem non ideo tibi scripsi, quod te* etc. usque ad finem, cui additur: *Explicit epistola fratris B. ad novitium.*

46. *Ibidem*, cod. 18551. chart. in 4. saec. XV. — Folio 140. r. legitur: *Epistola et instructio* (alia manus prosequitur) *sancti Bonaventure de Balneo regio ad quendam de Balneo regio. In xto suo fratri dilectissimo N. B. confrater eius* etc. Desinit folio 147. r.: *tuis orationibus commendare, cui est honor, gloria et imperium per indefessa et infinita secula seculorum. Amen.*

47. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 190. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opusculum est fol. 309. r. sub titulo: *Epistola sancti Bonaventure ad quendam fratrem de spirituali vita. In xto* etc. Desinit folio 116. ut in editione.

48. *Oeniponte*, bibliotheca Universitatis, cod. 219. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 176. v. cum titulo: *Viginti quinque considerationes Bonaventure.* Postea, omisso prologo: *Oportet ante omnia, te cupientem* etc., desinit ut in editis fol. 179. r. Hinc: *Expliciunt viginti quinque considerationes Bonaventure.*

49. *Olomucii*, bibliotheca Regia, cod. II. *f.* 16. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum est circa finem voluminis folio non numerato indicatum hac rubrica: *Incipiunt monitiones Bonaventure ad quendam fratrem.* Hinc omittit prologum et prosequitur: *Oportet ante omnia te cupientem sequi* etc. Desinit: *quod ipse tibi concedat qui est unus et trinus in secula benedictus Amen. Expliciunt monitiones Bonaventure ad quendam fratrem.*

50. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 14857. miscell. in 4. saec. XV. — Folio 324. r. opusculo praemittitur sequens rubrica: *Epistola missa per venerabilem fratrem Bonaventuram de Balneo regis, olim generalem ministrum Ordinis Fratrum Minorum atque cardinalem Romane ecclesie, cuidam carissimo et spirituali amico. Dilecto in Xto fratri suo* A. *frater Bonaventura* etc. Desinit incompleta ad verba: *melius est enim non noscere viam iustitie, quam retrorsum converti, ut habetur prima Petri.*

51. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7690. chart. saec. XV. (1475). — Folio 210. r.: *Incipit speculum fratrum Minorum, immo omnium religiosorum. In Xto Iesu fratri dilecto Petro frater eius Bonaventura* etc. Desinit fol. 216. v. cum editis et in fine additur: *Vale, frater, cum Domino Iesu, sine quo omnia nihil valent.*

52. *Ibidem*, in archivo Collegii sancti Isidori, cod. 88. chart. saec. XV. — Opusculum incipit folio 154. v. sic: *In nomine*

Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Sunt aliqua necessaria inter virtutes etc. In aliquibus differt ab edito, desinit etiam fol. 156. v. his verbis: *ut accipias gloriam, quam preparavit Deus diligentibus se. Amen.*

53. *Ibidem*, in eodem cod. colligatum est aliud exemplar, quod incipit fol. 240. a rubrica: *Incipit quedam epistola fratris Bonaventure Ordinis Minorum ad fratrem suum. In Xto* etc. Desinit fol. 242. v. ut in editis.

54. *Ibidem*, bibliotheca Principum Chisianorum, cod. A. IV. 102. membr. saec. XIV. — Folio 65. v.: *Incipiunt memorialia. In Xto suo fratri dilecto T. B. confrater eius* etc. Desinit fol. 79. r. ut in editis cum additione: *Vale, frater, in Domino Iesu Xto, sine quo omnia nihil valent. Expliciunt memorialia pauperis servuli Iesu Xli crucifixi Bonaventure. Laus Iesu Xto. Amen.*

55. *Ibidem*, cod. A. VI. 188. membr. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 204. r. sub hac rubrica: *Epistola Bonaventure. In Xto suo fratri dilecto T. Bonaventura confrater eius* etc. Desinit fol. 207. r. addito: *Vale, frater, in Domino Iesu, sine quo omnia nihil valent. Explicit epistola Bonaventure religiosis utilissima et clericis.*

56. *Satisburgi*, bibliotheca Monasterii S. B., cod. b. II. 39. chart. in 8. saec. XV. — Huic opusculo folio non numerato praemittitur tantum post alia: *Sequuntur 25 memoralia sancti Bonaventure, que quasi regula sunt omnium pie et spirituoliter in Xto vivere volentium. Primum memoriale. Ante omnia oportet, ut te* etc. Desinit: *finis et complementum omnium desideriorum nostrorum. Finis.*

57. *Ibidem*, cod. b. II. 26. chart. in fol. saec. XV. — Folio 69. v.: *Incipit epistola fratris Bonaventure de Balregio* (sic) *et multum bona. In Xto suo fratri dilectissimo E. B. confrater eius* etc. Desinit fol. 72. v. ut in editis cum additione: *Explicit epistola fratris Bonaventure utilis et valde bona. Anno Domini 1417.*

58. *Sancti Audomari* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 242. membr. in 4. saec. XV. — Folio non numerato post alia legitur: *Sequuntur XXV memorialia sancti Bonaventure, que quasi regula sunt omnium pie et spiritualiter in Xto vivere volentium. Primum memoriale. Ante omnia oportet* etc. Desinit verbis: *finis et complementum omnium desideriorum nostrorum. Amen.*

59. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, cod. 142. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit pag. 291 hoc titulo: *Epistola seraphici et illustrissimi doctoris ac cardinalis Bonaventure de compendioso modo proficiendi, missa cuidam religioso. In Xto suo dilecto N. B. frater eius* etc. Desinit pag. 298 verbis: *tuis orationibus commendo. Cui est honor et gloria et imperium per indefessa et immortalia et infinita secula seculorum. Amen.*

60. *Stronconii*, bibliotheca Conventus Fratrum Minorum, cod. chart. saec. XV. iam notatus supra pag. XXII n. 235. — Opusculo praemittitur haec rubrica: *Qualiter verus religiosus debeat ducere vitam suam coram Deo et hominibus. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Sunt aliqua necessaria inter virtutes* etc. Desinit ut in editis.

61. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1359. membr. in 4. saec. XV. — Titulus habetur fol. 34. r. his verbis: *Incipit epistola fratris Bonaventure de Balneo regio et multum bona. In Xto suo fratri dilectissimo T. B. confrater eius* etc. Desinit fol. 43. v.: *quod ipse tibi concedat, qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit epistola Bonaventure utilis et valde bona. Anno Domini 1417.*

De pio scriptore huius codicis manus fere coaeva haec reliquit: *Hunc vero libellum scripsit manu propria venerabilis pater dominus Henricus tertius, prepositus huius Monasterii sancte Dorothee virginis et martiris, anno Domini MCCCCXVII. Iste bonus pater fuit magister artium et baccalarius in theologia ac collegiatus... Orate, carissimi, pro eo Dominum benedictum et gloriosum. Idem etiam venerabilis pater post epistolam fratris Bonaventure scripsit etiam propria manu aliqua notabilia pro temptatis.*

62. *Ibidem*, cod. 3655. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum hoc est folio 60. r. sub titulo: *Incipit utilissima quedam epistola* etc., ut supra n. 13. *In Xto suo dilecto E. B. de Balneoregio confrater eius in Domino.* Desinit cum editione fol. 75.

63. *Ibidem*, cod. 4742. chart. in 4. saec. XV. — Initium huius opusculi est folio 193. v. verbis: *Tractatus Bonaventure de consideratione editus* etc. *In Xto suo fratri dilectissimo T. B. confrater* etc. Desinit fol. 199. v. verbis n. 25. nostrae editionis: *continue ac fervide caritatis, decoratos omnium virtutum...* Reliqua desunt.

64. *Ibidem*, cod. 1713. miscell. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 123. r. sub titulo: *Tractatus doctoris seraphici sancti Bonaventure de humilitate. In Xto suo fratri dilectissimo Bonaventura confrater* etc. Desinit n. 6. verbis: *refectionis eterne, ubi sunt magna et inscrutabilia, quorum non est numerus.*

65. *Ibidem*, cod. 3859. chart. in 8. saec. XV. — Folio 37. r. incipit hoc opusculum sine titulo, et omisso prologo: *Oportet autem, te cupientem sequi vestigia* etc. Desinit folio 43. r. verbis: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

66. *Ibidem*, in eodem cod. est aliud exemplar huius opusculi fol. 133. v. hac rubrica indicatum: *Incipit tractatus bonus et utilis fratris Bonaventure de Balneo regio* etc. Desinit fol. 143.: *qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit epistola fratris Bonaventure de Balneo* (sic) *multum utilis. 1470. in die sancti Mauritii.*

67. *Ibidem*, cod. 4348. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Folio 126. r. opusculo praemittitur: *Epistola sancti Bonaventure, que est regula in Xto vivere volentium.* Incipit, praetermissis quibusdam, n. 3. et verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis.* Desinit folio 132. r. cum editione.

68. *Ibidem*, cod. 1288. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit folio 145. r. cum indicatione: *Epistola utilissima quedam eximii doctoris Bonaventure, que est quasi quedam regula et institutio pie et spiritualiter in Xto viventium. In Xto suo dilecto Bonaventura del Balneo regio* etc. Desinit ut in editis fol. 154. v.

69. *Ibidem*, cod. 3808. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 53. r. sine ullo titulo: *In xto fratri suo dilectissimo C. Bonaventura confrater* etc. Desinit 59. r. verbis: *humiliter quoad Deum. Et sic est finis illius tractatus. Anno 36.* (1436.) *in die sancti Mathie apostoli. Orate pro me peccatore.*

70. *Ibidem*, bibliotheca Monasterii Scotorum, cod. 54. b. I. chart. in 8. saec. XV. — Folio r. non numerato: *Incipit epistola*

fratris Bonaventure de Balneo regia (sic) *et multum bona. In Xto suo fratri dilectissimo C. Bonaventura confrater eius* etc. Desinit: *Qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit epistola fratris Banaventure utilis et valde bona. Anno 1452.*

71. *Ibidem*, cod. 50. h. 2. chart. in 4. saec. XV. — Initium est folio non numerato r. ut in codice praecedenti; desinit fol. non numerato v.: *quod ipse tibi concedat, qui est unus et trinus benedictus in secula. Amen.*

72. *Voravii*, bibliotheca Canoniae, cod. LII. membr. in fol. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato: *Incipit epistola fratris Bonaventure de Balneo regio et multum bona. In Xto suo fratri dilectissimo Thome Bonaventura* etc. Desinit fol. v.: *qui est unus et trinus in secula benedictus. Amen. Explicit epistola Bonaventure utilis et bona. Sequuntur aliqua notabilia pro temptatis.* Eadem manus inde notavit: *Finitus est hic liber 1448 Anno.*

73. *Ibidem*, cod. CLVI., qui nunc abest a bibliotheca, complectebatur hoc opusculum cum hac inscriptione: *Epistola domini Bonaventure, que dicitur therma aurea* (sic) *ad iuniores suos.*

74. *Wolfenbutae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 1394. miscell. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit circa medietatem voluminis fol. r. non numerato hac rubrica: *Incipit epistola Bone venture. Oportet ante omnia, te cupientem* etc. Desinit verbis: *quod ipse tibi concedat, qui est unus et eternus in secula benedictus. Amen.*

§ 12. **Opusculum XXII. Epistola de imitatione Christi.**

Bonelli (Supplem. III. col. 1132) primus edidit hoc opusculum, quod incipit: « Frater, beatus Augustinus » etc. In praefixa *Admonitione* dicit: « Inter Bonaventuriana anecdota collecta a cl. P. Waddingo exstat Romae in tabulario Conventus S. Isidori cod. membr. in 8, armar. 5. num. 186... In hac autem Epistola, utpote familiari ac verosimiliter ad simplicem Fratrem directa, nusquam, quod ego sciam, edita plus lector rem ipsam appendat, non verba; fructum legat, non folia; florem carpat, non volantes desideret pappos ». — In Prodrom. (col. 743) ipse de eadem Epistola dicit: « Stilum quidem humilem praefert, sed magnam pietatem atque unctionem, ita ut nihil obesse videatur, quominus credi queat ad humilem Fratrem Ordinis Minorum sui spiritualis profectus cupidum a beato Bonaventura scripta ». — A Bernardino de Bustis (Rosar. p. II. sermo 27. fol. 244. col. IV.) dicitur: S. Bonaventura in libro de Imitatione Christi ait: « In omnibus virtutibus et bonis moribus tibi propone semper clarissimum speculum et totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vitam et mores Filii Dei, Domini nostri Iesu Christi ». Haec verba non inveniuntur in celebri Imitatione Christi Thomae a Kempis attributa neque etiam in hac Epistola, sed verbotenus in libro de *Institutione novitiorum* (c. 32.), qui est pars prima scripti Fratris David *De interiori et exteriori Homine* etc. Non est impossibile, quod ille Bernardinus habuerit copiam huius Epistolae, cui illa verba inserta erant, cum etiam inter nostros huius opellae codices non desit notabilis discrepantia.

Cum ad auctoritatem Waddingi et Bonelli accedat etiam testimonium plurium codicum et substantia doctrinae propositae bene conveniat cum Bonaventuriana, ausi non sumus hanc Epistolam expungere ex catalogo Operum seraphici Doctoris. Hypothesis enim a Bonelli proposita, quod auctor stilum suum adaptaverit simplicitati cuiusdam Fratris, nullatenus apparet improbabilis. Nolumus tamen negare, fieri potuisse, quod forma huius Epistolae, cuius substantia fortasse ex aliquo sermone S. Bonaventurae ab alio auctore deprompta sit, ab aliena manu postea non parum fuerit mutata et transformata.

Elenchus codicum.

Codices a nobis cum textu editionis Vaticanae collati.

1. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. F. 35. chart. saec. XV. ineuntis. — Folio non numerato: *Incipit tractatus pulcherrimus domini Bonaventure ordinis Minorum de Balneoregio. Frater, loquitur beatus Augustinus* etc. Prosequitur usque ad n. 5. et ad verba: *Et tenor questionis talis erat.* Cetera desunt. — Signatur a nobis littera B.

2. *Ibidem*, cod. XIV. C. 35. chart. saec. XV. exeuntis. — Huic Epistolae praemittitur sequens rubrica: *Incipit tractatus pulcherrimus sancti Bonaventure.* Desinit fol. non numerato: *secundum ista que scripsi tibi. Amen.* Sign. C.

3. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327. chart. saec. XV. — Incipit opusculum fol. 179. r. post alias epistolas S. Doctoris sic: *Epistola alia eiusdem ad quemdam iuvenem. Beatus Augustinus loquebatur sic ad Dominum* etc. Desinit fol. 182. r. verbis: *secundum ista que tibi scripsi. Vale in Domino et ora Deum pro me.* Sign. A.

4. *Romae*, bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 68. miscell. saec. XV. — Incipit fol. 239. v. cum hac rubrica: *Epistola beati Bonaventure de imitatione Xti Iesu. Frater, loquitur beatus Augustinus* etc. Desinit: *Vale in Domino et ora pro me.* Sign. D.

§ 13. **Opusculum XXIII. Legenda sancti Francisci.**

Prologus huius *Legendae* incipit: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*, et non obscure insinuat, quis fuerit auctor eiusdem. Verba enim ibi (n. 3.) posita: « Nisi me Fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli [Narbonensis an. 1260] concors induxisset instantia, et ea quam ad sanctum Patrem habere teneor devotio compulisset, utpote qui per ipsius invocationem et merita in puerili aetate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus erutus » etc.; haec, inquam, verba ad neminem nisi ad Bonaventuram spectare possunt. Hoc confirmatur eo quod in c. 3. n. 4. dicitur de B. Aegidio et ipso auctore, et c. 13. n. 8. de praedicatione Papae Alexandri IV. « coram multis Fratribus et me ipso ». Insuper tot sunt testimonia coaetaneorum et posteriorum, ut nemo unquam hanc Legendam seraphico Doctori abiudicaverit. Ipse Oudinus dicit (loc. cit. col. 392), Legendam hanc referendam inter opuscula, « quae divum Bonaventuram auctorem indubium habent ». Sufficiat igitur paucos tantum afferre testes, quorum primus est synchronus Fr. Salimbene, qui in suis Chronicis (ed. Parm. pag. 60), postquam laudavit *Memoriale beati Francisci* scriptum a Thoma a Celano, addit: « Sed processu temporis a Fratre Bonaventura, generali Ministro, ex his omnibus compilatus est unus optime ordinatus. Et adhuc multa reperiuntur, quae scripta non sunt ». — Secundus est Fr. Ubertinus a Casali, qui in suo libro *Arbor vitae crucifixae* (an. 1304) pluries hanc Legendam attribuit Bonaventurae et libr. V. c. 5.

etiam monet, plura ab auctore ibi fuisse « de industria omissa, qui nolebat Fratres ante tempus extraneis infamare » (cfr. etiam ibid. c. 4.). — Tertius est auctor Chronicorum XXIV Generalium (vide Analecta Francisc. tom. III. pag. 328), qui de hac et alia minore Legenda dicit: « Anno Domini 1261 idem Generalis vitam beati Francisci stilo mirabili compilavit ipsamque diffusam ad compendiosiorem formam reducens, taxatis pro die qualibet IX lectionibus per Octavas eiusdem, Legendam ordinavit, in qua nihil posuit nisi certum et probatum testibus fide dignis ». Hoc fere repetit S. Antoninus (vide Bonelli, Prodrom. col. 232). Denique saepe de hac Legenda, tum maiore tum minore, loquitur Bartholomaeus Pisanus (cfr. Prodrom. col. 224 seqq.). Subsequentes etiam indiculi in Prolegom. ad V. tom. plerumque utramque Legendam Bonaventurae attribuunt.

Mirum certe est, editores Venetos, Legendam quidem ipsam *legitimam* esse proclamantes, de *Prologo* hoc scripsisse (Diatribae pag. 7): « Erit fortasse, qui subdubitabit, num Prologi auctor unus habendus sit Bonaventura; quo quidem scrupulo diluendo supersedimus (sic) iam, cum de illo nobis futurus sit sermo ». Recte monet Bonelli (Prodrom. col. 592 seqq.), nullibi istos promissis stetisse scrupulumque hunc diluisse. Nihilominus Bonelli superfluum sibi assumsit laborem tum indagandi aliquas rationes, quibus isti fortasse moti, haec scripserint, tum deinde easdem refutandi. Ne tempus perdamus in futilibus et fide codicum reprobatis suspicionibus refutandis, lectorem curiosum remittimus ad illum Prodromum loc. cit.

Typis impressa est haec Legenda separatim in plurimis editionibus antiquis et recentioribus. Antiquior, quam vidimus, est: « Aurea Legenda maior beati Francisci composita per sanctum Bonaventuram miro inter omnes Sanctorum vitas dictata ». In fine: « Divi Francisci vita sollerti cura ab eius alumno F. scilicet Fr. Sti. Minorum minimo castigata, opera et impensis Philippi Iuntae, bibliopolae Florentini formis propagata Florentiae: Petro Soderino, inclito reipubl. perpetuo vexillifero, feliciter in vulgus prodit, anno scilicet a Christi ortu MDIX, quinto decimo Cal. Maias (haec editio deest in Repertor. Hain). Hac usi sumus in emendando textu, signata ed. 1. — Alia cum eodem titulo *Aurea Legenda* etc., prodiit Papiae per Magistrum Iacob. de Burgofranco 1556. — Aliae editiones factae sunt Parisiis 1507; Papiae 1554; una cum commentario Henrici Sedulii prodiit Antverpiae, Plant. in 4. 1597; multae aliae alibi. Sed prae aliis eminet recentior editio notis illustrata in Bollandianis *Actis Sanctorum*, Octob. tom. II. pag. 742 seqq., cui praefigitur haec nota: « Ex editione Sedulii collata cum editione Suriana, Romana, Waddingiana et codice nostro Ms. ». Etiam hanc editionem passim consulentes, observavimus, lectiones illius codicis ad marginem notatas frequenter confirmari a codicibus nostris, unde a nobis receptae sunt in textum.

In alia idiomata non raro translata est haec Legenda. De versionibus antiquis, quae habentur in codicibus msc. vide post elenchum codicum. Italicas versiones typis expressas et antiquas duas refert et describit Hain, Repertor. n. 3574; prima impressa est 1477, 6 Febr. « per Magistro Antonio Zaroto da Parma in Milano », altera (n. 3575.) an. 1480, 17 Ian. « in casa de Messere Philippo da Lavagnia, Cittadino de Milano ». — Simul cum libello *Fioretti di S. Francesco* versiones pluries prodierunt, ut refert Hain n. 7328. et 7329. — Tres alias versiones Italicas refert Bonelli col. 337 seq., quae prodierunt Venetiis apud « Gregorio de Gregoriis in 4. a di 13. Apr. 1522 »; alia in 4. « presso gli Heredi di Simon Galignani 1598 », item in 8. « presso Domenico Farri 1603 ». Alias multas simul cum libello Fioretti idem refert col. 328. — Versio Germanica antiqua impressa est Norimbergae in 4. per Hieron. Hoelzer 1512, cum 57 praeclaris imaginibus ligno incisis, quae attribuuntur celebri Dürer; alia, translata a P. Haniol Moguntino, Provinciae Coloniensis Definitore, prodiit Coloniae 1646 apud Ioan. Grythium. In linguam Flandricam Legendam transtulit Cornelius Thielmanus Lovaniae 1598.

De laudibus huius Legendae testimonia multa proferri possent. Ipse celeber inter Humanistas Leonardus Aretinus, ut refert Robertus de Licio (vide Bonelli, Prodrom. col. 242), asseruit, « quod in illo dicendi genere nullus esset, qui Bonaventuram superare posset ». — Ut autem rectum de hac S. Francisci vita iudicium feratur, illam non debemus metiri secundum regulam eam, quam recens scientia historica in iudicandis hominum vitis vulgo adhibere solet. Haec enim vim ponit praecipue in accurata rerum exteriorum gestarum, temporum aliarumque circumstantiarum indagatione et enarratione. Pro more illius aetatis S. Bonaventura alium sibi proposuit *principalem finem*, potius practicum quam scientificum, ac proinde etiam alium modum tractandi aliaque media ad hunc finem assequendum censuit eligenda. Salva rerum gestarum veritate, quam, ut ipse dicit, sollicite indagavit, eo fine elegit res et descripsit, ut profectus legentium spiritualis promoveatur, devotio erga Sanctum ac veneratio excitetur ac summi Regis caelestis gloria augeatur. Quapropter in hac vita scribenda magis intendit adumbrare sanctissimi viri vitam internam, *in Christo absconditam* (Col. 3, 3.) vereque supernaturalem, quam exterioris vitae decursum secundum tempora, loca aliaque singulatim referre. Hanc spiritualem seraphici viri Francisci vitam nemo certe melius seraphico Doctore et iudicare et enarrare unquam potuit. Profecto sola scientia profana ingeniumque naturale, secluso lumine fidei, minime sufficit huius vitae altitudinem intellectu percipere, competenter diiudicare et apte aliis proponere. Et quid dicam de illis qui totam hanc mysticam vitam et superhumanam reputant esse phantasticum somnium vel deliramentum ipsaque in sacra Scriptura tradita miracula Christi et Apostolorum repudiant tanquam fabulas? Ii secundum proprias ideas distortas non possunt depingere nisi distortas Sanctorum imagines.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Communalis, codex olim Conventus sanctae Mariae Angelorum, signatus B. IX. 6, membr. in fol. saeculi XIII. exeuntis. — Manus recentior praemittit fol. 1. r.: *Legenda de vita sancti Francisci composita a divo Bonaventura;* antiqua notaverat: *Incipit prologus in vitam beati Francisci,* omisso nomine auctoris. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* etc. Capitulum XV. dividitur in novem lectiones, quibus praemittitur haec rubrica: *In festo translationis beati Francisci lectio prima de canonizatione et translatione*

ipsius. Deinde: *Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis et primo de virtutibus sacrorum stigmatum.* Desinit: *Ad laudem unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.* — Signatur a nobis littera B.

2. *Ibidem*, cod. 23. membr. in fol. parvo saec. XIV. ineunt. — Legenda incipit fol. 84. r., cui manus posterioris aevi praemisit verba: *Vita beati patris Francisci.* Desinit cum capitulo XV: *cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Narratio miraculorum desideratur. Sign. C.

3. *Ibidem*, cod. 24. chart. in fol. saec. XV. ineuntis, de quo locuti sumus supra pag. XLI n. 3. — Fol. 13. v.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit: *Expliciunt mirocula post transitum beati Francisci ostensa.* Immediate sequitur epistola Fratris Hieronymi, Ministri generalis, sub die III. Nonas Maii 1276 directa: *In Xto sibi carissimis ministro, custodi et guardiano sancti Francisci*, quam vide infra pag. 560, nota 4. Sign. D.

4. *Ibidem*, cod. 98. chart. in 8. saec. XIV. — Fol. 1. r. habetur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Alia, sed antiqua manus huic titulo praemisit verba: *Hec est legenda maior beati Francisci.* Desinit ut in editis fol. 101. v. cum hac additione: *Expliciunt miracula sancti Francisci, Deo gratias. Finito libro, sit laus et gloria Xto. Anno Domini MCCCLXXV. finitus est liber iste per manus Henrici Helbelnick quinta feria post circumcisionem Domini, hora tertia.* Sign. E.

5. *Ibidem*, cod. 110. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Titulus huius operis est fol. 1. his verbis: *Incipit prologus in legenda beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit: *Ad laudem unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Qui scripsit scribat, semper cum Domino vivat.* Sign. F.

6. *Ibidem*, cod. 46. membr. in folio saec. XIII. ante finem. — Huic operi praemittitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit cum additione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa. Deo gratias.* Sign. G.

7. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. C. IX. 2878. chart. in 8. saec. XIV. — Legenda occurrit fol. 13. r. cum hoc titulo: *Incipit prologus in vita beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 53. v. ut in editis cum additione: *Expliciunt quedam miracula post mortem beati Francisci ostensa. Deo gratias.* Sign. I.

8. *Ibidem*, cod. C. IX. 1188. membr. in 16. saec. XIV. circa medietatem. — Legendae praemittitur tabula capitulorum, deinde fol. 13. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci*, quae desinit cap. XV. fol. 95. r., addito: *Explicit vita beati Francisci.* Hinc fol. 102. r. sequitur Legenda minor cum indice distinctionum et lectionum et tandem fol. 126. v.: *Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis, et primo de virtutibus sacrorum stigmatum.* Desinit fol. 158. r. ut in editis. Additur: *Expliciunt quedam de miraculis beati Francisci post mortem ostensis.* Manus posterior haec notavit: *Iste presens liber concessus est ad usum mei, fratris Angeli Vagus Roghetus in ordine Minorum de Mathelica, provincie Marchie et custodie Exine. Et pertinet ad usum novitiorum conventus. Qui me furatur vel reddat, vel moriatur. Amen.* Sign. M.

9. *Montis Alvernae*, bibliotheca Conventus, cod. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 283. v. legitur: *Incipit legenda beati Francisci, fundatoris ordinis Minorum;* deinde fol. seq. r.: *Apparuit gratia Dei salvatoris* etc. Desinit fol. 296. v.: *Magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Sign. K.

10. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7570. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. v. legitur sequens praemonitio: *Hec maior vita sive legenda beati Francisci pro edificatione fratrum, in loco quolibet habeatur et potest legi ad mensam per totam octavam natalis beati Francisci. Minor autem legenda, que de hac excerpta est, poni debet in libris choralibus et legi secundum suas distinctiones in festivitatibus beati Francisci et per octavam natalis eius et in breviariis portatilibus potest poni. Scriptores ergo compellantur tenere punctiones et litteram exemplaris et eorum errores iuxta ipsum exemplar per fratrum diligentiam corrigantur. Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Ultimum capitulum dividitur in novem lectiones, quod indicatur his verbis: *Marginalis rubrica, que huic capitulo apponitur semper, sicut hic vides, tenebit in margine, nec simul cum alia, que textus continuativa est, aliquatenus debet poni.* Haec rubrica est circulo inclusa et sic se habet: *In festo translationis bti Francisci lcio pma.* Desinit fol. 114. v.: *Explicit vita beati Francisci. Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis et primo de virtutibus sacrorum stigmatum.* Haec series miraculorum desinit in codice fol. 131. v. § IV. n. 1, ut indicatur ibidem pag. 555, nota 10. Sign. A.

11. *Ibidem*, cod. 121. membr. in fol. saec. XV, de quo et supra egimus pag. XLVII n. 139. — Fol. 290. r. legitur: *Vita sancti Francisci maior ordinis Fratrum Minorum feliciter incipit. Apparuit* etc. Desinit fol. 318. v. ut in editis. Sign. L.

12. *Ibidem*, bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 40. membr. in 4. saeculi XIV. — Fol. 1. r. Legendae praemittitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 68.: *Ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula. Amen. Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa. Deo gratias. Amen.* Sign. H.

Textus huius Legendae in Vaticana editione minus quam in aliis S. Doctoris opusculis corruptus est. Nihilominus fide bonorum codicum supra recensitorum in qualibet columna plura menda, interdum satis gravia emendare potuimus. Singulare inter codices pretium habet cod. Vaticanus A (n. 10.), ut iam ex monitione, quam Legendae praemittit, videri potest. Cum eo saepius conveniunt B G et non raro etiam I M. Attamen I et etiam B saepe ab aliis discedunt praebendo lectiones omnino improbabiles et quandoque manifeste vitiosas. Notandum autem, quod A, licet optimus, nihilominus interdum deficit, ut secundum alios corrigi debuerit. Raro textum Vaticanae editionis mutavimus, nisi fere omnes codices invenerimus consentientes et contra illam editionem testantes. Praeterea notandum, solos codd. I et K praebere quoddam miraculum ab aliis omissum.

Ed. 1 (Florentina, an. 1509) plerumque cum Vaticana convenit.

II. Codices a nobis non collati.

13. *Assisii* in Umbria, bibliotheca olim Conventus sancti Francisci, nunc Communalis, cod. . . . membr. in 4. saec. XIII.

exeunt. — Legenda incipit sine nomine auctoris: *Apparuit gratia Dei* etc. Desinit ut in editis. Pluribus in locis ob humiditatem verba pene deleta sunt.

14. *Augustae Taurinorum*, bibliotheca Universitatis, cod. I. VI. 33. membr. in 4. saec. XIV. — Legenda incipit fol. 1. r. verbis: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 88. r. cum additione: *Expliciunt miracula post mortem beati Francisci ostensa, numero LX. et III.*

15. *Ibidem*, cod. I. IV. 23. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — Fol. 200. v.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 237. ut in editis. Deinde fol. 291. alia manus, sed eiusdem saeculi, scripsit: *Miraculum de beato Francisco. Quidam pro furti calumpnia cecatus fuit rigore secularis iustitie* etc. Est miraculum de restitutione oculorum, quod inserimus infra pag. 560, nota 4.

16. *Augustae Trevirorum*, bibliotheca Publica, cod. 558. chart. in fol. saec. XV. exeunt. — Fol. 2. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris.* Desinit fol. non numerato cum additione: *Expliciunt miracula post mortem beati Francisci ostensa.*

17. *Bambergae*, bibliotheca Civitatis, cod. E. III. 8. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 94. r. ut in editis.

18. *Ibidem*, cod. E. VII. 75. membr. in 4. saec. XIV. post medietatem. — Pag. 2.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit pag. 113: *Ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

19. *Basileae*, bibliotheca Publica, cod. B. VII. 32. membr. in 8. saec. XIII. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. v. non numerato ut in editione.

20. *Bernae*, bibliotheca Civitatis, cod. 463. miscell. in 4. saec. XV. ineunt. — Fol. 1. r. est rubrica: *Incipit prologus in vita beati Francisci.* Desinit: *magnificentia virtutis altissimi, cui est honor et gloria in secula. Amen. Explicit vita beatissimi Francisci.* Omnia folia chartacea usque ad medietatem sunt lacera et illegibilia.

21. *Bituricis*, bibliotheca Civitatis, cod. 92. membr. in 8. saec. XV. — Post alia opera fol. non numerato: *Incipit prologus in vitam sancti Francisci. Apparuit* etc. Desinit cum additione: *Expliciunt quedam miracula post transitum beati Francisci.*

22. *Bonnae*, bibliotheca Universitatis, cod. 364. chart. in fol. saec. XV. — Folio. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris.* Desinit fol. 63. r. verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

23. *Brunopoli*, bibliotheca Civitatis, cod. 144. miscell. in 8. saec. XIV. exeuntis et ineuntis XV., duabus manibus exaratus. — Folio 1. r. est rubrica: *Legenda sancti Francisci per sermones distincta. Venite ad me omnes... reficiam vos. Matt. 11. Unde Bernardus: Mundus dicit: Ego deficiam* etc. Sequuntur quindecim sermones respondentes quindecim capitulis Legendae sancti Francisci; sequitur: *De indulgentia sancte Marie in Portiuncula; Ego sicut oliva fructifera* etc., et alii quatuor. Desinit opus fol. 64. r. verbis: *elongatio Dei, amissio regni, appropinquatio diaboli. Hec ille. Rogemus Dominum. Explicit legenda sancti Francisci cum quibusdam thematibus de eiusdem festo sumptis. In principio de eius conversatione in habitu saeculari etc., pro quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum. Amen.*

24. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 1638-49. chart. in 4. saec. XV. — Fol. non numerato r. legitur: *Incipit prologus domini Bonaventure in vita beatissimi Francisci confessoris. Apparuit* etc. Desinit sub additione: *Finiunt miracula quedam post mortem beati Francisci acta et a sancto Bonaventura seraphico doctore ipsius vite connexa nec non scripta per fratrem Anthonium de Bergis suprazomam cantorem nostrum, anno Domini M CCCC XCIII. in profesto sancti Georgii martyris.*

25. *Ibidem*, cod. 2529-32. membr. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato: *Incipit prologus Bonaventure in vita beati Francisci confessoris. Apparuit* etc. Desinit fol. ultimo codicis ut in editis.

26. *Ibidem*, cod. 1970-78. miscell. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati patris Francisci.* Desinit fol. 64. r. cum conclusione: *Expliciunt miracula post beati Francisci transitum ostensa.*

27. *Ibidem*, cod. 20073-74. chart. saec. XVI. — Folio r. non numerato: *Incipit prologus vite beati patris nostri Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. r. in fine, addito tantum: *Expliciunt miracula.*

28. *Cantabrigae*, bibliotheca Universitatis, cod. Mm. IV. 6. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. — Folio 1. r. legitur: *Incipit vita sancti Francisci. Quo ordine fuit conversus. Fuit in vallis spoletanae finibus* etc. Saepe saepius est immutata, habet enim 13 capitula tantum ac destituitur serie miraculorum. Desinit fol. 15. v.: *operante hec omnia virtutis Altissimi magnificentia, cui soli est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

29. *Carlsruhae*, bibliotheca Archiducalis, cod. Durlecensis 37. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 2. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. v. non numerato ut in editis.

30. *Casellis*, bibliotheca territorialis, cod. theol. 67. chart. fol. saec. XV. exeunt. — Legenda incipit fol. r. non numerato, sine ullo titulo: *Apparuit gratia Dei Salvatoris* etc. Desinit incompleta cap. 6: *De humilitate et obedientia* etc., circa finem capituli.

31. *Confluentiae*, bibliotheca Gymnasii, cod. 13. membr. in 4. saec. XV. — Legenda incipit fol. 1. r. verbis: *Prologus sancti Bonaventure in vitam beati patris Francisci primi fundatoris ordinis Minorum. Apparuit* etc. Desinit fol. 57. parum ante finem ad verba scilicet: *Gloriare igitur iam secure in crucis gloria, Xti signifer gloriose, quoniam a cruce incipiens secundum crucis gloriam...* Cetera sunt avulsa.

32. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XIX. Dext. cod. 6. membr. in fol. saec. XIV. — Incipit fol. 93. r., cui manus posterior praemisit: *Legenda beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit incompleta ad verba: *et Deum pariter collaudaverunt, quod per sanctos suos talia dignatur ostendere miracula gratiosa.* Vide in editione pag. 553 n. 2.

33. *Ibidem*, Plut. XX. Dext. cod. 5. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 403. r.: *Incipit prologus in legenda beati Francisci confessoris. Apparuit.* Desinit fol. 477. sub conclusione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

34. *Ibidem*, Plut. XXXI. Sin. cod. 5. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 2. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 52. v. ut in editis.

35. *Ibidem*, Plut. LXVI. cod. XXVI. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. ultimo codicis ad verba: *Mulier quedam de partibus Aretinis cum per septem dies partus discrimina sustineret et iam in nigredinem versa...* Inde folia deficiunt.

36. *Ibidem*, Plut. XIX. Dext. cod. 10. membr. in 8. saec. XV. ineuntis. — Legenda est fol. 477. v. his verbis indicata: *Incipit prologus in vita beati Francisci.* Desinit fol. 548. r. sub conclusione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

37. *Ibidem*, cod. 4. strozz. membr. in fol. saec. XV. — Legenda incipit fol. 106. v., omisso prologo, cum sequenti rubrica: *Quarto nonas Octobris de sancto Francisco confessore patre Minorum. Vir erat in civitate Assisii* etc. Desinit fol. 132. r. ut in editis.

38. *Ibidem*, cod. CLVII. Gadd. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 48. v. verbis: *promissionem habens vite, que nunc est, et future. Amen.*

39. *Francofurti ad Moenum*, bibliotheca Civitatis, cod. 71. miscell. saec. XIV. — A fol. 225. r. ad 227. r. complectitur narrationem sancti Bonaventurae: *De stigmatibus sancti Francisci;* quae incipit: *Biennio itaque antequam* etc.

40. *Gottingae*, bibliotheca Universitatis, cod. theol. 112. in 4. saec. XV. — In initio codicis deest saltem unum folium; habetur enim fol. 2: *Explicit prologus*, deinde parum infra: *Incipit vita beati Francisci confessoris. Vir erat* etc. Sequitur ut in editis. Hinc: *Explicit vita beati Francisci confessoris a beato Bonaventura conscripta.* Hic iterum deest aliquod folium, nam series miraculorum caret initio; ad Legendae finem additur sequens nota: *Multa quidem et alia signa fecit Iesus per sanctum suum Franciscum, que non sunt scripta in libro hoc. Cetera autem sermonum et universa, que fecit, et fortitudo eius, qua preliatus est contra tres reges fortissimos, scilicet diabolum, mundum et carnem, et quomodo extruxit tria fortilitia in ecclesia militante, id est tres Ordines contra tres reges predictos, scripta sunt hec in libris Conformitatum et in Legenda sociorum Francisci, ubi plura leguntur, que hic non habentur. Expliciunt miracula de sancto Francisco post mortem eius mirabiliter ostensa.*

41. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 323. (292.) chart. in fol. saec. XV. post medium. — Fol. 40. v. legitur: *Incipit legenda in vitam sancti Francisci confessoris composita a domino Bonaventura cardinali. Sequitur prologus: Apparuit gracia Dei* etc. Desinit fol. 85. v. cum additione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci mirabiliter ostensa.*

42. *Herbipoli*, bibliotheca Universitatis, M. ch. 210. in fol. saec. XV. — Fol. 100. r. legitur: *Legenda sancti Francisci confessoris.* In fine Legendae additur: *De miraculis post transitum felicem ostensis aliquibus.* Desinit fol. 169. v. ut in editis.

43. *Hildesiae*, bibliotheca Gymnasii episcopalis, cod. membr. in fol. saec. XV, signo vacat. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus sancti Bonaventure in vitam beatissimi patris nostri Francisci.* Desinit fol. 28. r. ut in editione.

44. *Hispali*, bibliotheca Columbina, cod. Y. Tab. 127. num. 25. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 6. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 101. ut in editis.

45. *Interamnae* in Umbria, bibliotheca Communalis, cod. membr. in 4. saec. XIV. sign. CC. VIII. 301. — Legenda incipit fol. non numerato: *Apparuit gratia Dei Salvatoris* etc. Desinit ut in editis.

46. *Leodii*, bibliotheca Universitatis, cod. 129. membr. in fol. saec. XIV, ut ostendit sequens inscriptio fol. 1. r. inserta: *Hunc librum fecit fieri dominus Robertus de Cremvic pie memorie, Dei gratia Abbas huius monasterii sancti Trudonis, qui perfectus et ligatus fuit anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo sexto.* Legenda est fol. 265. v. cum titulo: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit ut editi fol. 304. r.

47. *Leopoli*, bibliotheca Universitatis, cod. I. G. 17. progress. 131. membr. in 4. saec. XV. — Post Chronica XXIV Ministrorum generalium, fol. r. non numerato: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris. Apparuit* etc. Desinit: *Ad laudem unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

48. *Lignitii* (Liegnitz) in Silesia, bibliotheca Ecclesiae sanctorum Petri et Pauli, cod. 11. chart. in fol. saec. XV. exeuntis. — Fol. 104. r.: *Incipit prologus egregii doctoris Bonaventure in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit ut in editis: *Qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

49. *Lipsiae*, bibliotheca Universitatis Paulinae, cod. 833. chart. in fol. saec. XV. — Legenda incipit fol. 145. r. cum hac rubrica: *De sancto Francisco prologus.* Desinit fol. 187. v. cum conclusione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

50. *Ibidem*, cod. 845. membr. in fol. saec. XV. — Fol. 4. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 103. r. his verbis: *Explicit legenda sanctissimi patris nostri Francisci. Finita et diligenter conscripta fuit hec in opido Saliizensi* (sic) *in conventu fratrum Minorum per fratrem eiusdem Ordinis, anno gratie M CCCC LXXX. octava die nativitatis virginis Marie.*

51. *Londini*, bibliotheca Harleiana, cod. 3229. membr. in 4. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 2. r.: *Incipit tabula alphabetica in legendam beati Francisci.* Tabula protrahitur usque ad folium 24. v., in sequenti r. est pulcherrima pictura, quae occupat totam partem folii, de qua fit mentio in catalogo bibliothecae his verbis: *Ornatur prologus illuminatione perquam eleganti.* Desinit legenda fol. 115. v. cum hac additione: *Expliciunt miracula quaedam post transitum beati Francisci ostensa. Expleta per me fratrem Alexandrum Bononiensem Ordinis sancti Augustini in Hospitali sancti Pauli de Florentia anno Domini MCCCCCIIII. III. nonas Augusti.*

52. *Mantuae*, bibliotheca Regia, cod. 78. A. III. 14. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Legendae deest nomen auctoris. Incipit: *Apparuit gratia Dei* etc. Desinit ut in editis.

53. *Mediolani*, bibliotheca Universitatis, cod. A. F. IX. 7. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vita beati Francisci.* Desinit fol. ultimo r. verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

54. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 17478. chart. in fol. saec. XV. (1451). — Fol. 192. r.: *Incipit prologus domini fratris Bonaventurae cardinalis et sacrae theologiae doctoris in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 228. v., addito tantum: *Explicit feliciter.*

55. *Ibidem*, cod. 18427. chart. in fol. saec. XV. (1465). — Fol. 3. r. a secunda manu exaratum legitur: *Auctor huius legende fuit dominus Bonaventura.* Prima manus praemisit Legendae: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris.* Desinit fol. 84. v.: *Ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

56. *Ibidem*, cod. 23412. membr. in 4. saec. XIV. ante medium. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 100. v. ut in editis.

57. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VIII. B. 28. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. ultimo, ad cuius calcem alia manus notavit: *Hec legenda fuit empta pro loco sancti Bernardini. 1467.*

58. *Ibidem*, cod. VII. G. 52. membr. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vita beatissimi patris nostri seraphici Francisci. Apparuit* etc. Desinit in cap. 12; cetera non fuerunt scripta, sed adhuc membranae albae relictae.

59. *Ibidem*, cod. VIII. B. 41. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r. legitur: *Iesu pie, nostri miserere. Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 95. v. per verba: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa. Deo gratias. Amen.*

60. *Ibidem*, cod. VIII. B. 30. membr. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit ut in editis cum conclusione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

61. *Oxonii*, cod. miscell. Canonic. 148. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 1. r. est sequens rubrica: *Incipit legenda et vita beati patris nostri Francisci et primo prologus. Apparuit* etc. Desinit cum editis fol. 66. r.

62. *Ibidem*, cod. 153. membr. in 4. saec. XV. (1451.) — Fol. 2. v. manus saeculi posterioris haec notavit: *Vita sancti Francisci a beato Bonaventura;* et infra: *Iste liber pertinet ad locum s. Blasii fratrum Minorum extra Vigurtiam* (Worcester), *eodem loco commorantium.* Fol. 3. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 65. r.: *Miracula post transitum beati Francisci ostensa feliciter expliciunt.*

63. *Papiae*, bibliotheca Universitatis, cod. CXXX. F. 12. membr. in fol. saec. XIV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. r. non numerato cum additione: *Expliciunt miracula.*

64. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 13780. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 136. r.: *Incipit prologus in vita beati Francisci. Apparuit* etc. Fol. 211.: *Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis, et primo de virtutibus sacrorum stigmatum. Ad honorem Dei* etc., sequitur ut in editis, sed unum vel alterum folium in fine praecisum fuit.

65. *Ibidem*, cod. 18317. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 2. r. legitur: *In nomine Domini. Amen. Incipit prologus seraphici Doctoris sancti Bonaventure in vitam sancti Francisci.* Desinit fol. 106. r. cum conclusione: *Explicit vita beati Francisci.* Deest in codice narratio miraculorum post transitum ostensorum.

66. *Ibidem*, cod. 14586. chart. in fol. saec. XV. — Legenda incipit fol. 188. his verbis: *Apparuit gratia Dei Salvatoris* etc. Desinit cap. 12. fol. 219. v. his verbis: *testimonium perhibebant. Explicit vita beati Francisci a domino Bonaventura composita.*

67. *Ravennae*, bibliotheca Classensis, cod. 138. 2. S. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 227. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 268. v. ut in editis.

68. *Regimontii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1159. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 1. v.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Alia manus posterioris saeculi addidit: *sive in legendam ab illuminatissimo seraphico Doctore Bonaventura compilatam. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 51. v. ut in editis.

69. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7339. membr. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vita beati patris Francisci edita a seraphico doctore sancto Bonaventura ordinis Minorum episcopo et cardinali sancte Romane ecclesie.* Desinit fol. 53. v. per verba: *Explicit vita beati patris nostri Francisci. De miraculis post transitum eius felicem ostensis, causa brevitatis omitto, quia est valde magnum capitulum.*

70. *Ibidem*, cod. 553. membr. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in legendam beati Francisci, confessoris egregii.* Desinit ut in editis cum additione: *Explicit legenda beati Francisci composita a fratre Bonaventura de Balneoregio.*

71. *Ibidem*, cod. 1219. membr. in 4. saec. XV. — Legendae praemittitur consueta rubrica: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit ut in editione.

72. *Ibidem*, bibliotheca Casanatensis, cod. B. III. 20. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Legendae praeponitur rubrica: *In Iesu Xti nomine. Amen. Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris.* Convenit proinde cum editione et in fine habet: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

73. *Ibidem*, bibliotheca principum Corsini, cod. 40. E. 24. membr. saec. XV. — Fol. 280. r. legitur a prima manu: *Conventus fratrum Minorum de Luca. Incipit prologus in vitam sancti Francisci.* Desinit fol. 385. v. verbis: *Explicit legenda beati Francisci. Deo gratias. Amen.*

74. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Blas. 10. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus Doctoris seraphici domini Bonaventure, sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis in vitam beati Francisci fundatoris ordinis Minorum.* Desinit circa finem voluminis cum additione: *Finis huius legende sancti confessoris Francisci.*

75. *Stamtii* (Stams) in Tyroli, bibliotheca Monasterii Patrum Cisterciensium, cod. 6. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Post alia opera fol. r. non numerato: *Incipit vita beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit ut in editis.

76. *Toleti*, bibliotheca Capituli, caj. 25. num. 38. cod. membr. in. 4. saec. XIV. — Fol. 4. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. ultimo r. cum additione: *Explicit legenda sancti Francisci. Deo gratias.*

77. *Tubingae*, bibliotheca Seminarii episcopalis, cod. sub clavi asservat. sine signatura, membr. saec. XV. ineuntis. — Inter alia fol. non numerato incipit Legenda sancti Francisci ut

in editis: *Apparuit gratia Dei* etc. Post Legendam sequuntur verba: *Dominus Bonaventura fecit legendam sancti Francisci.* Inde notatur, quis fecerit eiusdem Officium, hymnos, Legendam S. Antonii etc.

78. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Communalis, cod. 102. membr. in 8. saec. XIV. post medietatem. — Fol. v. non numerato: *Incipit Legenda beati Francisci.* Sequuntur rubricae Legendae et unaquaeque explicat tantum aliquos terminos in ea contentos: exempli causa sub rubrica: *De conversione beati Francisci: Petulantia, id est carnis lascivia; indita, id est innata.* Sub rubrica: *Incipiunt quedam de miraculis ipsius post mortem ostensis: Censui, id est iudicavi... Extaticum, id est excessivum ab extasi, quod est raptus, sive elevatio mentis in Deum.*

79. *Ibidem,* cod. 116. membr. saec. XIV. exeuntis. — Fol. r. non numerato cum titulo: *De legenda beati Francisci* exhibet idem, quod ex cod. praecedenti notavimus.

80. *Ultraiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 112. S. E. chart. in 4. saec. XV. — Fol. r. non numerato post aliud opus: *Incipit prologus legende beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit verbis cap. 15: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Deest narratio miraculorum.

81. *Ibidem,* cod. 70. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam sancti Francisci, primi fundatoris et patris fratrum ordinis Minorum.* Desinit fol. r. non numerato: *Expliciunt miracula per beatum Franciscum post mortem eius facta.*

82. *Ibidem,* cod. 246. chart. saec. XV. — Post alia fol. r. non numerato: *Incipit prologus in vitam sancti Francisci patris fratrum Minorum.* Desinit ut in editis.

83. *Ibidem,* cod. 213. chart. in 4. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. ultimo r. verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

84. *Ibidem,* cod. 292. membr. in 4. saec. XV. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam humilis Francisci beatissimi. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. r. non numerato ut editio.

85. *Ibidem,* cod. 181. S. E. membr. in fol. saec. XV. — Pag. 179: *Incipit prologus in vitam humilis sancti Francisci.* Desinit pag. 278: *Ad laudem unius Dei et trini, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

86. *Utini,* bibliotheca Archiepiscopalis, cod. F. 11. 26. membr. in fol. saec. XIV. incuntis. — Fol. 1. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris de ordine Fratrum Minorum. Apparuit* etc. Desinit ut in editis fol. r. non numerato.

87. *Venetiis,* bibliotheca s. Marci, class. XXI. cod. 116. membr. saec. XIV. ineuntis. — Fol. 348. v. legitur: *Incipit vita beati Francisci. Apparuit* etc. Praeter Legendam minorem complectitur hic codex nonnulla ex Legenda maiori, capitula scilicet 12, 13. et fere totum 14; desinit fol. 383. r. verbis: *tum praesentibus quam absentibus in crucifixi virtute benedixit.*

88. *Ibidem,* class. XXI. cod. 141. membr. in 4. saec. XIV. — Rubrica Legendae est fol. 1. r. his verbis: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 157. r. cum additione: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.*

89. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 3417. chart. in fol. saec. XV. (1467.). — Fol. 206. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci confessoris ordinis Minorum. Apparuit* etc. Desinit fol. 242. r., addito: *Et sic est finis. Anno 67.*

90. *Ibidem,* cod. 2724. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 77. r. habetur rubrica: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 106. v. verbis capituli XV: *mirificans sanctum suum magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

91. *Wratislaviae,* bibliotheca Universitatis, cod. I. class. 271. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 170. r.: *Incipit prologus in vitam beati Francisci.* Desinit fol. 208. v. his verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci mirabiliter ostensa.*

92. *Ibidem,* cod. IV. class. 193. membr. saec. XIV. — Fol. 1. r. habetur: *Incipit prologus in vitam beati Francisci. Apparuit* etc. Desinit fol. 80. r. verbis: *Expliciunt miracula post transitum beati Francisci mirabiliter ostensa.*

93. *Ibidem,* cod. I. 40. miscell. in fol. saec XV. — Legenda sancti Francisci incipit fol. 77. r. sine ullo titulo: *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri* etc. Desinit fol. 131. r. cum additione: *Anno Domini millesimo CCCCXLI. in die sanctorum septem Fratrum.*

III. Breviter enumerantur codices, qui antiquas huius Legendae versiones in alias linguas continent.

P. Fidelis a Fanna b. m. recensuit has translationes, quae sequuntur:

Idiomate Gallico: 1. *Parisiis,* bibliotheca Mazarrinea, cod. 1351. membr. saec. XIV. — 2. *Ibidem,* cod. 2972. chart. saec. XVII. — 3. *Pictavii,* bibliotheca Civitatis, cod. 113. chart. saec. XV. exeuntis.

Idiomate Germanico cum diversis dialectis: 1. *Bambergae,* bibliotheca Civitatis, cod. E. VII. 56. progress. 529. membr. saec. XV. — 2. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 3662-64. chart. saec. XV. (1472). — 3. *Coloniae,* bibliotheca Civitatis, cod. VI. 7. saec. XV. (1477). — 4. *Daventriae,* bibliotheca Civitatis, cod. 1743. chart. saec. XV. — 5. *Donaueschingen* ad fontes Danubii, bibliotheca Principis, cod. 453. chart. saec. XV. — 6. *Hagae Comitum,* bibliotheca Regia, cod. 281. chart. saec. XV. — 7. *Ibidem,* cod. 279. chart. saec. XV. — 8. *Ibidem,* cod. 424. chart. saec. XV. (1479). — 9. *Ibidem,* cod. 397. chart. saec. XV. — 10. *Ibidem,* cod. non sign. chart. saec. XV. (1443). — 11. *Hamburgi,* bibliotheca Civitatis, cod. III. 64. n. 33. chart. saec. XV. — 12. *Hafniae,* bibliotheca Regia, cod. 798. chart. saec. XV. (1474). — 13. *Lignitii,* bibliotheca Ecclesiae sanctorum Petri et Pauli, cod. 11. chart. saec. XV. — 14. *Lugduni Batavorum,* bibliotheca Universitatis, cod. 264. membr. saec. XV. — 15. *Ibidem,* cod. 266. chart. saec. XV. — 16. *Ibidem,* cod. 83. membr. saec. XV. — 17. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. german. 218. chart. saec. XV. (1484). — 18. *Ibidem,* cod. 387. chart. saec. XV. — 19. *Ibidem,* cod. 5138. chart. saec. XV. — 20. *Sancti Galli* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. 360. chart. saec. XV. — 21. *Ultraiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 237. S. E. membr. saec. XV. — 22. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 3989. chart. saec. XV. — 23. *Ibidem,* cod.

13880. chart. saec. XV. — 24. *Ibidem,* bibliotheca Conventus sanctissimae Trinitatis, cod. XXVI. chart. saec. XV. — 25. *Weert Limburgi,* bibliotheca Fratrum Minorum, cod. membr. saec. XV. (1455). — 26. *Wolfenbutae,* bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 761. chart. saec. XV.

Idiomate Italico: 1. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, cod. I. C. 1878. chart. saec. XV. (1421). — 2. *Ibidem,* cod. V. B. 9. 8. chart. saec. XV. ineuntis. — 3. *Ibidem,* class. XXXV. cod. 138. miscell. saec. XV. — 4. *Ibidem,* class. XXXVIII. cod. 52. chart. saec. XV. — 5. *Ibidem,* class. XXXVIII. cod. 114. chart. saec. XV. — 6. *Ibidem,* bibliotheca Laurentiana, cod. CXII. Gadd. membr. saec. XV. (1427). — 7. *Ibidem,* Plut. LXXXIX. sup. cod. 104. chart. saec. XV. — 8. *Ibidem,* Plut. LXXXIX. sup. cod. 103. chart. saec. XV. — 9. *Fulginii* in Umbria apud Moniales ven. Monasterii sanctae Luciae, cod. chart. saec. XV. — 10. *Ianuae,* bibliotheca Universitatis, cod. E. I. 20. membr. saec. XV. ineuntis. — 11. *Interamnae,* bibliotheca Communalis, cod. CC.VI. 243. chart. saec. XV. — 12. *Hagae Comitum,* bibliotheca Regia, cod. 280. membr. saec. XV. ineuntis. — 13. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 9297. chart. saec. XV. — 14. *Venetiis,* bibliotheca sancti Marci, class. V. cod. 19. chart. saec. XV.

§ 13. Opusculum XXIV. Legenda minor S. Francisci.

Ipse S. Bonaventura ex maiore Legenda excerpsit principaliores res, distributas in septem titulos, quorum singuli habent novem lectiones, quae durante Octava festi S. Francisci in Officio divino recitandae erant. Eandem certitudinem haec minor Legenda habet ac maior, ut probatum est in praecedente § 12. Multa in ea fere eisdem verbis repetuntur, quae leguntur in altera Legenda, alia breviore locutione et aptissima exprimuntur, pauca etiam adduntur, quae desunt in illa.

P. Bonelli hoc opusculum edidit in suo Supplemento ad Opera omnia S. Bonaventurae tom. III. col. 1065 seqq. Textum deprompsit ex Fratrum Minorum Breviario saec. XIII, quod habuit magnus Conventus S. Francisci PP. Conventualium Assisii, in quo haec nota praemittitur: «Haec Minor vita beati Francisci ad hoc de maiori excerpta est, ut in Breviariis portatilibus et etiam choralibus habeatur. Et legetur de ipsa in choro, secundum quod in ea sunt lectiones distinctae, ut in festivitatibus beati Francisci et per Octavam natalis eius. Convenientius de ea legi potest ad mensam ipsis diebus festivitatum beati Francisci. Maior vero vita haberi debet merito in locis singulis ad aedificationem Fratrum. Scriptores ergo compellantur tenere punctationes et litteram exemplaris, et iuxta exemplar hoc errores illorum per Fratrum diligentiam corrigantur».

Praeter hoc Breviarium Bonelli adhibuit aliud antiquum Breviarium «in membranis nitidissimis excusum», mutuatum a Praeposito domus Grisensis (in Tyroli) Canonicorum Regularium S. Augustini.

In editione nostra adhibiti sunt alii duo codices, fide quorum nonnullas lectiones probabiliores in textum recipere potuimus.

Antiqua editio specialis huius minoris Legendae prodiit Cremonae 1499 per Carolum de Darleriis. Bonelli post Legendam hanc minorem reimprimi fecit etiam novem lectiones de canonizatione et translatione B. Francisci, quae verbotenus exhibent totum c. XV. maioris Legendae divisum in novem lectiones, quae in editione nostra satis indicantur numeris istius capituli.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu editionis P. Bonelli collati.

1. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis, cod. C. IX. 1188. membr. in 16. saec. XIV, iam descriptus in praecedenti elencho n. 8. — Rubrica haec est fol. 102. r.: *Incipit vita beati Francisci.* Desinit fol. 126. v. verbis: *Explicit vita beati Francisci.* — In hac nostra editione signatur littera M.

2. *Romae,* bibliotheca Casanatensis, cod. D. VI. 12. miscell. saec. XV. — Post alia opera praemittitur ibi sequens rubrica: *Incipit legenda minor beati Francisci secundum eximium doctorem Bonaventuram de Campo* (sic) *regio. Prima die lectio 1.* Deinde omisso titulo: *Apparuit* etc. Desinit: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. Deo gratias.* Sign. A.

II. Codices a nobis non collati.

3. *Argentinae,* bibliotheca Seminarii, cod. membr. in 8. saec. XIII. — Est Breviarium Franciscanum, in quo festo S. Francisci et Octavae eiusdem assignatur haec Legenda, cum rubrica: *Incipit vita beati Francisci, et primo de conversione. Apparuit gratia* etc. Desinit ut in edita: *omnis sit laus, honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

4. *Assisii,* bibliotheca Conventus sancti Francisci, nunc Communalis, cod. 149. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Legendae praemittitur rubrica, quam supra col. I. iam exscripsimus: *Hec minor vita beati Francisci* etc. Adduntur etiam lectiones in festo Translationis ex cap. XV. Legendae maioris. Desinit: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

5. *Ibidem,* cod. non numeratus, membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — In Natali sancti Francisci et per Octavam eiusdem aptatur haec minor Legenda. Incipit et desinit ut in editione.

6. *Ibidem,* cod. 216. membr. in 4. saec. XIV. — Hic etiam est Breviarium Ordinis Minorum. Legenda minor est disposita pro Natali sancti Francisci et per Octavam, cui additur cap. XV. Legendae maioris pro festo *de canonizatione et translatione beati Francisci.*

7. *Ibidem,* cod. 24, de quo egimus in praecedenti elencho n. 3. — Huic Legendae praemittitur: *Incipit minor vita beati Francisci, et primo de conversione ipsius, lect. 1.* In fine additur: *Explicit minor vita beati Francisci.* Sequitur ex cap. ultimo Legendae maioris: *In festo translationis beati Francisci. Franciscus igitur* etc. Desinit ut in editis.

8. *Ibidem,* cod. 46. membr., quem descripsimus in elencho praecedenti n. 6. — Minori Legendae praemittitur rubrica eadem, quae in superiore codice descripto n. 4. Desinit ut in editis.

9. *Berolini,* bibliotheca Regia, cod. theol. lat. fol. 78. membr. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 130. r. est rubrica: *In festo sancti Francisci lectio 1. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 159. v.: *omnis sit laus, honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

10. *Bruxellis,* bibliotheca Regia, cod. 1328-37. membr. in fol. saec. XIV. (1334.). — Fol. 19. v.: *Incipit vita beati Francisci confessoris. Apparuit gratia* etc. Desinit fol. 36. r.

Hinc additur: *In festo translationis.* Est capitulum ultimum Legendae maioris in lectiones distinctum. Desinit fol. 38. r.: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

11. *Carlsruhae*, bibliotheca Archiducalis, cod. XV. membr. in 12. saec. XIII. exeuntis. — Legendae praemittitur: *In conversione sancti Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit ut in editione.

12. *Ibidem*, cod. XVI. membr. in 12. saec. XIV. — In festo S. Francisci, et in diebus Octavae est aptata Legenda minor ut in codice praecedenti; uterque enim cod. est Breviarium Franciscanum.

13. *Coloniae*, bibliotheca ecclesiae Metropolitanae, cod. 167. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Legenda incipit fol. 51. r. cum rubrica: *In natali sancti Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 53. r. in lectione septima: *Amore illius nudari non horruit, qui nudus pro nobis in cruce pependit.*

14. *Dresdae* in Saxonia, bibliotheca Regia, cod. theol. A. 206. membr. in 4. saec. XV. — Est Breviarium Franciscanum. Legenda assignata est diei festo sancti Francisci fol. 295. v. Desinit fol. 319. r. verbis: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Cfr. supra n. 10.

15. *Dunelmii* in Anglia, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. A. IV. 9. membr. saec. XIII. — Legenda incipit verbis: *Franciscus de vallis Spoletanae partibus et civitate Assisii trahens originem, primum Iohannes vocatus* etc.; vid. in editione lect. 1. Est mutila.

16. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. 12. Biscionian. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Legenda notatur fol. non numerato hac rubrica: *Incipit vita beati Francisci, et primo de conversione ipsius, lectio 1. Apparuit gratia* etc. Desinit ut in editione.

17. *Ibidem*, Plut. XXXVI. Sin. cod. 6. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 268. v.: *Incipit Legenda beati Francisci, lectio I. Apparuit gratia Dei* etc. Post titulum VIII. sequitur: *IX. De mortuis resuscitatis. X. De his quos a mortis periculo liberavit. XI. De a naufragiis liberatis.* Desinit fol. 282. r. verbis: *Frater Iacobus Reatinus, cum in navicula parva fluvium quendam cum aliis fratribus pertransiret.* Cetera desunt. Vide edit. pag. 556 n. 3.

18. *Ibidem*, Plut. XXXI. Sin. cod. 5. membr. in 4. saec. XIV. — Legenda incipit fol. 53. r., praemisso tantum: *Lectio I.* In fine additur capitulum XV. Legendae maioris divisum per 9 lectiones, ut habent etiam alii codices supra notati n. 4. 6. 10, cui praemittitur rubrica: *In translatione sancti Francisci.* Desinit fol. 66. v. ut in editis. De hoc codice locuti sumus etiam in praecedenti elencho n. 34.

19. *Foroiulii* in Italia, bibliotheca Capituli, cod. XCIV. membr. in 8. saec. XV. — Est Breviarium et pro die 4. Octobris legitur sequens rubrica: *In sancti Francisci confessoris et diaconi Ordinis Minorum primi... Lectio I. Apparuit gratia* etc. Sunt tantum novem lectiones pro die festi ex hac Legenda efformatae.

20. *Ibidem*, cod. CVI. membr. in 8. saec. XIV. — Est Breviarium ut praecedens. Pro die 4. Octobris et per Octavam Legenda disposita est; incipit a lectione secunda: *Inerat namque iuvenis Francisci* etc. Adduntur etiam lectiones in festo Translationis ex cap. XV. Legendae maioris. Desinit verbis: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

21. *Gandavi* in Belgio, bibliotheca Civitatis, cod. 532. 226. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis, de quo supra egimus pag. XV n. 79. — Rubrica huius est fol. 292. r. his verbis expressa: *Incipit minor legenda beati Francisci.* Desinit fol. 302. v. cum lectione 8. in festo Translationis, ex cap. XV. Legendae maioris n. 8: *ut per odorem ipsius salvificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Xtum. Explicit legenda beati Francisci.*

22. *Hannoverae*, bibliotheca Publica, cod. 188. chart. in fol. saec. XV. post medium. — Legenda est fol. 1. r. cum rubrica: *Incipit vita minor beati Francisci confessoris, et primo de conversione eius mirabili. Apparuit* etc. Desinit fol. 11. r.: *omnis sit laus, honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

23. *Herbipoli*, bibliotheca sanctae Crucis Patrum Minorum Conventualium, cod. I. 137. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis. — Fol. v. non numerato: *Incipit vita beati Francisci, primo de conversione lectio I. Apparuit gratia* etc. Desinit verbis: *Explicit vita Francisci.* Hinc sequitur: *In translatione beati Francisci lectio I. Franciscus igitur servus et amicus* etc. Est ultimum cap. Legendae maioris, ut supra etiam notavimus n. 10.

24. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. theol. in 8. 19. saec. XIV. exeuntis. — Est pars Breviarii Franciscani, in fol. 58. r. incipiunt lectiones ex Legenda minore pro die festo sancti Francisci, per totam Octavam, ac etiam pro officio eiusdem Translationis ut in editione. Desinit fol. 79. r.

25. *Leopoli*, bibliotheca Publica, cod. 102. membr. in fol. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 420. v. legitur: *Incipit minor vita beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 423. v.: *in tribus institutis ordinibus cernimus esse completum;* vide lect. 9. tituli primi.

26. *Lucernae* in Helvetia, bibliotheca Cantonalis, cod. 50. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis. — Legendae praemittitur fol. r. non numerato: *Incipit vita beati Francisci.* Desinit: *magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* Cfr. n. 4. et 10.

27. *Madriti*, bibliotheca Nationalis, cod. C. 68. membr. in fol. saec. XV. — Est Breviarium Ordinis Fratrum Minorum. Fol. 303. r. habetur rubrica: *In translatione beati Francisci fit officium sicut in Natali eius, preter lectiones, que leguntur in translatione. Franciscus igitur* etc. A folio 380. v. ad fol. 393. r. occurrit tota minor Legenda.

28. *Ibidem*, cod. C. 74. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 461. v. incipit Legenda: *Apparuit gratia Dei* etc. Adduntur lectiones: *In festo translationis beati Francisci* ex cap. XV. Legendae maioris. Desinit fol. 469. r.

29. *Ibidem*, bibliotheca Escurialis, cod. Est. 95. III. a. 3. membr. in fol. saec. XV. ineuntis. — Incipit fol. non numerato cum rubrica: *In vigilia sancti Francisci.* Desinit in lectione quinta I. tituli verbis: *et ipse postmodum sibi familiaribus revelavit.* Codex est Breviarium Ordinis Fratrum Minorum.

30. *Ibidem*, cod. Est. 96. II. b. 15. membr. in 4. saec. XV. exeuntis. — Rubrica Legendae est fol. 499. v.: *In festo*

sancti Francisci, lectio 1. Apparuit etc. Desinit in lectione 7. ultimi tituli: *mortuos revocavit ad vitam.*

31. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VIII. B. 30. membr. saec. XV. ineuntis, de quo vide in praecedenti elencho n. 60. — Haec Legenda est fol. non numerato cum rubrica: *Incipit minor vita beati Francisci, et primo de conversione ipsius, lectio 1.* In fine additur: *Explicit minor vita beati Francisci.* Sequitur: *In festo translationis beati Francisci, lect. 1. Franciscus igitur* etc., quod est cap. XV. Legendae maioris in 9 lectiones divisum.

32. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 3778. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. — Inter multas Legendas Sanctorum est etiam haec sancti Francisci, sed aliquantulum immutata; incipit fol. 223. cum rubrica: *In festo sancti Francisci. Beatus Franciscus de civitate Assisii ortus* etc. Desinit fol. 225. r.: *Tumulatur in pace sanctissimi corpus, et cum ymnis et laudibus multis sancta exequia terminantur.*

33. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 121, iam descriptus supra pag. XLVII n. 139. — Haec Legenda incipit fol. 319. cum titulo: *Vita sancti Francisci minor Ordinis Fratrum Minorum primi institutoris salubriter incipit. De conversione ipsius, lect. 1.* Desinit praedictis verbis, quibus post *explicit* additur: *a Bonaventura descripta.*

34. *Scaffhusae*, bibliotheca Civitatis, cod. 4. membr. in 16. saec. XV. — Est pars Breviarii *secundum Ordinem Fratrum Minorum*, quae continet proprium de Sanctis; in qua lectiones pro festo sancti Francisci, sacrorum Stigmatum et Translationis eiusdem sumuntur ex hac Legenda. In fine huius partis Breviarii additur: *Explicit sabato ante Letare 1474.*

35. *Solothurni*, bibliotheca Ecclesiae cathedralis, cod. non numeratus, membr. in 8. saec. XV. ante medium. — Continet, ut praecedens, Breviarium Franciscanum. In die festi sancti Francisci et per Octavam eiusdem ponitur Legenda minor, in die vero Translationis assignantur lectiones ex cap. XV. Legendae maioris.

36. *Toleti*, bibliotheca Capituli, cod. cai. 37. Num. 4. membr. in 12. saec. XV. — Est *Breviarium Fratrum Minorum secundum consuetudinem ecclesie Romane.* Pag. 572: *Incipit vita beati patris nostri Francisci, et primo de conversione eius, lectio 1. Apparuit* etc. Desinit pag. 602. In officio etiam Translationis sancti Francisci lectiones assignantur ex cap. XV. Legendae maioris.

37. *Trecis*, bibliotheca Civitatis, cod. 401. miscell. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 120. r.: *Incipit vita sancti Francisci, et primo de conversione ipsius. Apparuit* etc. Desinit fol. 129. v.: *Explicit vita sancti Francisci;* fol. seq. r.: *Incipit de translatione eiusdem*, quod est cap. XV. Legendae maioris.

38. *Tridenti*, bibliotheca Civitatis, cod. 265. collectio. Gentilotti, chart. in 8. saec. XV. — Est Breviarium Ordinis Fratrum Minorum, in quo pro festo sancti Francisci et per Octavam eiusdem dispositae sunt lectiones huius Legendae.

39. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, class. XXI. cod. 116. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. — Fol. 348. v.: *Incipit vita beati Francisci. Apparuit gratia Dei* etc. Desinit fol. 351. r. Usque ad fol. 353. r. sequuntur aliqua ex Legenda maiori, de quibus locuti sumus in elencho praecedenti n. 87.

40. *Ibidem*, class. II. cod. 34. membr. in 16. saec. XV. post medium. — Continet Breviarium Ordinis Minorum, in quo tam pro festo Translationis sancti Francisci, quam in Natali et Octava eiusdem aptantur lectiones Legendae minoris et cap. ultimum Legendae maioris.

41. *Ibidem*, bibliotheca Musaei Correr, cod. Cicogna 235. membr. in 4. saec. XIII. exeuntis. — Legenda incipit fol. 236. r. sine rubrica: *Franciscus servus et amicus Altissimi* etc. Desinit fol. 240.

42. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3417, de quo egimus in praecedenti elencho n. 89. — Fol. 242. r. post Legendam maiorem immediate sequitur rubrica: *In natali sancti Francisci, lectio 1. Apparuit* etc. Desinit fol. 250. v. Postea est iterum rubrica: *In octava die lectio prima in translatione sancti Francisci.* Sequitur ultimum cap. Legendae maioris in novem lectiones divisum. Desinit fol. ultimo cod. v. his verbis: *Finita est hec legenda quarta feria maioris hebdomade in meridie... Anno 67.* (1467).

43. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, class. IV. cod. 193, ut notatur in elencho praecedenti n. 92. — Fol. 81. r. huic Legendae praemittitur: *Hoc opus excerptum ad hoc factum est, ut ponatur in Breviariis tam choralibus quam portatilibus et legatur de ipso in festis beati Francisci et per octavam natalis eius et ad mensam diebus ipsorum festorum. Incipit minor vita beati Francisci, et primo de conversione eius.* Fol. 99. v.: *Explicit minor vita beati Francisci.* Deinde ibidem: *In translatione sancti Francisci.* Desinit fol. 102. ut in cap. ultimo Legendae maioris.

CAP. III.

De tractatibus asceticis incertis vel plane illegitimis, quae S. Bonaventurae attributi sunt.

Iam a saeculis inter eruditos compertum est, multos tractatus asceticos, quos primae collectiones horum opusculorum, praesertim Argentina an. 1495, tanquam Bonaventurianos undique conquisitos coadunaverunt, esse vel prorsus spurios vel saltem incerti auctoris. Eadem haec sors, quae accidit operibus aliorum Ecclesiae Doctorum, praesertim S. Augustini, Anselmi, Bernardi, deploranda est etiam quoad opera seraphici Doctoris, scilicet ut illis aliena opera exigui saepe valoris supposita sint. Credendum tamen est, non raro quoad haec de quibus agimus opera falsam operis inscriptionem haud caruisse aliqua ratione, quippe cum substantia talis libelli plus minusve ex genuinis eiusdem operibus accepta, deinde ab alio aucta sit et mutata. Iam vidimus in Prolegomenis ad V. tom. p. XLVIII seq. *Centiloquium* fere integrum quasi verbotenus excerptum esse ex multis locis Commentarii Bonaventuriani in Sententias.

Certum est etiam, libellum *Stimulus amoris* magna ex parte sumtum esse ex diversis operibus Bonaventurae; nec dubitamus, quominus de aliis parvis opellis asceticis idem dicendum sit. Magis hoc apparebit, ut putamus, quando tot inediti Sermones S. Doctoris lucem aspexerint. — Ut ordinate procedatur, hoc capitulum dividatur in quatuor articulos, quorum primus agit de dubiis vel illegitimis opusculis Appendicis huius tomi; secundus,

de his quae ab Oudino, editoribus Venetis, Sbaralea et ipso Bonelli unanimiter tanquam spuria recognita sunt; tertius, de quibusdam aliis in ed. *Vaticana* et *Bonelli* Supplemento iam editis, de quibus non consentiunt viri critici; quartus, de aliis in his editionibus non contentis.

Articulus I. **De dubiis vel illegitimis opusculis, quae continentur in Appendice huius voluminis.**

§ 1. De libello *Speculum disciplinae ad novitios.*

Prologus eiusdem incipit verbis: *Speculum disciplinae ad honesta tendentes,* et dividitur in duas partes. — De auctore huius operis controvertitur. Waddingus (Scriptores Ord. Min. pag. 41 et 52, ed. Romae 1816), Sedulius in Praefatione huius operis ab ipso editi et Bonelli (Prodrom., col 619 seqq.) librum attribuunt Bonaventurae, simul tamen fatentur, ultimam opusculi imperfecti revisionem factam esse ab alio, scilicet a Bernardo a Bessa. Oudinus (Comment. III. col. 431), quem sequuntur editores Veneti, auctorem nominat Fr. Davidem Augustanum Ord. Min.; Sbaralea (Supplement. ad Scriptores Ord. Min. p. 162 col. 2) certat pro discipulo S. Bonaventurae, Fr. Ioanne Pecchamo, archiep. Cantuariensi.

Priusquam incipiamus has opiniones discutere, operae pretium est transcribere quae editio Vaticana in praeambulo libelli refert *de* Sedulio et *ex* Sedulio: « Hoc Opusculum cum sequenti [de Profectu Religios.] Antverpiae an. 1591 prodiit opera R. P. Henrici Sedulii Cliviensis, Guardiani Antverpiensis. Cuius praestantissimi viri diligentia in his duobus opusculis pristino suo nitori restituendis eiusdem eruditionem et doctrinam satis probat; ac utinam opuscula alia auctoris nostri parem virum invenissent! Non enim in ipsis restituendis tantum laboris susceptum esset, nec tantis respersa mendis hactenus essent emissa. Quare iuxta Henrici praedicti castigationem haec duo opuscula Vaticanae huic editioni inseruntur, ac pro argumento eorundem eius epistola ad lectorem hic subiicitur: ‚Habes, amice lector, *Speculum disciplinae* S. Bonaventurae, et *De Profectu Religiosorum,* libellos prorsus mirabiles, licet contemptibiles mundo. *Sed quae stulta sunt mundi elegit Deus,* ait Apostolus (I. Cor. 1, 27.), *ut confundat sapientes.* Auctor quidem non admodum curiosus est latinitatis et elegantiae, ut qui noverit, *non in sermone esse regnum Dei, sed in virtute* (ib. 4, 20.). Si pius esse velis, lege et relege diligentius; placebunt; sin autem, ne legas, ne *sanctum canibus* et *mittantur margaritae ante porcos* (Matth. 7, 6.). Quos vir longe piissimus dominus Hesius, venerandae memoriae apud Leodienses canonicus, et P. Ramus, iurisconsultorum quondam Lovanii decus, et plerique alii pii viri iuxta ac docti diligentissime lectitare solebant, etiam ad mensam, pro excitando in Deum spiritu, nemo debet facile contemnere. — Huius admonitum te brevibus cupio, nonnullos opinari, S. Bonaventuram non esse auctorem *Speculi disciplinae.* Sed hoc dubium nobis eximit ipse Bonaventura, qui Prologo utroque in *De Profectu Religiosorum* plane testatur, se conscripsisse formulam priorem de exterioris hominis compositione. Quibus verbis *Speculum disciplinae* intelligit. Potuit autem fieri, ut Speculum hoc non tam accurate conscriptum reliquerit; quod ipsum quoque satis innuit antiquissimum exemplar editum Argentinae an. 1495. Quod ita habet in libri frontispicio: ‚Speculum *disciplinae* in hanc formam redactum est a Fr. Bernardo a Bessa, qui fuit socius S. Bonaventurae. Nam ab ore S. Bonaventurae fuit scriptum et inordinate relictum, e quo homines discerent caelestes mores. — Miror autem valde, duos hosce libellos semper fuisse disiunctos, quandoquidem ipsa materia librorum postulat, ne disiungantur. Quid enim coniunctius esse potest quam homo exterior et interior, hoc est corpus et anima? In *Speculo disciplinae* de componendo homine exteriore, de formando interiore homine disserit in *De Profectu Religiosorum.* Hic liber variis nominibus insignitur. Exemplaria vetustissima constanter vocant *De Profectu Religiosorum,* sed Venetum, quod prodiit an. 1584 appellat *De Reformatione mentis* librum priorem, posteriorem vero *De Processu Religionis.* Mirum in modum variant exemplaria antiqua in inscriptionibus, lectione et distinctione capitum. Quare, facta diligenti collatione multarum editionum, elegantius hi libri prodeunt, summam doctrinam pietatis in se continentes et ad vitam bene beateque instituendam omni Religioso divinaeque sapientiae amantissimo maxime necessarii etc.' ». Hucusque Sedulius.

In praemissis Sedulius dupliciter errat. Falso supponit, librum *De Profectu Religiosorum* esse genuinum Bonaventurae fetum, cum attribui debeat Fr. Davidi Augustano. Falsa est etiam argumentatio eiusdem, quod ista duo opuscula ita ad invicem ordinentur, ut ex genuinitate secundi concludi possit, etiam *Speculum disciplinae* scriptum esse ab eodem auctore. Eadem argumentatione falsa usus est etiam Oudinus, qui tamen recte affirmavit, auctorem libri *De Profectu Religiosorum* esse Davidem Augustanum. Ita enim scribit: « Ego utens argumento altero censeo, neque *Speculum disciplinae* esse divi Bonaventurae neque Bernardi de Bessa, sed Davidis de Augusta Franciscani, qui multos asceticos libros ad instructionem Fratrum Minoritarum scripsit. Probo contra Sedulium et Waddingum ex ipsis eorum argumentis, nulla habita ratione editionis Argentinensis an. 1495, quae imperfectissima est. Eiusdem certe auctoris *Speculum disciplinae,* cuius est opusculum *De Profectu Religiosorum,* quod concedunt et Sedulius atque Waddingus neque negari potest, cum auctor opusculi *De Profectu Religiosorum* in Prologo operis sui expresse dicat, se scripsisse opus de compositione hominis exterioris, quod in *Speculo disciplinae* legitur. Atqui opusculum *De Profectu Religiosorum* spectat ad Davidem de Augusta: ergo et *Speculum disciplinae ad novitios.* Itaque ex eodem principio, quo Sedulius et Waddingus utuntur, aliam omnino conclusionem infero ex assumto omnimodo alio ».

Sed revera uterque eadem falsa argumentatione hallucinatus est; quia ex pure accidentali unione duorum istorum opusculorum erronee intulerunt, illud *Speculum* esse librum de compositione hominis exterioris, quasi nullus *alius* liber de hac eadem materia scribi potuisset. Nam quod iam Sedulius supra dixit, se mirari, hos duos libellos semper disiunctos fuisse, verum est. Talem enim ordinem nequaquam habent in editione parvorum opusculorum Brixiensi an. 1495 neque in citata Argentina neque in plurimis codicibus. Hinc vanum est argumentum, quo Oudinus et Sedulius concludunt, eundem auctorem scripsisse dicta opera. Unde bene dicit Bonelli (Prodrom. col. 621 n. 18.): « Etenim maior huius argumenti laborat falso supposito, quod initium illud opusculi *De Profectu Religiosorum: In priori formula novitiorum, quam scripsi de*

exterioris hominis compositione appellet ad *Speculum disciplinae*, cum unice respiciat praecedens opusculum incipiens *Primo semper debes considerare* ». Ita enim incipit opusculum Fr. David, quod alias dicitur *De Institutione novitiorum*, et est prima pars totius operis eiusdem Fratris. Vide supra pag. LXXVI col. II.

Valde etiam errant editores Veneti (Diatrib. p. 127) asserentes: « Nullus antiquus exstat codex, qui Bonaventurae nomen contineat quique non praeferat nomen Davidis Augustani, et si forte aliquis sit, qui Bonaventuram inscriptum habeat, aut ille recentioris erit notae, aut ab aliena manu corruptus ». Contrarium in utraque parte verum est. Nullum novimus codicem nec antiquam editionem, qui praeferant nomen Davidis Augustani, sed Bonaventuram inscribunt praeter complures codices a Bonelli (loc. cit. n. 16.) enumeratos fere omnes illi, quos infra in elencho recensemus. — Certissimum igitur est, opinionem Oudini et Venetorum editorum faventium Fr. Davidi esse omnino reprobandam.

Sbaralea (loc. cit.) recte negat, Fr. Davidem scripsisse *Speculum disciplinae;* deinde sic continuat: « Equidem antiquus auctor *Memorialis Ord. Min.* in *Firmamento Trium Ord. S. Franc.*, loquens de successore S. Bonaventurae, Ministro generali Hieronymo Asculano, scribit: , De mandato istius Generalis quidam magister multum famosus, magnae sufficientiae et virtutis super Sententias opus edidit utile nec non librum *De Perfectione evangelica*, contra perfectionem Religiosorum Mendicantium detrahentes, et *Vitam B. Antonii Paduani* miro stilo composuit et *Speculum disciplinae* '. Attamen nequit intellexisse seu indicasse Bernardum de Bessa, qui non famosus, sed ne magister quidem fuit tantumque pauca ad historiam Minoriticam attinentia confecit; verum verbis illis significavit Ioannem Pekan (sic), S. Bonaventurae discipulum, doctorem famosum, qui plurima conscripsit, praesertim in *4 Sententiarum libros* et librum *De Perfectione evangelica*, teste etiam Waddingo, nec non *Vitam S. Antonii Patavini*, ut perhibet Rodulphius libro III. Igitur huius est et Speculum disciplinae, quippe qui etiam *Speculum Ecclesiae* et *Speculum animae* elucubraverit; praesertim cum S. Bonaventura hoc argumentum sit exsecutus in sua *Novitiorum Regula*, ideoque non opus erat, ut hanc retractaret materiam ».

Sed contra assertum istius *Memorialis* scribit Bonelli (loc. cit. n. 15.), maioris esse auctoritatis Chronica XXIV Generalium, in quibus (Analecta Franc. tom. III. pag. 377) legitur: « Usque ad istum Generalem (scilicet Bonagratiam) Fr. Bernardus de Bessa Provinciae Aquitaniae Chronicam generalium Ministrorum protraxit. Qui etiam edidit alios devotionis libellos, quorum unus fuit de proposito Regulae ad aemulos confutandos et Fratres ad vivendum secundum Regulam informandos, et hoc tempore Fr. Bonaventurae tunc generalis Ministri. — *Alius fuit ad informandum novitios, qui dicitur Speculum disciplinae* » etc. — Cum igitur aliud antiquius testimonium, quod Sbaraleae ignotum fuit, librum diserte adiudicet Bernardo, non Pecchamo; iam eliditur argumentum unicum Sbaraleae, quia recte dicit Bonelli, maioris esse auctoritatis praefata Chronica quam documentum illud, in quo Pecchamus nec nomine proprio refertur. Concedimus autem, verba praefata *Memorialis* vix de alio a Pecchamo intelligi posse, qui revera est auctor opusculi *De Perfectione evangelica.* Hoc testantur eadem Chronica XXIV Generalium (pag. 361) his verbis: « Fuit etiam illo tempore quidam frater Ioannes, vir magnae sufficientiae et virtutis, multum famosus sacrae theologiae magister. Qui supra Sententias opus edidit utile Quaestionum nec non librum: *De Perfectione evangelica* contra Religiosis Mendicantibus detrahentes. De mandato eiusdem Generalis Vitam beati Antonii miro stilo composuit, quamvis, quia alia scripta erat in Breviariis, nullum non fuerit divulgata » (sic).

Accedit, quod nullum aliud testimonium praeter praedictum pro Pecchamo afferri potest, et quod inter complura opera, quae in codicibus msc. illi attribuuntur, nusquam nominatur *Speculum disciplinae.* In Prolegomenis opusculi nostri *De humanae cognitionis ratione,* pag. XVI seqq. ex commentariis P. Fidelis a Fanna b. m. relata sunt 19 opuscula in ultra 50 codicibus contenta, quae Pecchamo attribuuntur; sed in nullo mentio fit libelli *Speculum disciplinae.* Accedit denique, quod nullus invenitur codex nullaque editio, in quibus hoc opusculum eiusdem nomine inscribatur. Si igitur stare volumus testimoniis historicis, opinio Sbaraleae sustineri non potest.

Remanent igitur pro auctore Speculi tantum *Bonaventura* et Fr. *Bernardus a Bessa*, et hoc intelligi potest vel de unoquoque solo, vel ita, ut Fr. Bernardus, qui fuit comes et socius Bonaventurae, elaboraverit ea quae verbo vel scripto didicerat a suo superiore et magistro. Bernardum ut *solum* auctorem nominant auctor dictorum Chronicorum et codex Parisiensis infra in elencho n. 25. relatus. Bonaventurae partem aliquam in hoc libro scribendo habuisse, dicunt editio Argentina et cod. Moguntinus infra n. 1. relatus. Quod autem S. Bonaventura ipse *solus* scripserit librum hunc, non potest sustineri. Tanta enim est differentia stili in hoc et in genuinis eiusdem operibus, ut quilibet, etiam parum versatus in lectione S. Doctoris, facile cognoscat, non ab eodem auctore scripta tam diversa orta esse. — Porro iam verba Prologi (n. 3.): « Hic ergo tractatulus per *superioris impositionem exactus* », satis insinuant, non a *Ministro generali*, sed a quodam *subdito* exaratum esse hoc Speculum. Minime porro probabile est, a iuvene Bonaventura, usque ad annum aetatis 35. in scholis occupato hunc libellum, qui magnam rerum Ordinis praxim et experientiam praesupponit, fuisse compositum.

Licet igitur codices et antiqua traditio plerumque S. Bonaventurae libellum adiudicent, et ex altera parte ille codex et Chronica XXIV Generalium nominent *solum* Fr. Bernardum; hae tamen assertiones media quadam via componi possunt, secundum illum modum iam memoratum, quem infra in elencho codicum codex Moguntinus (n. 1.) et ed. Argentina explicant. Probabilissimum igitur et moraliter certum est, scriptum esse *Speculum disciplinae* a Fr. Bernardo, sed saltem *iubente* et *dirigente* et fortasse *non pauca subministrante S. Bonaventura.* Unde non tam Bonaventura, ut vult Bonelli (Prodrom. col. 620 n. 15.), sed ille libri auctor dici debet. Hic diligenter librum ex aliis opusculis, praesertim ex Hugonis et S. Bernardi scriptis genuinis et suppositiis aliorumque testimoniis magna, immo maxima ex parte contexuit, ut notis ad calcem positis satis demonstratur. Quoad stilum auctor amat constructionem frequentibus participiis pressam, quod etiam in alio eiusdem auctoris opere *De laudibus S. Francisci* (Analecta Francisc. tom. III. pag. 666 seqq.) observare licet.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Moguntiae,* bibliotheca Publica, cod. oct. 8. progress. CCCCVI. miscell. plurium aetatum, hoc vero opusculum exaratum fuit saec. XV. — Incipit sine titulo fol. 10. r.: *Speculum discipline ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. 34. r. ut in editis; sequitur index capitulorum utriusque partis cum hac rubrica: *Bonaventura. Primus liber speculi discipline continet seu recipit XXX capitula.* Deinde additur: « Explicit Speculum S. Bonaventure, quod in hanc formam redactum est a Fr. Bernardo de Bessa, Provincie Aquitanie. Nam ab ore S. Bonaventure fuit scriptum et inordinate relictum. In quo celestes homines mores discerent, quibus proficerent. Est enim in eo tanta morum elegantia, ut si quis melius data aliqua precepta quesierit, mortalibus cunctis perlustratis celum petere habebit ». — Eandem prorsus notam habet etiam editio Argentina an. 1495, pars II. in tabula opusculorum II. partis. — In nostra editione signatur littera E.

2. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 8094. chart. in 8. saec. XV. — Incipit fol. 1. r. a rubrica: *Speculum discipline Novitiorum Bonaventure. Speculum discipline ad honesta* etc. Desinit fol. 66. v.: *Domino id prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.* Sign. C.

3. *Ibidem,* cod. 9068. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 229.: *Incipit prefatio in speculum discipline sancti Bonaventure. Speculum discipline* etc. Desinit ut in editis fol. 288. r. cum additione: *Explicit speculum sancti Bonaventure.* Sign. D.

4. *Neapoli,* bibliotheca Nationalis, cod. VII. F. 35. — Hoc opus incipit a rubrica: *In nomine sancte et individue Trinitatis beatissimeque virginis Marie et omnium sanctorum incipit liber, qui dicitur speculum discipline, editum a beato Bonaventura ordinis Minorum. Speculum discipline ad honesta* etc. Desinit ut in editis: *Domino id prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.* De hoc codice locuti sumus supra pag. LXXXV n. 1. Sign. A.

5. *Ibidem,* cod. VII. G. 51. chart. saec. XV. circa medium. — Incipit: *In nomine sancte et individue Trinitatis beatissimeque virginis Marie et omnium sanctorum incipit liber, qui dicitur speculum discipline, editus a beato Bonaventura ordinis Minorum. Speculum* etc. Desinit ut in editis. Sign. B.

His codicibus adiuti, textum Sedulii et ed. Vaticanae melius castigare potuimus et ad primitivam formam reducere. In plurimis correctionibus a nobis factis, praesertim minoris momenti, omnes codd. contra Vaticanam conspirant et etiam ed. 2, quae, licet vitiis typographicis abundet, optimas tamen praesentis editionis lectiones saepe subministrat. In lectionibus maioris momenti A B et ed. 2 (Brixiae 1504) plerumque conveniunt; C D E communiter unius familiae lectiones ostendunt; vitia particularia in unoquoque cod. et ed. passim occurrunt. Ed. 1 (Argentina 1495) saepius, sed non semper, convenit cum ed. Vaticana.

II. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis non collati.

6. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Publica, cod. 529. (548.) membr. in 8. saec. XV. — Fol. 31. v. post tabulam capitulorum legitur: *Prologus in speculum discipline seu libellum de minimis ad novitios. Speculum discipline ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. v.: *Explicit speculum discipline* etc.

7. *Ibidem,* cod. 599. (761.), de quo egimus supra pag. LIX n. 1. — Hoc opus est fol. r. non numerato sub titulo: *Incipit prologus in speculum discipline ad novitios. Ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. r. cum hac additione: *Explicit speculum discipline ad novitios, quod a plerisque Bonaventure inscribitur, quod, quanto eloquio fiat, principium et finis declarant. Est enim tractatus totus aureus et suum auctorem virum perspicuum omni sanctitate et religione proclamat. Anno Domini MCCCCXC.*

8. *Berolini,* bibliotheca Regia, cod. theol. lat. 172. chart. in 4. saec. XV. circa medietatem. — Incipit fol. 2. r. a rubrica: *Prologus in speculum discipline seu libellum de minimis.* Desinit fol. 51. v. ut in editis.

9. *Ibidem,* cod. theol. lat. 163. membr. in 4. saec. XV. post medium. — Fol. 2. r. operi praemittitur rubrica: *Prologus in speculum discipline seu libellum de minimis ad novitios.* Desinit fol. 66. v. cum additione: *Explicit de disciplina.*

10. *Budapestini,* bibliotheca Musaei nationalis Hungarici, cod. Mss. lat. 74. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. v.: *Incipiunt rubrice in opus sancti Bonaventure ordinis Minorum, quod appellatur speculum discipline, utilissimum quidem religiosis.* Desinit fol. 87. r. ut in editis.

11. *Colmariae,* bibliotheca Civitatis, cod. membr. in 8. saec. XV. iam notatus supra pag. LXXVII n. 11. — Opusculum incipit fol. 57. r. ab hac rubrica: *Speculum discipline novitiorum Bonaventure. Ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. 121. v.: *Domino id prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

12. *Coloniae,* bibliotheca Gymnasii, cod. 166. chart. in fol. saec. XV. — Ultimum opus incipit fol. non numerato a sequenti rubrica: *Prologus in speculum discipline sive libellum de minimis ad novitios. Speculum discipline ad honesta tendentes* etc. Desinit cum conclusione: *Explicit speculum discipline ad novitios scriptum per fr. Vallardum de Loenen anno Domini millesimo quatercentesimo septuagesimo septimo.*

13. *Confluentiae,* bibliotheca Gymnasii, cod. 160. chart. in 8. saec. XV. — Hoc opus incipit fol. 1. r. verbis: *Prologus in speculum discipline sive libellum de minimis ad novitios. Speculum discipline* etc. Desint ut in editis cum additione: *Explicit speculum discipline.*

14. *Groningae,* bibliotheca Universitatis, cod. c. f. s. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 2. r.: *Incipit prologus in speculum discipline sive libellum de minimis ad novitios.* Desinit fol. 55. r. verbis: *Explicit de disciplina.*

15. *Hafniae,* bibliotheca Regia, cod. 1590. chart. in 4. saec. XV. — Hoc opus incipit post alia fol. non numerato et sine titulo: *Speculum discipline ad honesta tendentes* etc. Desinit in fine codicis cum additione: *Explicit speculum discipline Bonaventure. Anno Domini M. CCCC. septuagesimo octavo.*

16. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 11923, de quo egimus supra pag. LII n. 7. — Fol. 109. r.: *Incipit prologus in speculum discipline seu libellum de minimis ad novitios sancti Bonaventure episcopi et cardinalis ordinis Minorum. Ad honestatem tendentes* etc. Desinit fol. 146. v.: *Domino id prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

17. *Ibidem*, bibliotheca Universitatis, cod. 2. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 1. r. legitur: *Incipit speculum sancti Bonaventure. Ad honestatem tendentes* etc. Desinit fol. 160. v. cap. 1. partis II. n. 6. verbis: *oculorum vagatio reprimatur, ut mens ab exteriori cura penitus libera...*

18. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. VII. G. 15. iam descriptus supra pag. LXXIX n. 33. — Fol. 31. r.: *Incipit speculum discipline editum a beato Bonaventura ordinis Minorum.* Desinit fol. 49. r.: *Domino prestante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

19. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, collectio Rawlinson, cod. C. 320. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. 44. v. legitur: *Incipit prologus* (alia manus addit: *Sancti Bonaventure) in speculum discipline ad novitios. Ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. 87. r. cum hac additione: *Raptim exaratum et in scriptis redactum per operam pauperculi fratris Donaldi Ycahatayn pro communitate fratrum Minorum de Athdatces* (Athdora in Hibernia) *1482.*

20. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. XI. A. 10, quem notavimus supra pag. LV n. 82. — Hoc opus incipit fol. 317. r., praemissa rubrica: *Speculum discipline religiosorum. Ad honesta tendentes* etc. Desinit fol. 345. v. verbis: *Et sic est finis.*

21. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 7827. membr. saec. XIV. exeuntis. — Fol. 7. r. est sequens rubrica: *In nomine sancte et individue Trinitatis, beatissime virginis Marie et omnium sanctorum incipit liber, qui dicitur speculum discipline per fratrem Bonaventuram ordinis Minorum editum. Speculum discipline ad honesta* etc. Desinit fol. 38. v. ut in editis.

22. *Ibidem*, cod. 7690, de quo egimus supra pag. LXXXIII n. 51. — Hoc opus incipit fol. 159. r., ut in praecedenti codice: *In nomine* etc. *editum. Ad honesta tendentes.* Desinit fol. 208. r., ubi additur: *Explicit speculum discipline. Deo gratias. Amen.*

23. *Sancti Audomari*, bibliotheca Civitatis, cod. 242. membr. in 4. saec. XV. iam notatus supra pag. LXXXIV n. 58. — Titulus huius operis est fol. 1. r. verbis: *Incipit prologus in speculum discipline seu libellum de minimis ad novitios sancti Bonaventure. Speculum discipline* etc. Desinit cum additione: *Explicit speculum discipline ad novitios.*

24. *Toleti*, bibliotheca Capituli, cod. Cai. 9. num. 8. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 48. r.: *In nomine sancte et individue Trinitatis, beatissime virginis et omnium sanctorum incipit liber, qui dicitur speculum discipline. Speculum discipline ad honesta* etc. Desinit fol. 119. v. verbis: *Explicit speculum discipline.*

25. His subiungimus alium codicem in commentariis P. Fidelis non notatum, relatum ab Hauréau (Notices et Extraits de quelques manuscrits Latins de la bibliothèque Nationale [Paris], tom. VI. pag. 153), qui signatur *cod. 246.* (Nouvelles acquisitions). Habet *Speculum disciplinae*, de quo disertis verbis dicitur: *Compositum a fratre Bernardo de Bessa Ordinis sancti Francisci.* Post hoc *Speculum* sequitur immediate illa *Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem* (infra Opusculum VI.) et additur: *Eiusdem cuius et Speculum disciplinae.*

§ 2. *Speculum conscientiae, alias Speculum animae.*

Hoc incipit: *Arbor mala.* Sbaralea (Supplementum etc. pag. 150) dicit: « *Speculum animae* per errorem collectorum ita nuncupatum est, cum dicendum sit *de Arbore mala*, alias *mortis*, vel *Arbor vitiorum*, ut ex prologo totoque tractatu constare potest; et auctor in fine ante *recapitulationem* ait: Ecce, *radicem* arboris malae, *truncum*, *ramos* cum *foliis* et *fructibus* plenis veneno mortifero secundum intellectus mei parvitatem descripsi » etc. — Etiam Oudinus (Commentarii etc., col. 418) censet: « Rectius inscriberetur *Arbor cupiditatis seu iniquitatis cum ramis peccatorum mortalium* »; tamen hic Oudini titulus minus toti libello respondet. — Bonelli (Prodrom., col. 542 seqq.) defendit titulum receptum verbis editorum Vaticanae in *Argumento*: « Sicut in speculo obiectarum rerum imagines apparent, et quisquis in eo effigiem suam intuetur; ita in hoc tractatu capitalia vitia eorumque propagines adeo perspicue cernuntur, ut, eo sibi ob oculos mentis proposito, non mediocriter iuvetur is qui conscientiam suam examinare... studet ». Nos vero fide codicum verum et convenientem titulum fuisse putamus *Speculum conscientiae*, non *animae*.

Sbaralea (loc. cit.) bene observat, penitus diversum ab hoc opusculo esse *Speculum animae* Ioannis Pecchami, archiep. Cantuariensis, S. Bonaventurae discipuli, quod ex lectione pateat. Idem addit, hoc nostrum *Speculum* primo prodiisse in antiqua editione, quam suspicatus est esse Venetam an. 1487, seque mirari, quare nec in Argentina an. 1495 nec in Veneta an. 1504 exstet [est tamen in Brixiensi an. 1495]. Deinde idem prosequitur: « Nihil est, quod a seraphici Doctoris sapientia eam abiudicare queat, utut repugnet Oudinus ».

Oudinus igitur (loc. cit.) falso asserit: « Est opus morale nihil aliud continens quam definitiones et divisiones peccatorum tam principalium quam aliorum ex illis nascentium. Non videtur spectare ad S. Bonaventuram, cuius saeculo haec opuscula, quae casuistas spectant, minus nota erant ». Pro hac sua sententia quatuor argumenta in medium fert, quae iam a Sbaralea breviter et a Bonelli diffusius et valide improbantur. Hic sufficiat breviter argumenta Oudini perstringere, et quoad plura lectorem ad Bonelli Prodromum (loc. cit. n. 5-18.) remittere. — Falsum iam est quod Oudinus supra dicit, illa aetate « opuscula, quae casuistas spectant, » minus fuisse nota; contra quod assertum Bonelli opponit *Summam de casibus* Raymundi de Pennafort, *Speculum morale* Vincentii Bellovacensis, *Summam de virtutibus et vitiis* Guillelmi Peraldi aliaque. — Quae deinde Oudinus profert, ut stilum operis nimis humilem et abiectum esse probet, futilia sunt. Exempli gratia allegat verba *de facili* (pro *facile*), *officiare*, *grossiorem*. Sed haec occurrunt etiam in aliis Bonaventurae libris, teste ipso Oudino, genuinis, vel saltem apud alios mediae aetatis scriptores, ut apud S. Bernardum. — Fortius obiectat Oudinus, quod in hoc opere excusetur *duellum*; quam obiectionem tanti faciunt editores Veneti, ut minime dubitent hoc opusculum ablegare ad *quisquilias* illudque nominare prorsus *stramineum* (Diatribae pag. 117). Quod autem auctor excuset *duellum*, haec insimulatio Oudini est manifeste falsa. Nam in loco incriminato (c. 1. n. 33.) post verba: « Dicunt quidam, quod consuetudo excusat in hoc facto », e vestigio additur: « *Cuius contrarium tenetur communiter a theologis et iurisperitis* ». Alia multa ibi Bonelli profert, ut probet, doctrinam libelli non recedere a communi theologorum doctrina, auctoremque summa iniuria traduci, quasi sit « benignus casuista ». Idem contra illam iniquam censuram editorum Venetorum opponit contrarium insignis theologi iudicium,

doctissimi, scilicet Ludovici Habert, qui in sua *Theologia dogmatica et morali* (pars III. de Contractibus, c. 19. § 2.) saepius laudat hoc Speculum, quod illi inter *quisquilias* reiiciunt.

Omnino consentimus Sbaraleae et Bonelli, defensoribus huius opusculi, in hoc, quod argumenta Oudini minime probant, illud esse prorsus indignum seraphico Doctore. Attamen alia quaestio, num illud revera scriptum sit a Bonaventura, non ita patet, cum aliae quam supra allatae rationes dubitandi non desint. Primo enim, quoad *externa* genuinitatis criteria desiderantur firma testimonia pro Bonaventura ut auctore. In nullo operum eiusdem indiculo sive catalogo invenimus huius libelli mentionem. Auctoritas duarum antiquarum editionum (Venetae et Brixiensis), quae supra memoratae sunt, non est irrefragabilis. Inventi sunt solummodo duo codices infra descripti, quorum antiquior Basileensis magistrum Muntzinger nominat auctorem, alter quidem S. Bonaventuram. Bonelli (loc. cit. n. 4.) secundum quosdam bibliothecarum catalogos refert, titulum *Speculum animae* in tribus codicibus scriptum, sed sine indicatione nec auctoris nec principii et finis scripti (cfr. Prodrom. col. 390, n. 11; col. 395, n. 61; col. 427, n. 8.). Sed cum aliis etiam auctoribus, v. g. Henrico de Hassia et Pecchamo, tribuatur quoddam *Speculum animae*, omnino incertum est, utrum illi catalogi indicent hoc *Speculum*, quod nostri codices vocant *Speculum conscientiae*.

Secundo, quoad criteria sumta ex *indole et stilo* libelli non invenimus certa indicia, quae sint quasi nota propria ingenii Bonaventuriani, sed potius contrarium. Unde, licet confessi simus, scriptum hoc dici non posse esse *indignum* tanto Doctore, probabilius tamen esse putamus, illud ab alio theologo esse compositum. Accedit, quod quidam loci, ut illi pag. 627, nota 1 et pag. 632, nota 8. indicati, ab accurato doctrinam explicandi modo Bonaventurae proprio deficere videntur. — Bonelli observat (loc. cit. n. 4.), quandam convenientiam intercedere inter descriptionem *arboris vitae* (supra Opuscul. III.) et huius *arboris mortis*, sed haec ad summum insinuare potest, genuinum illum libellum et quasdam sententias, quae in *Breviloquio*, parte III. c. 6. 9. et 11. habentur, alii auctori praebuisse quasi ideam generalem huius *Speculi* et fortasse etiam occasionem tribuendi illud auctori *Ligni vitae*.

Elenchus codicum.

1. *Basileae* in Helvetia, bibliotheca Publica, cod. A. V. 38. chart. in fol. miscell. saec. XV. circa medietatem. — Fol. 188. v.: *Incipit Speculum conscientiae de arbore mala. Arbor mala fructus malos facit.* Desinit fol. 206. v.: *Quod habet magis rationem peccati. Et sic est finis huius tractatus, qui dicitur Speculum conscientiae.* Desunt igitur tum epilogus tum plures propositiones (vide infra pag. 642, notam 9.). — Codex in foliolo exterius affixo et etiam fol. 1. r. habet hanc tabulam: *Liber de Cura curatorum. — Tractatus de Anima Magistri Iohannis Muntzinger 73. — Expositio super Ave Maria 83. — Super Pater noster eiusdem Magistri Iohannis Muntzinger.* Deinde scriptum est: *Reverendus Pater Dominus Iohannes de Venningen, Episcopus Basileensis* (fuit episcop. ab an. 1458 die 18 Maii usque ad 1478 diem 22 Decembris) *dedit.* — P. Fidelis a Fanna in suis commentariis scripsit, in isto codice etiam *Speculum conscientiae* tributum esse Ioanni Muntzinger. Illustrissimus D. Theodorus de Liebenau, archivista Lucernensis archivi, pro sua humanitate et in nos benevolentia hunc codicem contulit cum ed. Vat.; pro quo singulari favore ei publice hic gratias agimus.

2. *Matriti*, bibliotheca Nationalis, cod. B. 72. chart. in fol. miscell. saec. XV. — Post *Compendium theologicae veritatis* S. Thomae tributum aliaque opera habetur fol. 139. r.: *Arbor mala fructus malos facit.* Desinit ut in editis fol. 154. r. col. 1: *Si quis autem plenius de singulis velit habere notitiam, ad tractatum superiorem recurrat.* Deinde ab eadem manu litteris paulo grandioribus scriptum est: *Explicit tractatus de vitiis, quem Speculum conscientie nuncupant.* Porro superius in quadam nota tractatus Bonaventurae attribuitur; fol. enim 7. v. in margine superiore scriptum est a manu saec. XV. ineuntis: *Compendium totius sacre theologie B. Thome de Aquino Ord. Frm. Predicatorum.* Et immediate post in eadem linea, sed a manu saec. XV. exeuntis: *Et Speculum conscientie fratris boneventure.*

Solo primo codice usi sumus ad textum emendandum.

§ 3. *Summa de gradibus virtutum.*

Haec *Summa*, quae incipit verbis: *Accedite ad Dominum*, ab Oudino et editoribus Venetis ut *spuria* reprobatur, a Sbaralea et Bonelli defenditur ut tanto Doctore *non indigna* et saltem *verisimilis*. Prima editio huius Summae videtur esse Argentinensis an. 1495, nec mentio eius occurrit nisi in catalogis posterioribus, praesertim Mariani Florentini.

Primo observandum est, textum hucusque editum esse plurimis insertionibus et saepe ineptis corruptum, quod constat fide meliorum codicum. Hoc ignotum fuit illis quatuor supra memoratis viris. Cum igitur ea exempla doctrinae absurda, quae Oudinus (Commentarii etc. col. 416 n. 29.) affert, ut opusculum esse reprobandum demonstret, in istis codicibus desint, iam patet, incassum eum laborasse. Primo igitur idem pro sua sententia probanda obiicit locum ex libelli cap. 19, *De gradibus largitatis* (vide infra pag. 650, notam 10.), scil. haec verba: « Item, in altum gradum largitatis ascendit qui dat quidquid ab eo petitur, sicut Herodes fecit, qui filiae dixit: Quidquid petieris, dabo tibi ». Non sine gravi ratione Oudinus hanc censuram fert: « At nunquam divus Bonaventura, doctor gravis et orthodoxus, adduxisset hoc exemplum Herodis tanquam *actum largitatis*, quod potius fuit factum impudicitiae et promissum levitatis et ebrietatis et prodigalitatis et stultitiae » etc. — Secundo Oudinus affert locum ex cap. 23, *De gradibus confessionis*, dicens: « Hic scriptor absurdissimus est, cum ait, esse *altum* gradum confessionis confiteri tantum uni sacerdoti, altiorem pluribus sacerdotibus saecularibus, sed altissimus confiteri pluribus sacerdotibus regularibus » (vide ipsa verba pag. 652, notam 4.). Multis verbis hanc absurdam doctrinam Oudinus exagitat. Valde miramur, quod, duce Sbaralea (Supplementum etc. pag. 150, n. 24.), Bonelli (loc. cit.) utrumque locum contra censuram Oudini levibus rationibus conatur defendere. Sed cum, ut diximus, non tantum hi duo loci, sed etiam alii plurimi et saepe inepti in nostris codicibus non inveniantur; superfluum est plura de talibus insertionibus disputare. Nostra igitur editio multo brevior est quam hucusque publicatae nec legenti praebet offendicula ita gravia sicut illae.

Attamen adhuc remanent rationes dubitandi, num haec Summa sit legitimum opus S. Bonaventurae. Iuxta elenchum codicum infra positum haec *Summa* inventa est in 20 msc., quorum 16 libellum attribuunt S. Bonaventurae, aliqui tamen hoc a secunda manu habent scriptum. Hi omnes inveniuntur in bibliothecis Germaniae et Austriae, excepto uno Bruxellensi, et quoad tempus, quo scripti sunt, non excedunt finem saec. XIV. Hinc codices argumentum irrefragabile pro genuinitate libelli non praebent. Quoad *interna* criteria fatendum nobis est, deesse in eodem vestigia notasque, quae in genuinis operibus ingenium et indolem Bonaventurae manifestare solent. Displicet praecipue, quod, cum secundum doctrinam communem et a seraphico Doctore saepe propositam virtus quaelibet consistat formaliter in *habitibus animae interioribus*, hic earum gradus saepius distinguuntur secundum *actus externos* et interdum potius *accidentales*, ut cum dicitur, gradum esse *altum*, si virtus brevi tempore exercetur, *altior*, si longo tempore, aliaeque distinctiones similes pluries occurrunt. Quapropter libellum reiiciendum esse inter dubia Bonaventurae opera censuimus.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 11923. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Hoc opusculum habetur fol. 160. r. cum rubrica: *Incipit formula aurea de gradibus virtutum doctoris seraphici sancti Bonaventure. Accedite ad Dominum* etc. Desinit ut in editione, fol. 171. — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. 12296. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 232. v. a rubrica: *Bonaventura de gradibus virtutum, et primo de charitate. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 237. r.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui per infinita secula seculorum vivit et regnat.* Sign. B.

3. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. X. B. 24. miscell. in fol. — Opusculum incipit fol. 133. v., cui alia manus posterior praemisit hunc titulum: *Summa aurea Bonaventure de gradibus virtutum. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 137. r.: *de eterna visione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen. Explicit summula aurea de gradibus virtutum Bone Venture 1392. secunda feria ante Michaelis Archangeli, in quatuor temporibus.* Sign. C.

4. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. class. in fol. 657. chart. saec. XV. circa medium. — Fol. 414. v. in superiore margine legitur: *Summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 419. r. verbis: *de eiusdem eterna visione. Ad quam nos perducat qui sine fine regnat et vivit. Amen. Das geschee.* Sign. E.

5. *Ibidem*, cod. I. class. in fol. 642. chart. saec. XV. ineuntis. — Incipit fol. 210. r. sine ullo titulo: *Infimus gradus charitatis* etc. Recens manus ad marginem scripsit: *De gradibus virtutum sancti Bonaventurae.* Desinit fol. 212. v. ut in praecedenti codice. Sign. D.

Quoad hos quinque codices notandum est, solum A, qui est saec. XVI. et probabiliter ex quadam typis expressa editione transcriptus, fere totum convenire cum ed. Vaticana. Ceteri vero inter se valde conveniunt, praesertim constanter in eo, quod insertiones tum sententiarum tum etiam paucorum verborum, quibus ed. Vaticana fere in omni linea corrupta est, penitus omittunt, sicut et prologum. Paucas eorum in aliis differentias alicuius momenti ad calcem notavimus.

II. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis non collati.

6. *Bremae*, bibliotheca Civitatis, cod. b. 9. chart. in 4. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. non numerato incipit hoc opusculum sine titulo et nomine auctoris verbis: *Altus gradus charitatis est diligere amicum* etc. Desinit: *tertius, sempiterna unione.*

7. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 5076-81. chart. in 4. saec. XV. post medietatem. — Fol. non numerato v. legitur: *Incipiunt capitula tractatus sequentis de gradibus virtutum.* Manus recens huic titulo praemisit haec verba: *Sanctus Bonaventura est auctor formulae.* Post indicem capitulorum: *Incipit formula aurea de gradibus virtutum. Accedite ad Dominum* etc. Desinit: *de eiusdem eterna fruitione. Quod nobis prestare dignetur qui est benedictus in secula seculorum Amen. Explicit tractatus de gradibus virtutum.*

8. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 554. D. D. II. 4. miscell. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit pag. 256 verbis: *Bonaventura de gradibus virtutum. Cum, sicut dicitur, Infimus gradus charitatis* etc. Desinit pag. 260 cum gradu de dolore ad verba: *cum baptizati in morte Xti mortalis vulnere sauciantur. Deo gratias.*

9. *Eistadii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 117. chart. in fol. saec. XV. — Opusculum incipit fol. non numerato ab hac rubrica: *Bonaventura de gradibus virtutum, et primo de charitate. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. r. penultimo codicis: *Altissimus de eterna eiusdem unione. Ad quam nos perducat qui cuncta secula regit. Per me Ulricum Pfeffel in die divisionis Apostolorum 1465. in Obern Eystet.*

10. *Gedani*, bibliotheca Ecclesiae sanctae Mariae, cod. 19. Schrank 39. miscell. in 4. saec. XV. — Hoc opusculum incipit fol. 148. v. sine titulo: *Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 173. v.: *eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat Deus. Amen.*

11. *Ibidem*, cod. 78. Schrank 267. miscell. in fol. saec. XV. circa medium. — Fol. 21. r.: *Incipit tractatus Bone venture, qui dicitur summa aurea. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 26. r.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat Ihesus Xtus. Amen. Explicit tractatus Bone venture, qui dicitur summa aurea.*

12. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. IX. C. 3. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 68. v. legitur: *Incipit summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum et primo de charitate, secundo* etc.; sequitur index capitulorum, deinde: *Infimus gradus* etc. Desinit fol. 71. v.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen. Explicit summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum.*

13. *Ibidem*, bibliotheca Capituli Metropolitani, cod. CXLV. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. — Fol. 157. r.: *Incipit summa Bonaventure cardinalis de gradibus virtutum. Infimus gradus*

charitatis etc. Desinit fol. 161. r. verbis: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Finis summe Bone venture de gradibus virtutum.*

14. *Ibidem*, cod. O. XXI, de quo egimus supra pag. XLVII n. 135. — Fol. 62. r. huic opusculo praemittitur: *Incipit summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 70. r. ut in praecedenti codice.

15. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 4171. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 138. v. legitur: *Incipit summa aurea Bonaventure de gradibus virtutum, et primo ponitur charitas: Infimus gradus* etc. Desinit fol. ultimo v.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen. Amen. Amen. Explicit summa aurea Bonaventure de gradibus virtutum... Anno Domini MCCCCXXXI.*

16. *Ibidem*, cod. 4550. chart. in 8. saec. XV. — Rubrica huius opusculi occurrit fol. 255. r. verbis: *Incipit summula aurea Bone Venture de gradibus virtutum;* hinc post tabulam graduum: *Et primo sequitur de caritate et de gradibus eius. Infimus gradus* etc. Desinit fol. 263. r.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen. Et in hoc terminatus est libellus, qui dicitur aurea summula de gradibus virtutum, finita feria sexta ante dominicam: Quasi modo geniti.*

17. *Ibidem*, cod. 4749. chart. in 4. saec. XV. — Huic opusculo praemittitur tantum: *De charitate* fol. 204. r.; hinc: *Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 210. r.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit et regnat Deus. Amen. Explicit.*

18. *Wolfenbuttae*, bibliotheca Ducalis, cod. Helm. 552. chart. in 4. saec. XV. circa medium. — Post medietatem voluminis fol. v. non numerato incipit hoc opusculum sine ullo titulo et nomine auctoris: *Accedite ad Dominum et illuminamini* etc. Magna pars opusculi deest.

19. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. class. in fol. 234. chart. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 220. r. cum rubrica: *Sequitur summula aurea de gradibus virtutum edita ab auctore devoto domino Vonavem cura* (sic) *ordinis Fratrum Minorum. Infimus gradus charitatis* etc. Desinit fol. 226. v.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducere dignetur... Explicit summula aurea de gradibus virtutum edita a venerabili doctore sacre theologie Bona Ventura.*

20. *Ibidem*, cod. IV. class. in fol. 185. chart. saec. XV. ineuntis. — Fol. 179. v.: *Incipit summula aurea Bonaventure de gradibus virtutum tractans. Altus gradus charitatis est diligere amicum* etc. Desinit fol. 183. v.: *de eiusdem eterna unione. Ad quam nos perducat qui sine fine* etc.

§ 4. *Collatio de contemptu saeculi.*

Opella haec incipit verbis: « Nota, septem sunt in mundo ». Ab Oudino (Commentarii etc. col. 420) atque a Sbaralea (Supplement. etc. p. 151) censetur ea esse *digna*, quae Bonaventurae attribuatur, a Bonelli (Prodrom. col. 566) *certa*, ab editoribus vero Venetis (Diatribae pag. 90) *dubia*.

Quoad has sententias observanda sunt quaedam ab istis viris non ponderata. Primo, hoc opusculum contextum est fere integre ex locis aliorum auctorum, quod ex multis notis nostrae editionis iam satis apparet; in Vaticana autem editione tres tantum loci ad marginem citati sunt. Sed praeter locos iam inventos ex ipsa aliarum sententiarum forma et inductionis argumento certi sumus, alias non paucas propositiones esse aliorum auctorum. Cum enim in libello isto non indicentur auctores, unde istae sint sumtae, impossibile saepe est ex campo quasi infinito antiquorum de asceticis rebus scriptorum coniectura invenire auctorem, in quo quaerenda sint haec effata. — Porro, inde etiam patet, non posse iudicari de stilo collectoris, qui pauca tantum verba aliorum locis addidit.

Secundo, opella non est nisi merum fragmentum, praesertim si meretur nomen *collationis*, quo nomine illa aetate quaedam *species* sermonum appellabatur, quae hora vespertina atque in forma magis familiari haberi solebat. Forma autem consueta *collationum* penitus, ut patet, deest; hinc ad summum dici potest *fragmentum* collationis. Fieri quidem potuit, ut S. Bonaventura sive alius praedicator de contemptu mundi collationem habiturus, locos illos paraverit et scripto notaverit. Alia enim suppositio, quod aliquis auditorum ex ore praedicantis principales sententias exceperit sive *reportaverit* (ut dicebatur), quod praedicante Bonaventura plerumque fieri solebat, nobis minus verosimilis videtur.

Tertio, quatuor codices infra notati sunt scripti in principio saec. XVI, postquam iam an. 1495 editio Argentina illam collationem typis expresserat, ita ut ex eadem librarii codicum ipsam transcribere potuissent. Etiam indiculi, qui opellam Bonaventurae attribuunt, pertinent ad saec. XVI. Hinc patet, exteriora haec testimonia valde debilia esse. — Haec omnia considerantes, nihil certi de auctore opusculi iudicari posse censemus.

Praeter memoratam ed. Argentin. libellus in lucem prodiit in ed. Veneta an. 1504 et pluribus subsequentibus. Versus est etiam in linguas Italicam, Hispanicam et Lusitanam.

Codicem Parisiensem duasque editiones Venetas cum Vaticana contulimus.

Elenchus codicum.

1. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis, ut iam descripsimus supra pag. XX n. 196. — Rubrica huius opusculi est fol. 101. v. sic expressa: *Incipit collatio sancti Bonaventure de contemptu mundi. Nota, septem sunt in mundo* etc. Desinit fol. 104, addito: *Explicit collatio sancti Bonaventure de contemptu mundi.* — Ex hoc solo codice varias lectiones referimus.

2. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 4615. chart. in 16. saec. XVII. ineuntis. — Opusculum est fol. 91. r. sub titulo: *Incipit collatio sancti Bonaventure de contemptu mundi. Septem sunt in mundo* etc. Desinit fol. 100. v. cum additione: *Finit collatio de contemptu seculi.*

3. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 11923. iam descriptus supra pag. LXXIII n. 36. — Hoc opusculum est fol. 196. r. sub rubrica: *Collatio de contemptu seculi.* Convenit cum editis et desinit fol. 199. v.

4. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3634. miscell. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 220. r. legitur: *Incipit collatio sancti Bonaventure de contemptu seculi. Nota, septem sunt in mundo.* Desinit fol. 225. r.: *fiducialiter futuram gloriam prestolari. Amen. Amen.*

§ 5. *Compendium de virtute humilitatis.*

Hic tractatus, qui est sine prologo atque incipit: *Ad altitudinem humilitatis videndam*, primo editus est a Bonelli (Supplementum etc., tom. III. col. 228 seqq.), qui illum (ibi et Prodrom. col. 741) conatur vindicare S. Bonaventurae, auctoritate cuiusdam codicis Bavarici tunc in Monasterio Pollingano existentis (loc. cit. col. 392 n. 29.). Auctor certe se ostendit esse ex Ordine Fratrum Minorum, quia laudat *Patrem* Franciscum. Quod autem S. Bonaventurae opusculum sit tribuendum, Bonelli etiam nonnullis rationibus evincere studet. Nos uni codici Bavarico alios plures testes adiunximus, sed tamen experientia multiplici edocti sumus, etiam magnum codicum numerum quoad auctorem alicuius scripti assignandum non raro fefellisse, praesertim si sunt sequioris aetatis. Aliae rationes a Bonelli allatae sunt levissimae. Primo vim facit in eo, quod in hoc scripto iidem auctores citentur, qui etiam Bonaventurae sunt familiares, ut Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Anselmus et Glossae. Sed vix unquam de rebus moralibus scribens aliquis auctor medii aevi est, qui illos Ss. Patres non soleat citare. — Porro, insistit in eo, quod auctor utitur nonnullis verbis minus Latinis, ut Bonaventura, et etiam quibusdam loquendi formulis, e. g. *unio Sponsi et sponsae fit per caritatem* etc. Sed hi loquendi modi non sunt soli Bonaventurae proprii; praeterea hoc eo facilius explicari potest, quia auctor opusculi certe fuit eiusdem cum Bonaventura Ordinis; unde praesumendum est, ipsum saltem aliqua scripta eiusdem legisse et probabiliter etiam ea quae Bonaventura de humilitate copiose docuerit. Nam praeter vere excellentem doctamque de humilitate *Quaestionem disputatam* (vide tom. V. pag. 117) integrum capitulum de hac virtute scripsit in libello de *Perfectione* ad *Sorores* (Opusc. VI. huius tomi), in *Regula novitiorum* (Opusc. XX.) et alibi passim, praesertim in Commentariis in Scripturam. Praedictam *Quaestionem disputatam*, a nobis primo publicatam, si Bonelli legisset, facile cognovisset, quantum intersit inter illam genuinam Quaestionem et hunc tractatum, pium licet et non contemnendum. — Attentione praesertim dignae sunt rationes, quibus c. 3. n. 3. seqq. explicatur, quomodo homo veraciter se posset reputare omnibus hominibus inferiorem. Doctrina in eodem tractatu contenta bene respondet eis quae in multis locis genuinorum operum Bonaventurae occurrunt. Et cum sine prologo et epilogo hic tractatus inveniatur, nobis valde probabile videtur, illum secundum aliquem sermonem sancti Doctoris ab alio auctore redactum esse in hanc formam.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu editionis Bonelli collati.

1. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 18651, quem iam supra descripsimus pag. XVIII n. 159. — Rubrica huius opusculi est fol. 168. v. his verbis expressa: *De virtute humilitatis Bonaventura. Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 172. r.: *credit aliis mala propter se venire.* Alia manus eiusdem aevi addit: *Explicit compendium sancti Bonaventure de virtute humilitatis.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. 19817. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 57. r. sine titulo: *Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 62. v.: *vitam nostram ferventioribus studiis prevenire. Explicit Bonaventura de humilitate.* Sign. B.

3. *Ibidem*, cod. 5014. chart. in 8. saec. XV, de quo et supra pag. XXXIII n. 141. — Fol. 99. r. incipit sine ulla rubrica: *Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 111. ut in editione. Sign. C.

4. *Ibidem*, cod. 3037. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 178. r.: *Tractatus Bonaventure de perfectione humilitatis. Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 181. r.: *ferventioribus studiis preiret.* Sign. D.

5. *Ibidem*, cod. 4775. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 40. v. legitur: *Bonaventura de humilitate perfecta. Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 49. v.: *ferventioribus studiis preiret. Explicit de humilitate Bonaventure.* Sign. E.

6. *Ibidem*, cod. 11740. chart. in 4. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 100. r. verbis: *Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 115. r. ut praecedens, addito: *Explicit Bonaventura de humilitate.* Sign. F.

Hi sex codices, exceptis paucis vitiis et rebus nullius momenti, ita perfecte conveniunt, ut eandem familiam constituant.

II. Codices a nobis non collati.

7. *Basileae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. X. 6. membr. in 8. saec. XIV. — Hoc opusculum incipit post alia fol. non numerato r.: *Ad videndam altitudinem humilitatis attendamus* etc. Desinit c. 3. n. 4. verbis: *hoc ipsum ignorabit anima mea. Hec dicta sufficiant.*

8. *Erfordiae*, bibliotheca Regia, cod. 16. chart. in 8. saec. XV. — Opusculum incipit fol. 4. r. sine titulo: *Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 6. v. cum additione: *Explicit de humilitate perfecta.*

9. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1649. chart. in 12. saec. XVI. ineuntis. — Post alia opera fol. non numerato sequitur: *Tractatus de humilitate. Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. r.: *ferventioribus studiis prevenire. Explicit Bonaventura de humilitate.*

10. *Herbipoli*, bibliotheca Universitatis, cod. q. 106. chart. saec. XV. — Fol. 268. r.: *Incipit tractatus Bonaventure de humilitate. Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 279. r.: *ferventioribus studiis preire. Explicit tractatus brevis et utilis de humilitate a devoto doctore Bonaventura compilatus.*

11. *Mellicii*, bibliotheca Monasterii, cod. N. 7, de quo egimus tom. V. pag. XXX n. 64. — Hoc opusculum incipit sine titulo fol. 24. r.: *Ad altitudinem humilitatis videndam* etc. Desinit fol. 24. v. verbis: *vitam nostram ferventioribus studiis prevenire. Explicit Bonaventura de humilitate.*

12. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 4619. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 109. r.: *Incipit tractatus domini Bonaventure de humilitate. I. capitulum. Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 132. v. cum additione: *Explicit Bonaventura de humilitate. Deo gratias.*

13. *Ibidem*, cod. 7338. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 110. r.: *Incipit tractatus de humilitate Bonaventure. Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 119. r.: *ferventioribus studiis preiret.*

14. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1713, iam descriptus supra pag. LXXXIV n. 64. — In superiori parte folii 124. legitur: *Incipit tractatus eiusdem sancti Bonaventure de humilitate. Ad altitudinem humilitatis* etc. Desinit fol. 127. v.: *ferventioribus studiis preire. Explicit tractatus sancti Bonaventure de virtute humilitatis, doctoris seraphici.*

§ 6. *Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem.*

Haec incipit verbis: « In Christo carissimo », quae nec inter opera S. Bonaventurae nec, quod scimus, alibi hucusque impressa est. Ipsa invenitur in 5 codicibus msc., quorum 4 eam habent immediate post *Speculum disciplinae*, cum quo et quoad principia doctrinae et quoad stilum optime convenit, ita ut utrumque scriptum eiusdem auctoris esse suspicari quis possit. Quae coniectura confirmatur testimonio boni codicis, quem infra in elencho codicum (n. 5.) ex Hauréau attulimus. Disertis enim verbis ibi utriusque auctor ille Fr. Bernardus de Bessa dicitur.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis collati.

1. *Berolini*, bibliotheca Regia, cod. theol. lat. 153. chart. in 4. saeculi XV. post medietatem. — Post opusculum *Speculum disciplinae* fol. 66. sequitur: *Incipit epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem. In Xto Iesu sibi carissimo fratri salutem in Domino confortari. Vidi, carissime, faciem tuam* etc. Desinit fol. 73. r.: *Opto, ut in Xto valeas et in eius amore semper proficias. Amen.* — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem*, cod. theol. lat. 172, iam descriptus supra pag. XCVII n. 8. — Etiam in hoc codice epistola sequitur opusculum *Speculum disciplinae;* incipit fol. 51. v. sine titulo: *Vidi, carissime* etc. Desinit fol. 55. v. ut in praecedenti codice. Sign. B.

Hi duo inter se semper conveniunt, exceptis paucissimis locis ad calcem notatis.

3. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 18327, de quo egimus supra pag. LXIX n. 24. — Incipit fol. 174. r. his verbis: *Epistola alia eiusdem ad quendam novitium: Vidi, carissime* etc. Desinit fol. 179. r. ut superius. Sign. C.

Hic plures habet errores librarii quam A B, sed quoad sententias convenit.

II. Codices a nobis non collati.

4. *Groningae*, bibliotheca Universitatis, cod. C. f. 1 chart. in 4. saec. XV. ante medietatem. — Fol. 55. r. post verba: *Explicit de Disciplina*, sequitur: *Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem. In Ihesu Xto sibi carissimo fratri. Vidi, carissime, faciem tuam* etc. Desinit fol. 60. v.: *Opto, ut in Xto valeas et in eius amore semper proficias. Amen.*

5. Alium codicem invenimus relatum ab Hauréau; de quo vide supra pag. XCVIII n. 25. Post *Speculum disciplinae*, quod tribuitur *Fr. Bernardo de Bessa*, sequitur haec *Epistola ad quendam novitium insolentem et instabilem* et additur: *Eiusdem, cuius et Speculum disciplinae.*

§ 7. *Opuscula rhythmica.*

Difficile est de auctore horum carminum, quorum quinque sub hoc titulo publicamus, iudicium omnino *certum* ferre; unde opportunum visum est, illis inter dubia opuscula locum dare. Plura de hoc dicta sunt infra pag. 667, nota 1.

Num. I. *Laudismus de sancta cruce.*

De hoc hymno notandum est, illum exstare in 20 codicibus infra relatis, quorum solummodo duo (n. 4, qui hymnum tribuit *Bernardo*, et n. 12, sine nomine auctoris) pertinent ad saec. XIV, alii posterius scripti sunt. *Repertorium hymnologicum* Chevalier (tom. II. pag. 448 n. 17045.) alium cod. refert bibliothecae Civitatis Gratianopolis (Grenoble), cod. 406, 24b; et ibi de auctore annotatur: « S. Bonaventura (S. Bernardus!) ». Quod S. Bernardo hymnus hic tribuendus sit, non videtur probabile; remanet igitur Bonaventura, qui verisimilius est auctor, quia hoc testantur praeter cod. Gratianopolitanum alii 15 infra relati, consentientibus Sbaralea et Bonelli (Prodrom. col. 662).

Porro notandum est, post stropham 24. (vel 22.) cum voce *Amen* hymnum terminare in D et aliis codd., nempe sub n. 11, 12, 16. relatis. In cod. Oxoniensi (n. 14.) post integrum nostrum hymnum immediate sequitur alius, qui incipit a stropha 23: *Recordare, frater pie, Septem vicibus in die* etc. Hanc partem etiam Chevalier (Repertor. n. 17040.) ut hymnum specialem refert, qui in cod. saec. XV. tribuitur S. Bernardo et habetur pluries in aliis codicibus, ast sine nomine auctoris. Ex ipso etiam contextu verisimile esse videtur, vel duos hymnos fuisse in unum coniunctos, vel saltem unum insertionibus auctum.

Denique observamus, in strophis 36. et 37. verba: « Quidquid agas — Crucifixi fige plagas », et alia: « Crucifixe, fac me fortem — Ut libenter tuam mortem — Plangam, donec vixero. — Tecum volo vulnerari, — Te libenter amplexari — In cruce desidero », ita convenire cum notis versibus Sequentiae *Stabat Mater*, ut vix negari possit, auctorem unius hymni, quicumque sit, imitatum esse alterum.

Elenchus codicum.

I. Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Dusseldorpii*, bibliotheca Civitatis, cod. chart. in 8. saec. XV. — Hoc carmen incipit fol. 149. r. a rubrica: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus et cardinalis cordis de visceribus. Recordare sancte crucis* etc. Desinit fol. 152. r.: *Mihi donet veniam. Amen.* — In hac nostra editione signatur littera C.

2. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 9003. chart. in 4. saec. XV. ante medietatem. — Incipit fol. 210. r. Desinit ibidem v. ut in editione; additur: *Laudismus sancte crucis a fratre et domino Bonaventura ordinis Minorum, cardinali episcopo Albanensi, magistro sacre pagine et doctore eximio.* Sign. A.

3. *Ibidem*, cod. 19139. chart. in 16. saec. XV. circa finem. — Fol. 2. r.: *Incipit laudismus sancti Bonaventure de sancta cruce.* Desinit fol. 9. r. cum additione: *Explicit laudismus de sancta cruce.* Sign. B.

4. *Romae*, bibliotheca principum Corsini, cod. 41. E. 28. membr. saec. XIV. — Fol. 117. v.: *Incipiunt versus sancti*

Bernardi de laudibus sancte crucis. Desinit, ut notatur in editione pag. 668 nota 10. ad versum: *Nonam, completorium. Amen*. Sign. D.

Ex his codicibus et editione, quae est sine indicatione loci, sed, ut videtur, an. 1484 impressa, collegimus varias lectiones, quae paucae fuerunt.

II. Codices a nobis non collati.

5. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 2775. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 28. r. rhythmo praemittitur haec rubrica: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Desinit fol. 31. r.: *Mihi donet veniam. Amen*.

6. *Ibidem*, cod. 2662. chart. saec. XV. circa medietatem. — Laudismus incipit fol. 77. r. a rubrica ut in codice praecedenti. Desinit fol. 80. r.: *Mihi donet gloriam. Amen*.

7. *Ibidem*, cod. 2242. miscell. saec. XV. post medium. — Laudismus incipit fol. 49. v. ab eadem rubrica, quae legitur in praecedentibus. Desinit fol. 51. r. cum additione: *Explicit laudismus sancte crucis editus a fratre et domino Bonaventura ordinis Minorum, cardinali episcopo Albanensi, magistro sacre pagine et doctore eximio*.

8. *Erfordiae*, bibliotheca Regia, collectio Erfordiens. cod. 2. miscell. in 4. saec. XV. — Fol. non numerato r.: *Incipit laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Eadem repetuntur folio sequenti r. post *Explicit*.

9. *Ibidem*, collect. Amplon. cod. 147. chart. in 4. saec. XV. — Laudismus incipit fol. 38. v. sine titulo; desinit fol. 39. r. cum additione: *Explicit laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus. Deo gratias*.

10. *Ibidem*, cod. 206. chart. saec. XV. — Rhythmo praemittitur: *Laudismus Bonaventure de sancta cruce*.

11. *Leodii*, bibliotheca Seminarii, cod. 6. M. 27. miscell. in 4. saec. XV. exeuntis. — Fol. non numerato circa finem voluminis legitur: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Desinit stropha 24. ad versum: *Adhibendo studium*.

12. *Londini*, bibliotheca Cottoniana, cod. Faustina A. VI, de quo egimus supra pag. XVII n. 123. — Incipit fol. 157. cum rubrica a manu posteriore scripta: *Ritmus seu sequentia de sancta cruce*. Desinit fol. 157. r.: *corde, ore, opere* (stropha 22.).

13. *Mediolani*, bibliotheca Universitatis, cod. A. D. 25. chart. in 4. saec. XV. exeuntis. — Laudismus incipit fol. v. non numerato sine titulo et nomine auctoris. Desinit stropha 24: *Nonam, completorium*.

14. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, cod. Canonic. 303. chart. in 4. saec. XV. (1433.). — Laudismus incipit fol. 121. cum hoc titulo: *Bernardus in passione Domini. Recordare sancte crucis* etc. Desinit fol. sequenti r. hoc modo: *Duc nos ad eterne lucis — Gloriosa gaudia. Amen*. Deinde fol. eodem v. sequitur sub hac rubrica: *Istos versiculos composuit beatus Bernardus loquens de Xti passione: Recordare, frater pie, Septem vicibus in die* etc. Desinit fol. 123. r. verbis: *Donet nobis veniam. Amen*.

15. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. a. 8. miscell. saec. XV. — Laudismus incipit fol. 1. r. sine titulo et desinit fol. seq. r. ut praecedens codex: *Duc nos ad eterne lucis — Gloriosa gaudia*.

16. *Romae*, bibliotheca principum Chisianorum, cod. G. IV. 85. miscell. saec. XV. exeuntis. — Fol. 90. v.: *Incipit liber, qui vocatur lignum vite sancti Bonaventure cardinalis. Recordare sancte crucis* etc. Desinit stropha 24. versu: *Nonam, completorium. Explicit*.

17. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. b. I. 20. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 242. r.: *Sequitur laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Desinit fol. 246. r.: *Mihi donet veniam. Amen*.

18. *Tiguri* in Helvetia, bibliotheca Cantonalis, cod. CLVI. membr. anni 1499. — Incipit pag. 197 sub hac indicatione: *Laudismus sancti Bonaventure de sancta cruce*. Desinit pag. 205: *Mihi donet veniam. Amen*.

19. *Ulmae*, bibliotheca Civitatis, cod. 1519. 3. XIV. E. 1. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 256. v. habetur: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus*. Desinit fol. 257. v.: *Mihi donet veniam. Amen*.

20. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3655. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 43. v.: *Laudismus de sancta cruce, quem cecinit venerabilis Bonaventura episcopus cardinalis cordis de visceribus. Recordare sancte crucis* etc. Desinit fol. 46. r.: *Mihi donet veniam*.

Num. II. *Philomena*.

Hoc canticum incipit sic: *Philomena, praevia temporis amoeni*. In citato Repertorio hymnolog. tom. II. pag. 314 n. 14898, de eodem dicitur: « Vita et beneficia Christi (Ioannes Hovedenus, Ioannes Pekam) S. Bonaventura » etc. Diversis auctoribus opusculum tribuitur, de quo vide pag. 669, notam 3. Oudinus, editores Veneti, Fabricius, Sbaralea favent Ioanni Hovedeno, Anglo auctori saec. XIII. Huic recte contradicit Bonelli (Prodrom. col. 660); quod nos hac ratione confirmamus, quia iste aliam omnino composuit Philomenam. Hoc satis demonstrat cod. infra n. 15. relatus, qui in *Catalogo codicum msc. Laudianorum* (Oxonii 1858) ita describitur: « Cod. 368. membran. in 4. ff. 223 saec. XIII. XV. et XIV. quoad partem posteriorem, columnis binis, hic illic tribus exaratus » etc. Sub n. 7: « Iohannis Hoveden Londinensis poema de vita et passione Christi Philomela (sic!) dictum fol. 168 tit., Incipit Philomena vocata, scilicet meditatio Ioannis Hoveden clerici regine Anglie, de nativitate, passione et resurrectione edita, ut legentis affectio celitus accendatur. Incip.:

Ave, verbum, ens in principio,
Caro factum, pudoris gremio,
Fac quod fragret presens laudacio
Et placeris parvo praeconio ».

Desin.: « Letus amor, letus in lilio,
Qui es verbum, ens in principio ».

In calce: « Explicit meditacio Ioannis de Hovedene, clerici, que vocatur Philomena ». — In eodem codice invenitur sub n. 13. fol. 246: « Meditacio fratris Ioannis de Pekam », ut infra in elencho n. 15.

Quoad nostros codices nullus est, qui memoret illum Hovedenum; duo (infra n. 5. seq.) auctorem nominant Bernardum; unus (n. 23.), Alanum; duo (n. 15. et 26.), Pecchamum; quatuor (n. 7. 11. 19. 20.), Bonaventuram; septemdecim tacent de auctore et hi fere omnes sunt antiquiores.

Praeter Hovedenum nec Bernardus nec, ut videtur, Alanus probabilitatem habent. Remanent igitur Pecchamus et Bonaventura. In cod. n. 26. nomen Pecchami a manu posteriore additum est, in altero vero, qui videtur esse saec. XIV, est a prima manu. Quatuor illi qui favent Bonaventurae, sunt saec. XV. Hinc satis patet, auctoritate nostrorum codicum nihil de hac re certo constare posse. Quoad criteria de indole huius hymni sumta *sententiae* carminis non sunt indignae, quae Bonaventurae attribuantur, sed *stilus* secundum iudicium nostrum ei minus congruit, et hac ratione ipsum potius Pecchamo ascribendum esse videtur. — Philomena saepe versa est in linguas recentiores, in linguam Germanicam ab eminentissimo cardinali Diepenbrock, principe episcopo Vratislaviensi, et etiam ab egregio poeta Lebrecht Drewes.

Lectiones varias praecipue sumsimus ex ed. 1, quae repraesentat codicem non nominatum; contulimus etiam cod. mutilum, sub n. 12. relatum saec. XIV. ineuntis (sign. A), qui habet tantum 12 strophas, et alium Parisiensem (B), cuius paucas strophas contulit Hauréau (cfr. infra pag. 669, nota 3.).

Elenchus codicum.

1. *Asciburgii* (Aschaffenburg), bibliotheca . . . , cod. 153. chart. in 4. saec. XV. — Circa finem voluminis fol. r. non numerato est rubrica sequens: *Rigmus* (sic) *pulcher de Philomena mistica, id est anima sancta. Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. sequenti v. verbis: *Sic concede mori nos, Xte, quos lavisti. Explicit rigmus pulcher de Philomena mistica, id est de anima sancta. 1466.*

2. *Brugis*, bibliotheca maioris Seminarii, cod. 88. membr. in 8. saec. XIV. — Post opusculum de Brevitate vitae sub nomine Alcuini: *Incipiunt versus de Philomena.* Desinit fol. 32. v: *Sic concede mori, Xte, quos lavisti.* Sequitur: *Tabula de Philomena contra cultores idolorum inducta. Ante omnia accede ad eam* etc.

3. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, cod. 2196-2215. membr. saec. XIV. — Praemittitur: *Devota meditatio vel contemplatio spiritualis anime ad excitandum amorem Dei in se, facta ad comparationem nature Phylomene.* Desinit: *Nupta felicissime Regi seculorum. Explicit meditatio Philomena.* Nomen auctoris desideratur.

4. *Cantabrigae*, bibliotheca Universitatis, cod. Dd. IV. 35. in catal. 210. miscell. saec. XV. — Incipit sine titulo et nomine auctoris fol. 41. r. Desinit fol. 45.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare. Amen.*

5. *Coloniae*, bibliotheca Civitatis, cod. I. 4. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Opusculum incipit circa medietatem voluminis fol. r. non numerato a rubrica: *Carmen de Philomena mistica b. Bernardi.* Desinit: *Sic concede mori, Xte, quos lavisti. Explicit moralisatio b. Bernardi de Philomena, quam destinat sorori suae.*

6. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 80. miscell. in 8. saec. XV. exeuntis. — Carmen hoc incipit fol. 181. r.: *Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit ut in codice praecedenti cum hac additione: *Explicit moralizatio beati Bernardi abbatis de Philomena, quam sue proprie destinavit sorori, ut patet intuenti.*

7. *Donaueschingen*, bibliotheca principis Fürstenberg, cod. 31. chart. in 4. exaratus anno 1495. — Fol. 27. r. legitur: *Philomena, aptata passioni Domini per septem horas canonicas, doctoris seraphici sancti Bonaventure.* Desinit fol. 29. r.: *Nupta felicissimo Regi seculorum. Deo gratias.*

8. *Duaci*, bibliotheca Civitatis, cod. 503. miscell. in 4. saec. XV. ineuntis. — Fol. 168. v.: *Incipit Philomena theologie reducta ad passionem Domini.* Desinit fol. 170. v.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare. Amen.*

9. *Gottwicii*, bibliotheca Monasterii, cod. 121. (192.) membr. in 4. saec. XIV. — Carmen incipit fol. 1. v. sine titulo et nomine auctoris: *Philomena previa temporis ameni.* Desinit fol. 5. r. verbis: *Nupta felicissimo regi seculorum. Amen.*

10. *Londini*, bibliotheca Musaei, collectio Regia, cod. 8. G. VI. miscell. in fol. saec. XV. — Post alia opera fol. 124. r. sequitur haec rubrica: *Ceterum ad excitandum mentem fidelis ad devotionem hic subiicitur tractatus de cantu Philomene mortis appropinquantis, per horas diei distincto, ubi comparatur Philomena mistice anime xtiane meditanti statum et opera Salvatoris ab incarnatione usque ad mortem. Sic igitur alloquitur tractator Philomenam: Philomena previa temporis ameni.* Desinit fol. 144. r. verbis: *Ut nos cantus martiris doceat cantare.*

11. *Lovanii*, bibliotheca Universitatis, cod. 15. A, iam descriptus supra pag. XXXI n. 100. — Hoc carmen incipit fol. 58. r. sine titulo: *Philomena previa temporis ameni.* Desinit fol. 62. v. cum additione: *Finit hoc dictamen devotissimi doctoris beati Iohannis Bonaventure de Philomena.*

12. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. 556. progress. CCCXI. membr. saec. XIV. ineuntis. — Rubrica huius carminis est fol. 37. v. his verbis: *Contemplatio sumpta a natura philomene ad conversationem Xti. Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit incompleta fol. 38. v.: « sancte spei » (stropha 13.).

13. *Oxonii*, bibliotheca Bodleiana, cod. Rawlinson. A. 389. miscell. in fol. saec. XV. ineuntis. — Post alia opera fol. 21. r. sequitur: *De cantu Philomene. Ceterum ad excitandum mentem fidelium ad devotionem hic subiicitur tractatus devotissimus de cantu philomene mortem appropinquantis, per horas diei distincto, ubi comparatur philomena mistice anime christiane meditantis* (sic) *statum et opera Salvatoris ab incarnatione usque ad mortem. Sic igitur alloquitur tractator philomenam: Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. 25. v.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare.*

14. *Ibidem*, cod. 348. membr. saec. XV. — Hoc carmen incipit fol. 51. a 2. versu strophae 36: *Sitim, famem, frigora, estus et sudores.* Desinit incompletum versu: *Dic, dic dulcis.* Cetera desiderantur.

15. *Ibidem*, cod. Laudian. 368. membr. in 4. plurium aetatum, saec. scilicet XIII, XIV. et XV. — Fol. 168. est *alia* Philomena Ioan. Hoveden, quae incipit: *Ave verbum;* de qua vide quae supra diximus; sequitur fol. 226. haec rubrica: *Meditatio fratris Ioannis de Peccham, quondam Cantuarie archiepiscopi,*

de ordine fratrum Minorum, que vocatur Philomena. Philomena previa temporis ameni. Desinit cum additione: *Explicit Philomena Peccham. Deo gracias.*

16. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, cod. 5663. membr. in 8. saec. XV. — Incipit hoc carmen fol. 37. r. sine ullo titulo et nomine auctoris: *Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. 48. v.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare. Amen. Explicit tractatus Philomene.*

17. *Ibidem,* cod. 10710. in 12. saec. XV. — Carmen incipit fol. 111. v. absque ullo titulo et nota auctoris. Desinit fol. 120. r.: *Ut nos cantus martiris doceat cantare. Amen.*

18. *Ibidem,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 602. miscell. in 4. saec. XV. — Philomena incipit fol. 31. v. sine ulla rubrica et desinit fol. 37. r. ut in codice praedecenti.

19. *Ibidem,* bibliotheca Arsenalis, cod. T. L. 531. miscell. saec. XV. exeuntis. — Post alia opera fol. r. non numerato: *Incipit ritmus sancti Bonaventure de mistica Philomena. Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. r.: *Ut me cantus martiris doceat amare. Explicit Bonaventura de mistica Philomena.*

20. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii s. Petri, cod. b. I. 20. chart. in 8. saec. XV. — Fol. 223. r.: *Incipit Philomena aptata compassioni Domini per septem horas canonicas doctoris seraphici sancti Bonaventure.* Desinit fol. 233. v.: *Nupta felicissimo Regi seculorum. Amen.*

21. *Sancti Audomari,* bibliotheca Civitatis, cod. 361. chart. in 4. saec. XIV. (1373). — Fol. 150. r.: *Incipit de anima salvata, que per Philomenam intelligitur.* Desinit fol. 155. v.: *Nupta felicissimo Regi saeculorum.*

22. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, cod. Hospital. 192. chart. in fol. saec. XV. — Hoc carmen incipit fol. 71. v. sine titulo et sine nomine auctoris: *Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. 173. v.: *Ut me cantus martiris doceat cantare.*

23. *Stamsii* in Tyroli, bibliotheca Monasterii, cod. 41. membr. in 8. saec. XV. — Fol. 16. r. habetur: *De Philomena Alani sub nota: Ave, vivens Hostia. Philomena brevia* (sic) *temporis ameni.* Desinit fol. 22. v.: *Ut me cantus martiris doceat cantare. Explicit Philomena Alani, poete eximii, sub nota: Ave, vivens Hostia. Epitaphium Alani poete:*

> Alanum brevis hora, brevi tumulo sepelivit,
> Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit.

24. *Veronae,* bibliotheca Civitatis, cod. 793. chart. in 4. saec. XV. — Fol. 246. v. post alia opera: *Sequitur tractatus Philomene,* omisso nomine auctoris. Desinit fol. 252. v. ut in editione.

25. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 4547. chart. saec. XIV. exeuntis. — Hoc carmen incipit sine ullo titulo fol. 141. r.: *Philomena previa temporis ameni* etc. Desinit fol. 150. r.: *Nupta felicissimo Regi Angelorum. Amen.*

26. *Ibidem,* cod. 883. membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 101. r. recens manus praemisit: *Ioh. de Pekham. Philomena previa temporis ameni* etc. Carmen multas exhibet lectiones diversas ab impressis. Desinit fol. 104. r. verbis: *Post hanc vitam suscipit Iesus et Maria.*

Alii codices notati sunt scripti post finem saec. XV, qui fere omnes Bonaventurae hymnum tribuunt.

Num. III. *De septem verbis Domini in cruce.*

Hoc canticum incipit: « Iesu, salutis hostia, salutis sacrificium »; de eo vide pag. 674, notam 3. Exstat in ed. Argentina an. 1495 et subsequentibus et etiam in *Supplemento* Bonelli, tom. III, qui usus est codice ab ipso non nominato. Ad emendandum textum adhibuimus lectiones varias collectas ex editione Bonelli, ex codice Florentino a Sbaralea transcripto et ex altero Parisiensi a nobis collato. Praeter hos codices tantum alios duos in elencho relatos cognoscimus. Nomen Bonaventurae invenitur solummodo in valde recenti cod. Parisiensi et in Salisburgensi, qui est saec. XV. exeuntis.

Deficientibus antiquioribus testimoniis, hymnus adnumerandus est dubiis opusculis. Indicatur in citato *Repertorio hymnolog.* tom. I. pag. 585 n. 9676.

Elenchus codicum.

I. Codex a nobis cum textu editionis Vaticanae collatus.

1. *Parisiis,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Praesens opus est fol. 119. r. sub hac rubrica: *Incipit opus seraphici doctoris sancti Bonaventure valde devotum de septem verbis Domini nostri Iesu Xti in cruce. Primum verbum. Ave, salutis hostia* etc. Desinit fol. 121. v.: *Et vite donum tribuat. Amen. Explicit opus sancti Bonaventure valde devotum de septem verbis Domini nostri Iesu Xti in cruce.* Hunc solum nos ipsi contulimus.

II. Codices a nobis non collati.

2. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. 9084. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 91. v.: *De septem verbis Domini in cruce. Primum verbum.* Desinit fol. 93. v.: *Et vite donum tribuat.*

3. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii S. Petri, cod. b. I. 20. chart. saec. XV. exeuntis. — Fol. 216. v.: *Incipit opus sancti Bonaventure valde devotum de septem verbis Domini nostri Iesu Xti in cruce. Primum verbum.* Desinit fol. 223. r.: *Et vite donum tribuat. Amen. Explicit opus de septem verbis Domini sancti Bonaventure.*

Num. IV. *Planctus de Passione Domini.*

Hic hymnus incipit: « Plange, fidelis anima », quem transcripsimus ex duobus codd. Romanis infra relatis, quorum antiquior eum attribuit Bonaventurae, alter vero S. Bernardo. Invenitur etiam annotatus in citato *Repertorio* (tom. II. pag. 318 n. 14954.) his verbis: « Passio Dom. Planctus. 32 $\times$ 4. (XIV. saec.) Mss. Grenoble 49, 76b; Marseille 67, 130; Roth, 18-20 ». Nomen auctoris ibi desideratur. Non est indignus, qui Bonaventurae tribuatur.

Elenchus codicum.

1. *Romae,* bibliotheca principum Corsiniorum, cod. 41. E. 28. membr. in 4. saec. XIV. — Fol. 114. v.: *Incipit meditatio beati Bonaventure de passione Domini nostri Iesu Xti. Plange, fidelis anima* etc. Desinit fol. 117. r.: *Iungaris in celestibus. Amen. Finis.* — In nostra editione signatur littera A.

2. *Ibidem,* bibliotheca Collegii sancti Isidori Hibernorum, cod. 1. 88. chart. saec. XV. — Fol. 104. r. incipit hic hymnus cum nomine D. Bernardi. Sign. B.

Num. V. *Corona B. Mariae Virginis.*

Hoc parvum Officium incipit verbis: « Cum iucunditate », de quo plura diximus pag. 677, nota 6. Separatim hymnus huius Officii: « Gaude, Virgo, Mater Christi », invenitur, ut ibi dictum est, multipliciter mutatus et auctus apud Mone (Hymni Latini, tom. II. pag. 162 seqq.) et apud Sbaraleam (Supplementum ad Scriptores etc. pag. 149). Opusculum hoc attribuitur a Sbaralea et Bonelli S. Bonaventurae, quod etiam duo codices nobis noti confirmant.

Elenchus codicum.

1. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii sancti Petri, cod. b. I. 20. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Hoc opus incipit fol. 53. r. cum indicatione: *Sequitur corona de beata virgine Maria ordinata a sancto Bonaventura. Cum iucunditate nominis Marie memoriam* etc. Desinit fol. 55. r. addito: *Finit corona beate virginis Marie.*

2. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, cod. 3655. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Incipit fol. 46. r. sub rubrica: *Corona de beata Maria virgine ordinata a sancto Bonaventura.* Desinit fol. 47. v.: *ne te nihil negans honoret. Qui cum Deo Patre* etc.

§ 8. Opportunum videtur post haec opuscula rhythmica in Appendice posita de aliis Rhythmicis editis et Bonaventurae attributis pauca dicere, quae inter *spuria* reiicienda esse censemus.

Num. I. *Officium de Compassione B. Mariae Virginis* (Vat. tom. VI. pag. 485).

Hoc opusculum incipit: « Cum Maria Virgine ». Oudinus (loc. saepe cit. tom. III. col. 407), quem sequuntur editores Veneti (Diatribae pag. 130), censet, hoc Officium esse « prorsus indignum, quod viro gravi et prudenti tribuatur ». Sbaralea (Supplementum etc. pag. 158) hoc confirmat dicens, illud esse ineptam imitationem Officii Bonaventuriani de Passione Domini et abundare phrasibus prudente et docto viro prorsus « indignis: *emplastris poenitentiae, Iudaeos in furore, moeroris moticus* etc. confertis ». Idem (pag. 50 col. II.) putat, illud esse « compositum circa annum 1422, quo Theodoricus, archiepisc. Coloniensis, in synodo contra Wiclifitas coacta inter alia decrevit, ut festum *Compassionis B. Virginis* solemniter deinceps celebretur singulis annis feria VI. post Dominicam III. Paschatis, ut etiam observavit Spondanus in continuatione Annalium ad eundem an. n. 10 ». Sed dicendum, iam antea hoc Officium fuisse compositum, cum illud occurrat in tribus codd. (n. 2. 4. 12.) infra relatis, qui tribuuntur saec. XIV. saltem exeunti. — Bonelli (Prodrom. col. 696 seqq.) nititur quidem rationes Oudini refellere, tamen ipse confitetur, hoc Officium multum differre ab alio Officio de Passione Domini et esse « incertum et dubium ». Nos vero opinamur, illud esse prorsus illegitimum, sicut nec ullo antiquo testimonio sive indiculorum sive codicum est probatum. Inter duodecim codd. infra relatos *unus* an. 1516 exaratus praefert Bonaventuram auctorem, *duo* saec. XV. Ioannem Papam XXII, *alii novem* tacent de auctore.

Elenchus codicum.

1. *Augustae Trevirorum,* bibliotheca Publica, 141. progress. 659. chart. saec. XV. *Anonym.* — 2. *Darmstadii,* bibliotheca Ducalis, 1481. chart. saec. XIV. exeuntis. *Anonym.* — 3. *Herbipoli,* bibliotheca Minorum Conventualium, I. 144. membr. saec. XV. *Anonym.* — 4. *Londini,* bibliotheca Musaei, collect. Cottoniana, Faustina A. VI. chart. saec. XIV. exeuntis. *Anonym.* — 5. *Matriti,* bibliotheca Nationalis, B. b. 158. membr. saec. XV. *Anonym.* — 6. *Sancti Galli,* bibliotheca Monasterii, 482. chart. saec. XV. *Anonym.* — 7. *Ibidem,* 485. chart. *Fecit papa Iohannes XXII.* — 8. *Sancti Pauli* in Carinthia, Blas. 76. membr. anni 1516. *A sancto Bonaventura dispositum.* — 9. *Solothurni,* bibliotheca Civitatis, (num. vacat) membr. saec. XV. *Anonym.* — 10. *Tiguri,* bibliotheca Cantonalis, CLVIII. membr. saec. XV. *Composuit Iohannes papa XXII.* — 11. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, 3576. chart. saec. XV. *Anonym.* — 12. *Wismariae,* bibliotheca Ducalis, O. 62. membr. saec. XIV. *Anonym.*

Num. II. *Opus contemplationis* (Vat. tom. VI. pag. 440).

Incipit: « Iesus ineffabilis ». Illud reprobat praeter Oudinum et editores Venetos etiam Sbaralea (*Supplementum* etc. pag. 158 col. II.), qui de eo dicit: « Indignum est S. Doctore, cum sit omnino leve et puerile: *Iesum laudis incurium, quae fit humana lege; Iesu miram humilitatem in eius asinatione; turbae obsequiositatem in processione; Ave Iesus, mors leaenae* etc. Quis tam misellus hodie, qui non meliora scriberet? Deinde, cum hic auctor ait: *Mariae mirabilem conceptionem absque inquinatione;* cum his quae Bonaventura III. Sententiarum libro tradit, pugnantia dicere videri posset ». — Bonelli libellum timide defendere nititur (Prodrom. col. 662), praesertim contra argumentum Sbaraleae ultimum. Cum autem etiam exteriora testimonia fine saeculi XV. anteriora desint, nos illud *Opus contemplationis* prorsus ex scriptis Bonaventurae expungendum esse putamus. Quatuor codices illud habentes inventi sunt sequioris aetatis, quorum tres auctorem nominant Bonaventuram.

Elenchus codicum.

1. *Coloniae,* bibliotheca Civitatis, I. 4. chart. saec. XV. *Anonym.* — 2. *Monachii,* bibliotheca Regia, 9084. chart. saec. XV. exeuntis. *Doctoris seraphici sancti Bonaventure.* — 3. *Ibidem,* 19132. miscell. saec. XV. exeuntis. *Sancti Bonaventure.* — 4. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii sancti Petri, b. I. 20. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. *Doctoris seraphici sancti Bonaventure.*

Num. III. *Carmina in Canticum* Salve Regina (Vat. tom. VI. pag. 489).

Incipit: « Salve, Virgo virginum, stella matutina, — Sordidorum criminum vera medicina, — Consolatrix hominum, qui sunt in ruina, — O vere peccaminum vera draconina »! Cum Oudino (loc. cit. col. 408) et editoribus Venetis (loc. cit. pag. 135) etiam Sbaralea (loc. cit. pag. 159) hoc carmen utpote prorsus ineptum reprobat his verbis: « Adeo insulsa sunt et infantilia, ut, nedum seraphico sanctaeque Ecclesiae Doctori, sed ne mediocri viro tribui mereantur ». Pro exemplo affert primam stropham aliasque phrases ut: *Regina regnantium, Virgo puellaris; Sacratum palatium Dei convocaris; Dulcedo dulcedinis, o clemens clementia; Damnatorum venia, stola caritatis; O pia, piissima, o dulcis, dulcissima* etc. ». — Bonelli (Prodrom. col. 663 seq.) nititur hoc carmen (quod primo impressum est Argentinae 1495) ab istis censuris defendere, sed frustra, ut nobis videtur. Quoad strophae primae vocem *draconina* idem (loc. cit. col. 176) observat, illam non esse

inauditam (ut editores Veneti dixerunt), sed significare quandam herbam medicam, quae, sicut apud Plinium (XXIV. c. 16.) *dracunculus* dicitur, apud Isidorum (XVII. Etymol. c. 9.) *dracontea*, et apud Papiam *draconera*, ita vocari potuit *draconina*, a poeta praesertim. Eam pharmacopolae post Apuleium (De virtute herbarum, c. 5.) *serpentariam* appellant etc. — Ex sequente elencho 15 codicum patet, duos tantum ad saec. XIV. pertinere, et hos non habere nomen auctoris, alios esse posteriores; inter hos tantum *quatuor* carmen tribuunt Bonaventurae.

Elenchus codicum.

1. *Bruxellis*, bibliotheca Regia, 15003-48. chart. saec. XV. *Ordinata per sanctum Bonaventuram.* — 2. *Londini*, bibliotheca Musaei, collect. Arundel. 341. membr. saec. XV. *Anonym.* — 3. *Lugduni*, bibliotheca Communalis, 161. anni 1394. *Anonym.* — 4. *Mellicii*, bibliotheca Monasterii, E. 42. chart. saec. XV. *Anonym.* — 5. *Meiningen*, bibliotheca Principis, II. lat. 1. in 4. progress. 13. chart. saec. XV. ineuntis. *Anonym.* — 6. *Monachii*, bibliotheca Regia, 3661. chart. saec. XV. *Anonym.* — 7. *Ibidem*, 3702. chart. anni 1469. *Anonym.* — 8. *Ibidem*, 908. chart. saec. XV. exeuntis. *Anonym.* — 9. *Ibidem*, 10548. chart. saec. XIV. *Anonym.* — 10. *Ibidem*, 14343. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 11. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, 902. chart. saec. XVI. ineuntis. *Ordinata per sanctum doctorem seraphicum Bonaventuram.* — 12. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, V. K. a. 8. miscell. saec. XV. *Anonym.* — 13. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, b. I. 20. chart. saec. XV. exeuntis. *Ordinata per sanctum Bonaventuram.* — 14. *Sancti Galli*, bibliotheca Monasterii, 482. chart. anni 1475. *Anonym.* — 15. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, class. I. 35. chart. saec. XV. ineuntis. *Ordinata per sanctum Bonaventuram.*

Num. IV. *Laus B. Virginis Mariae* (Vat. tom. VI. pag. 491).

Incipit: « Ave caeleste lilium, — Ave rosa speciosa, — Ave mater humilium, — Superis imperiosa, — Deitatis triclinium, — Hac in valle lacrymarum — Da robur, fer auxilium, — O excusatrix culparum ». Canticum hoc ad singulas litteras Salutationis angelicae laudes octonis versibus adhibet et ex sacra Scriptura 19 figuras ad B. Mariam applicat. Cum Oudino et editoribus Venetis (locc. citt.) etiam Sbaralea (loc. cit. pag. 159 col. II.) illud gravissime censurat ut « eiusdem farinae et forsan eiusdem auctoris [cum praecedente] » et de quibusdam phrasibus dicit, « haec sunt puerilia et doctore indigna quocumque ». Bonelli vero (Prodrom. col. 661) mitius de eodem iudicat, « ut ipsam devote legentibus Doctorem seraphicum dedecere non videatur ». Revera inter phrases ineptas habentur etiam plures non spernendae sententiae. Attamen opusculum non sapit Bonaventuram nec ullo testimonio firmo roboratur.

Unicum codicem recentiorem afferre possumus, qui etiam canticum attribuit Bonaventurae.

Unicus codex opusculi.

1. *Salisburgi*, bibliotheca Monasterii sancti Petri, b. I. 20. chart. saec. XV. exeuntis. *Dictata a sancto Bonaventura secundum litteras salutationis Angelice* etc. Sic scriptor codicis.

Num. V. *Psalterium minus* (Vat. tom. VI. pag. 497).

Incipit: « Ave Virgo, vitae lignum ». Opusculum habet tres quinquagenas stropharum cum 4 versibus iuxta numerum 150 Psalmorum. Unaquaeque stropha incipit voce *Ave* ad Virginem et continet quandam allusionem ad aliquam sententiam, quae in Psalmo eiusdem numeri exprimitur. Sbaralea (loc. cit. pag. 159 col. II.) cum Oudino et editoribus Venetis opusculum hoc reprobat his verbis: « Quamquam non sit ita sordidum ut duo superiora opuscula, habet tamen sua vitia, quae Bonaventurae non convenire demonstrant: *Ave Virgo, quae laetaris — Et exsultans gloriaris, — De virtutum tot unguentis — In cubili tuae mentis. — Ave sidus principale, — Alma Dei Mater, vale — In aeternum aeternorum — Digno sono cymbalorum. — Ave Virgo et laetare, — Te in caelis imperare, — Gens et lingua omnis sciat, — In aeternum fiat, fiat. — Ave Virgo, dies festa, — Per te salver a molesta — Paupertate, qua laboro, — Mater absque viri toro.* Ista sane non dixit S. Doctor, qui adeo paupertatem amore prosequebatur et encomiis neque de illa unquam conquerebatur. Forsan hoc opusculum idem est cum *Psalterio Mariae*, quod condidit Otto Ochburgensis Suevus, episcopus Constantiensis an. 1411 electus et Frater Minorita et mortuus an. 1439, ex nova *Gallia Christiana* tom. V. ». Ultima haec Sbaraleae verba dubie dicta refelluntur codicibus infra relatis, quorum plures saec. XIV. et etiam ante eius medium exarati sunt. — Bonelli (Prodrom. col. 662) Psalterium *maius* quidem abiicit, hoc *minus* aliquo modo defendit, sed tamen dubie loquitur. Nos illud inter supposititia opera ponimus iam propter defectum idoneorum testium, licet sit compositum *saltem* in principio saec. XIV. (vide infra cod. n. 20.). Inter 28 codices omnes antiquiores sunt sine nomine auctoris (non obstat inscriptio codicis n. 3, cum sit a manu saec. XVI.). *Quatuor* tantum codd. saec. XV. (n. 5, n. 13, n. 17. [sed dubie] et n. 22.) habent nomen Bonaventurae, *duo* (n. 8. et 28.) nomen Augustini, ceteri tacent de auctore.

Elenchus codicum.

1. *Admontii*, bibliotheca Monasterii, 746. membr. saec. XV. exeuntis. *Anonym.* — 2. *Ibidem*, (numerus deest) membr. saec. XV. post medietatem. *Anonym.* — 3. *Augustae Taurinorum*, bibliotheca Universitatis, K. V. 31. membr. saec. XIV. *Anonym.*, sed manus saec. XVI. inseruit nomen *Bonaventurae.* — 4. *Augustae Taurinorum*, bibliotheca Publica, 286. progress. 688. miscell. saec. XV. *Anonym.* — 5. *Brunopoli*, bibliotheca Civitatis, 126. chart. saec. XV. ante medium. *Doctoris devoti domini Bonaventure.* — 6. *Carnuti*, bibliotheca Civitatis, 238. membr. saec. XIV. exeuntis. *Anonym.* — 7. *Cremifani*, bibliotheca Monasterii, 270. chart. saec. XV. *Anonym.* — 8. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, 2242. miscell. saec. XIV. ineuntis. *Anonym.*, sed posterior manus opus tribuit *Augustino.* — 9. *Graecii*, bibliotheca Universitatis, 396. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 10. *Ibidem*, 975. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 11. *Lambaci*, bibliotheca Monasterii, 463. chart. saec. XV. ineuntis. *Anonym.* — 12. *Londini*, bibliotheca Musaei, collect. Arundel. 374. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 13. *Monachii*, bibliotheca Regia, 14769. chart. saec. XV. exeuntis sub nomine *sancti Bonaventurae.* — 14. *Ibidem*, 3012. membr. saec. XV. exeuntis.

Anonym. — 15. *Ibidem,* 3702. chart. anni 1469. *Anonym.* — 16. *Ibidem,* 5362. chart. saec. XV. *Anonym.* — 17. *Ibidem,* 11922. chart. anni 1501. *Tribuitur sancto Bonaventurae* ita notavit scriptor codicis. — 18. *Ibidem,* 11335. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 19. *Ibidem,* 14538. miscell. anni 1404. *Anonym.* — 20. *Oeniponte,* bibliotheca Universitatis, 158. membr. saec. XIV. ante medium. *Anonym.* — 21. *Pelplini,* bibliotheca Seminarii, V. K. a. 8. miscell. saec. XV. *Anonym.* — 22. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii sancti Petri, b. I. 20. chart. saec. XV. *Compositum a sancto Bonaventura.* — 23. *Ibidem,* a I. 20. membr. saec. XV. post medium. *Anonym.* — 24. *Ibidem,* b. X. 18. chart. saec. XV. *Anonym.* — 25. *Sancti Galli,* bibliotheca Monasterii, 485. chart. saec. XV. *Anonym.* — 26. *Sancti Pauli* in Carinthia, bibliotheca Monasterii, Blas. 45. membr. saec. XIV. *Anonym.* — 27. *Vindobonae,* bibliotheca Palatina, 4096. chart. anni 1478. *Anonym.* — 28. *Ibidem,* 4547. chart. saec. XV. ineuntis. *Editum per beatum Augustinum doctorem* etc.; sic in codice et quidem a prima manu. — Mone (Hymni Lat. tom. II. pag. 245 seqq.) usus est bibliothecae Moguntinae codice saec. XIV. Aug. n. 438, qui multas lectiones meliores et alias strophas integras huius Psalterii praebet. Non dicitur, an et quem auctorem cod. nominet.

Num. VI. *Alphabetum Religiosorum.*

In ed. Vaticana (tom. VII. pag. 564 seq.) invenitur duplex *Alphabetum:* unum, quod vocatur *boni Monachi,* scriptum oratione soluta et incipit: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi;* alterum *Alphabetum Religiosorum* metrice scriptum, quod incipit: « Ama paupertatem ». Utrumque reprobavit Oudinus cum editoribus Venetis, approbavit vero Waddingus (Scriptores Ord. Min. pag. 51). Primum invenitur inter opera *Thomae a Kempis,* cui a Rosweido tribuitur et etiam, ut videtur, a Trithemio. Hinc Sbaralea (loc. cit. pag. 155 col. II.) primum illud censet esse dubium, quod etiam Bonelli (Prodrom. col. 680) concedit, alterum illud metricum uterque attribuit Bonaventurae. Ed. Argentina (an. 1495) et subsequentes et etiam complures codd. infra relati utrumque sub nomine S. Bonaventurae habent. Sed hi codices saec. XVI. vel saec. XV. exeunte exarati sunt, et fere omnes non legunt: *scriptum vel compositum* a Bonaventura, sed *ordinatum.* Cum autem primum illud *Alphabetum* Thomae a Kempis abiudicari non possit, utrumque Bonaventurae attribuere sustineri non potest; unde patet, illud testimonium codicum vix aliquid probare. Nos igitur neutrum *Alphabetum* esse scriptum a Bonaventurā opinamur. Dici tamen posset cum illis codicibus, esse ab ipso *ordinatum,* eo sensu, quod doctrina Alphabeti sumta sit ex illis ordinationibus, quas diffusius proponit in *Regula novitiorum* et praecipue in libello *XXV Memorialium* et alibi. Similia opuscula, quae brevissimum summarium rerum asceticarum exhibent, plurima medio aevo facta sunt. Inter opera Bernardi (tom. III. pag. 970 seqq. ed. Veneta 1765) septem similium documentorum exstant plerumque Bernardo tributa, scilicet ex eo sive aliunde ab aliis deprompta. Ceterum haec opella est ita exigua, ut integram hoc loco referre opportunum videatur:

Alphabetum Religiosorum incipientium.

Ama paupertatem, sis vilibus contentus,
Bonis semper actibus iugiter intentus.
Cave multiloquium, studens silere,
Deum omni tempore prae oculis habere.
Esuriem amplectere, gulam refrenando
Fratrumque convivia segniter sectando,
Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare,
Humilibus consentiens, maiores honorare,
In omnibus obediens, praelatoque parebis,
Karitatem insuper cum omnibus tenebis.
Lumbos stringe lubricos Domini timore,
Mundans cordis oculum casto cum pudore,
Nihil servans proprium, nudum sequens Christum,
Onus leve sufferens, mundum vincens istum.
Passum Christum recole corde gemebundo,
Quaerens Dei gloriam, nil aliud in mundo.
Resistendo vitiis, orando ferventer,
Sacramentum sumere debes reverenter.
Tu motum mentis comprime, iram mitigando,
Vanaque colloquia sollicite vitando.
Xto frui cupiens, cellam frequentabis,
Yesum super omnia sic dulciter amabis.
Zelo Dei fervens caritatis igne,
Et in te peccantibus ignoscas benigne.

Non nomen, sed factum, non verbum, sed adiectum facit beatum.

Elenchus codicum.

1. *Bernae* in Helvetia, bibliotheca Civitatis, cod. mss. A. 82. chart. in 16. saec. XV. exeuntis. — Habet locutionem: *ordinatum a S. Bonaventura.*

2. *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. C. L. M. chart. in 8. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 103. v. legitur:... *ordinatum a S. Bonaventura.*

3. *Parisiis,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 902. chart. saec. XVI. ineuntis. — Fol. 116.: *ordinatum a S. Bonaventura.*

4. *Romae,* bibliotheca Vat., cod. II. 7563. chart. saec. XVI. — Fol. 44. r.: *ordinatum a S. Bonaventura.*

5. *Salisburgi,* bibliotheca Monasterii S. Petri, cod. b I. 20. chart. in 8. saec. XV. — Habet etiam: *ordinatum a S. Bonaventura.*

6. *Stronconii,* bibliotheca Conventus Ord. Fratr. Min. (vide Prodrom. Bonelli col. 472).

7. *Wratislaviae,* bibliotheca Universitatis, class. I. cod. 35. chart. in 8. saec. XV. exeuntis. — Fol. 46. r.: *ordinatum a S. Bonaventura.*

In tribus codicibus, qui ante finem saec. XV. exarati sunt et nomen habent *Bonaventurae* inscriptum, utrumque Alphabetum invenitur. Sed *Alphabetum boni monachi: Vias tuas, Domine* etiam *solum* in pluribus codicibus invenitur saec. XV. vel sine nomine auctoris (ut in sex codicibus vidimus) vel cum nomine *Thomae a Kempis,* ut in tribus sequentibus:

1. *Hagae Comitum,* bibliotheca Regia, cod. K. 99. membr. an. 1478.

2. *Leodii,* bibliotheca Seminarii, cod. E. 8. miscell. an. 1460.

3. *Monachii,* bibliotheca Regia, C. L. M. cod. 12522. membr. saec. XV. — Duo etiam iuniores codices, qui exstant Bruxellis et Massiliae, eidem opusculum tribuunt.

Num. VII. *Sententiae sententiarum* (Vat. tom. VI. pag. 114).

Hoc opusculum rhythmice scriptum, ut summa IV librorum Sententiarum facilius memoriae imprimatur, hoc loco

describimus; licet ad aliam disciplinam theologicam pertineat. Illud incipit cum prooemio:

« Fons splendoris, vas dulcoris, sed amoris
Nexus, spes floris, dos roris, dogma saporis
Verum, vita, via, mihi da quod philosophia
Tradit, Sanctorum votis praestare tuorum ».

Deinde opusculum summam omnium distinctionum quatuor Lombardi librorum strophis inaequalibus exhibet. Omnino consentimus Oudino (loc. cit. col. 403), editoribus Venetis (Diatribae pag. 102) et Sbaraleae (loc. cit. pag. 157 col. II.), qui illud esse indignum affirmant, ut Bonaventurae attribuatur. « Quis enim », ait inter alia Sbaralea, « unquam ferre possit: *Cum Simone simoniatur; qui se servificat; poena pulcretur; omnia nullantur* » etc. Auctor operis fuit quidam ex Ordine Fr. Minorum, quod duo versus ultimi insinuant: « Stigmatibus Christi signari qui meruisti — Hinc, rogo, me signa, Francisce, per haec tua signa ». Valde miramur, quod Bonelli (Prodrom. col. 558 et 174 seq.) censeat, nihil obesse, quominus illi versus Doctori seraphico adscribantur.

Impressum est hoc opusculum primo in ed. Argentina 1495 et separatim Parisiis 1508. In nonnullis saeculi XVI. indiculis attribuitur Bonaventurae, sed in nullo, quod scimus, codice.

Elenchus codicum.

1. *Monachii*, bibliotheca Regia, C. L. M. cod. 5939. membr. saec. XIV, in quo post Bonaventurae Comment. in Sententias primo est tabula contentorum et deinde fol. 95. r. hoc opusculum ut in editis, sed sine nomine auctoris, stropha tamen ultima differt a textu Vaticanae editionis. Quia in eodem volumine cum opere Bonaventuriano invenitur, occasio dari potuit suspicandi, illud eidem esse tribuendum.

2. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. Y. Tob. 130. N. 35, saec. XV. — Post tabulam IV librorum Sententiarum fol. 36. r.: *Incipit prologus in versus super IV libros Sententiarum continens eorum sententiam generalem, de quibus in sacra pagina pertractatur: O fons splendoris* etc.

3. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 946. chart. saec. XV, sine nomine auctoris.

Num. VIII. *Carmen Leoninum de doctrina proficiendi.*

Prologus: « Laus, honor, o Christe, tua gloria sit liber iste
Sitque timorosi documentum Religiosi,
Quo bene frutescat, virtutibus undique crescat,
Moribus ornetur, vivens in pace moretur,
Te duce laetetur, sit salvus, cum morietur.

Incipit libellus de doctrina viri religiosi.

Saepe recorderis, bone Frater, quod morieris » etc.

Hoc carmen satis amplum impressum est in Bonelli *Supplemento* (tom. III. col. 1168). Ipse libellum vult esse S. Bonaventurae, uno innixus codice Veronensi saec. XV, olim in bibliotheca Conventus S. Bernardini Min. Obs., qui fortasse est idem cum eo qui infra n. 3. notatur. Bonelli (Prodrom. col. 750) alios tres codd. affert: Anconitanum, Romanum Collegii S. Isidori (saec. XVII.), qui ambo auctorem nominant *Bernardum*, denique Casanatensem sine nomine auctoris. — Attamen neque Bernardo neque Bonaventurae opusculum tribuendum esse censemus, sed cuidam Fratri Minori, ut Bonelli ex quibusdam versibus satis probat. Auctor enim ex doctrina Bonaventurae, Fr. Bernardi a Bessa et, ut videtur, Fr. David ab Augusta, sententias sumsit et forma rhythmica valde inelegante induit. Nullo modo illud sapit indolem et ingenium S. Bonaventurae.

In suis commentariis P. Fidelis a Fanna praeter quoddam msc. saeculi XVI. alios tres recensuit:

1. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. Iesuit. Oct. (progress. CCCCVI.) miscell. diversis saeculis scriptus, in quo post *Formulam novitiorum* Fr. David ab Augusta sequitur illud carmen.

2. *Ravennae*, bibliotheca Classensis, cod. 137. S. L. in 16. saec. XV, cum nomine Bonaventurae.

3. *Veronae*, bibliotheca Civitatis, cod. 793. chart. in 4.

Articulus II. De operibus Bonaventurae attributis, quae a viris eruditis iam saeculo praeterito communiter ut illegitima repudiata sunt.

Post Waddingum *(Scriptores Ord. Min.)* saeculo praeterlapso quatuor viri eruditi a nobis saepissime allegati de libris in ed. Vaticana omnium operum S. Bonaventurae collectis consulto instituerunt examen, qui eorum sint genuini, qui dubii; qui certo spurii. Horum primus fuit Oudinus in suo *Commentario de Scriptoribus ecclesiasticis*, tom. III. col. 392 seqq., qui magnam horum operum partem, praesertim opusculorum asceticorum Bonaventurae abiudicavit, saepe quidem recte, sed non raro rationibus ductus prorsus insufficientibus. Oudini sententiam fere semper secuti sunt editores Veneti in sua *Diatriba* tom. I. praefixa. Deinde Sbaralea in *Supplemento ad Scriptores Ord. Min.* post eius mortem Romae an. 1806 publicato magis sobrie et docte hanc rem tractavit et pag. 144 de certis operibus, pag. 154 de dubiis et pag. 156 de spuriis ita egit, ut non pauca opuscula ab illis viris reiecta iterum Bonaventurae vindicaret. Tandem Benedictus Bonelli, cui communicata erant quae iam scripserat Sbaralea, data opera contra Oudinum et Venetos scripsit suum *Prodromum ad opera omnia S. Bonaventurae*, Bassani an. 1767, omnemque lapidem movit, ut Bonaventurae restitueret opera impugnata, immo alia adhuc inedita collegit et tribus voluminibus in suo *Supplemento ad opera omnia S. Bonaventurae*, Tridenti ab an. 1772-1774 publicavit.

Nihilominus etiam Bonelli, manifestae veritati cedens, quoad non pauca opera editionis Vaticanae tribus praedictis viris consensit et alia quidem certo supposititia, alia nonnulla saltem dubia esse censuit. Quando hoc modo illi quatuor viri eruditi conveniunt in reprobando aliquo opusculo, summa iam praesumtio stat pro eo, quod re vera illud sit illegitimum. Hanc sententiam nos plerumque roborare possumus argumentis, quae eruuntur ex testimonio plurimorum codicum, qui praedictis viris remanserunt ignoti. Agendum igitur in hoc art. est de operibus asceticis, quorum suppositio nobis simul cum praedictis quatuor viris *certa* videtur. Horum tamen sunt complura, quae non indigna sunt, ut speciali volumine publicentur. Nobis in animo est, ut, finita nostra editione operum S. Bonaventurae, etiam illa illegitima, saltem praestantiora opera iterum edamus. Tunc in praefatione illius voluminis aptior erit locus novis argumentis demonstrare, falso illos libros attributos esse Bonaventurae. Ne igitur nimis increscant Prolegomena huius tomi, hic sufficiat ea opera enumerare, addita aliqua ratione, in

quorum reprobatione illi quatuor viri inter se et etiam nobiscum vel plene vel fere consentiunt. Sufficiat etiam accurate citare solummodo *Prodromum* illum Bonelli, in quo aliorum loci iam accurate allegati sunt.

Elenchus operum asceticorum, quae certe spuria sunt.

1. *Confessionale,* quod incipit: *In Dei tabernaculo* (in ed. Vat. tom. VII. pag. 48). Reprobatur communiter ut spurium (vide Prodrom. col. 692). In ipso libro iam citantur auctores Bonaventura posteriores. Bonelli suspicatur, auctorem huius esse Fr. Marchesinum de Regio Lepide, quem etiam probabilissime esse compilatorem opusculi *Centiloquium* demonstravimus in Prolegom. ad tom. V. pag. XLVIII.

2. *De septem Itineribus aeternitatis.* Incipit: *Eum qui venit ad me* (Vat. tom. VII. pag. 145). Auctor eius est natione Germanus, nempe Rodulphus de Bibraco, qui floruit teste Waddingo (Scriptores Ord. Min. pag. 309) circa annum 1360. Cfr. Prodrom. col. 606. Eidem auctori tribuitur etiam liber *de Septem Donis Spiritus S.,* de quo iam egimus in Prolegomenis ad tom. V. pag. XL.

3. *Stimulus amoris.* Incipit: *Ad te, Domine, levavi* (Vat. tom. VII. pag. 203). Compilatum est hoc multum propagatum opusculum ex variis aliis libris, praesertim Bonaventurae et Fr. David ab Augusta. Auctor eiusdem videtur esse quidam Fr. Iacobus, Lector Mediolanensis Ord. Min. Opus mira cum varietate rei et ordine partium exhibetur in multis codd. et edd. Cfr. Prodrom. col. 703 seqq.

4. *Biblia pauperum.* Incipit: *Tanta pollet excellentia* (Vat. tom. VI. pag. 285). Est Fr. Nicolai de Hanapis Ord. Praed. et separatim editum cum eius nomine Antverpiae 1535 et Venetiis 1533. Cfr. Prodrom. col. 710.

5. *Collationes octo ad Fratres Tolosates.* Incipit: *Vide, anima mea* (Vat. tom. VII. pag. 565). Prima libelli pars sumta est ex Ubertino de Casali (Arbor vitae crucifixae); citatur in eo quoque liber de Imitatione Christi. Cfr. Prodrom. col. 702.

6. *Summa de essentia.* Incipit: *Omnipotens Deus* (Vat. tom. VII. in Append. pag. 681). Licet cum editoribus Vaticanae etiam Sbaralea et Bonelli tantum *dubitent,* an forte sit Bonaventurae, tamen certum est, opus illud existere in codicibus ante saec. X. scriptis; quod P. Fidelis a Fanna demonstravit in libro *Ratio novae collectionis* pag. 186 seq. Impressum illud est inter opera S. Augustini tom. VIII. col. 72 ed. Veneta 1733. Hauréau, Etudes et Notices (tom. VI.) opinatur, auctorem esse S. Eucherium.

7. *De sex alis Cherubim.* Incipit: *Prima ala est confessio* (Vat. tom. VII. Append. pag. 684). Cum editoribus Vaticanae etiam Bonelli adhuc dubie de hoc opusculo loquitur; sed certissime non est Bonaventurae, cum P. Fidelis illud in codicibus invenerit scriptis, antequam hic natus fuit (vide loc. cit. pag. 185 seq.). Apud Migne (Patrolog. Lat. tom. 210, col. 265 seqq.) invenitur inter opera Alani ab Insulis.

8. *Diaeta salutis.* Incipit: *Haec est via* (Vat. tom. VI. pag. 285). Communiter a memoratis viris proclamatur *spuria;* cfr. *Prodrom.* col. 700. Saepe impressa est sub Bonaventurae nomine, est tamen Fr. Gulielmi de Lanicia Ord. Min., Aquitani, ut multi codd. attestantur, quorum unus describitur a cl. P. Denifle Ord. Pr. in fasciculo *Inventarium Capituli Dertusensis.*

9. *Psalterium maius* (Vat. VI. pag. 501). Hoc defenditur iure a Bellarmino, nempe quatenus ab haereticis tanquam non *orthodoxum* et *blasphemum* traductum erat. Etiam Sbaralea (loc. cit. pag. 159) illud ut certo *spurium* reprobat, dum Bonelli (Prodrom. col. 681 seqq.) praecipue ob auctoritatem, certo non magnam, ed. Argentinae an. 1495 vult, illud *dubium* esse.

10. *Speculum B. M. Virginis.* Incipit: *Quoniam, ut ait Hieronymus* (Vat. tom. VI. pag. 450). Auctor est, teste Ioanne de Turrecremata in tractatu de Veritate Conceptionis B. M. V., « Fr. Conradus Saxon, cognomento Holzingario ». Vide Bonelli (Prodrom. col. 706), qui *rationes* Oudini recte confutat, sed quoad *conclusionem* aliis tribus criticis consentit.

11. *Theologia mystica.* Incipit: *Viae Sion lugent* (Vat. tom. VII. Append. pag. 699). Quidquid dicat Waddingus (Scriptores Ord. Min. pag. 80 ed. Romae 1806), certum est, falso illam tribui Bonaventurae. Bonelli (Prodrom. col. 677 seqq.) cum ipsis editoribus Vaticanae de genuinitate eiusdem valde dubitat tum propter manifestam differentiam stili tum propter testimonium codicum, Gersonis aliorumque, qui hanc *Theologiam mysticam* tribuunt Fr. Hugoni (alias Henrico) de Balma. Exstant adhuc ultra 50 codices, qui, exceptis nonnullis anonymis, opus tribuunt *Hugoni de Balma,* addito, quod sit Carthusianus. Paucissimi et recentes praeferunt nomen Bonaventurae. — Quia in codicibus pluribus eadem inscribitur *de Triplici Via ad sapientiam,* quem titulum etiam aliud *genuinum* opusculum Bonaventurae (infra Opusc. I.) habet, hinc error ortus esse videtur, ut illa *Theologia mystica* Bonaventurae tribueretur.

12. *De Modo confitendi et de puritate conscientiae.* Incipit: *Quoniam fundamentum* (Vat. tom. VII. Append. pag. 687). Opusculum impressum est inter opera S. Thomae (ed. Romana sub S. Pio V.), sed, teste Echardo (Script. Ord. Praed. tom. I. pag. 341), non est eius; quod nunc communiter tenetur. Iam Gerson (Tract. De Examinat. doctrinar. p. II. de pollutione diuturna fol. 215) dicit: « Notetur tractatulus, quem adscribunt aliqui S. Thomae, sed magis *apparet* ex *stilo et materia,* quod sit *Bonaventurae;* qui incipit: *Quoniam fundamentum et ianua.* Et est multum utilis ». Auctoritas Gersonis induxit Sbaraleam et Bonelli (Prodrom. col. 549), ut hunc tractatum Bonaventurae vindicaverint, atque etiam occasio fuit, ut in nonnullis libelli codicibus post Gersonem scriptis nomen *Bonaventurae* apparuerit. Sed re vera Gerson non affirmavit *absolute,* Bonaventuram esse huius tractatus auctorem, sed hoc *magis esse verisimile,* quam quod sit S. Thomae; quod quidem concedi potest. Hanc porro opinionem Gerson non tenet testimonio *traditionis,* sed « ex stilo et materia » hoc suspicatur. Reapse libellus ad neutrum pertinet, sed est magistri Matthaei a Cracovia, ut recte docet cl. Dr. Finke in articulo, quem de isto Matthaeo scripsit in opere *Kirchenlexikon* (Herder, ed. 2.) tom. VIII. col. 1029 seq. (sed ibi falso supponitur *De Modo confitendi* et *De Puritate conscientiae* esse distincta opuscula, cum sint unum et idem). Iste Matthaeus, sua aetate celeberrimus, natus circa an. 1335, promotus ad magisterium 1367, factus episcopus *Wormatiae* 1405, mortuus est an. 1410. — Hoc confirmatur testimonio multorum codicum, quorum P. Fidelis a Fanna 109 recensuit, et antiquior est an. 1398 exaratus. Magna horum pars non habet nomen auctoris, alii dubie loquuntur; codd. 31 libellum tribuunt *Matthaeo a Cracovia,* sed 38 *S. Thomae,* solummodo 10 et recentiores *S. Bonaventurae,* paucissimi vero

Henrico ab Hassia. Praeterea magni momenti est, quod in chronicis eiusdem oppidi Wormatiae tractatus attribuitur eidem Matthaeo. Nec stilus sapit Bonaventuram.

13. De alio opere non genuino, quod ab editoribus Vaticanae utpote dubium in Appendice pag. 748 positum est, obiter hic pauca adiicimus. Hoc egregium totius theologiae *Compendium* incipit: *Theologicae veritatis sublimitas,* et in tot codicibus msc. exstat, quot vix aliud opus theologicum medii aevi habet. Plurimi ab eruditis huius operis auctores habiti sunt, inter quos nominantur etiam S. Bonaventura, S. Thomas, B. Albertus, Petrus a Tarantasia, Aegidius Rom., Uldaricus, Hugo vel Thomas ab Argentina aliique. Exploratum est, quinque primo nominatis falso illud attribui. Certum tamen est, ut iam observarunt editores Vaticanae, Sbaralea et Fr. Ioannes de Combis O. Min., qui hoc *Compendium* Venetiis 1528 edidit, illud valde in doctrina conforme esse scriptis S. Bonaventurae et interdum usque ad verba manifeste inde descriptum. Cfr. Bonelli (Prodrom. col. 689), qui cum Sbaralea (Supplem. pag. 610) contendit, auctorem eiusdem esse Fr. Petrum Thomam Ord. Min.; alii tamen praeferunt Thomam ab Argentina Ord. Praed.

14. Denique *Meditationes vitae Christi* certo sunt spuriae, quod, consentientibus aliis tribus criticis, tenet et bene probat Bonelli (Prodrom. col. 697). Auctor fuit quidam Fr. Minor Etruscus, et, ut iam insinuavit Bartholomaeus Pisanus, probabilissime Fr. *Ioannes a Caulibus* (cfr. Sbaralea, Supplementum etc. pag. 404). Recte ipsae in ed. Argentina et pluribus codicibus dicuntur *Meditationes vitae Christi secundum Bonaventuram,* quatenus ex eius operibus multae sententiae sumtae sunt (cfr. Prodrom. loc. cit.).

Articulus III. De aliis opusculis asceticis non legitimis, de quorum auctore praedicti critici dissentiunt.

1. *Instructio sacerdotis ad se praeparandum ad celebrandam Missam* (Vat. tom. VII. pag. 75). Incipit: « Ad Missam celebrandam sex consideranda sunt ». Oudinus, Veneti et Sbaralea recte breve hoc opusculum inter *spuria* reiiciunt, solus Bonelli (Prodrom. col. 585) dubitat, utrum sit genuinum. Illa Instructio enim aliud non est nisi species quaedam excerpti, sumti ex egregio opusculo genuino *De praeparatione ad Missam* (infra Opusc. V.) atque minus idonee ordinati; finitur longa oratione, cuius sententiae fere acceptae sunt ex illo opere genuino. Teste Bonelli, invenitur illud insertum quibusdam codicibus et editionibus spurii libri *Stimulus amoris*, cuius auctor, qui probabilissime fuit Fr. Iacobus, Lector Mediolanensis, sententias a Bonaventura acceptas suo modo affectuoso transformavit. Ex hoc *Stimulo amoris* tale excerptum in quosdam codices et in ed. Argentinam an. 1495 transiisse videtur.

2. *Expositio Missae* (Vat. tom. VII. pag. 78). Incipit: « Christus assistens pontifex ». Inter *spuria* opera ponitur ab Oudino, editoribus Venetis et Sbaralea (loc. cit. pag. 160), qui dicit, in illa Expositione esse « quaedam, quae nullo modo Bonaventurae doctrinae convenire possunt ». Sed Bonelli (Prodrom. col. 576-583) diffuse contra Oudinum disputat, ut eam *certum* esse Bonaventurae scriptum ostendat. Testes non satis idoneos producit indiculos Mariani Florentini et Pistoriensis, auctorum saeculi XVI, et ed. Argentinam an. 1495. Etiam auctoritas codicum non favet Bonaventurae. Inter novem codices, quos novimus, antiquiores saeculi XIV. non habent nomen auctoris, *unus* (Vindobonensis Palatinus cod. mss. 3655.), qui eam tribuit Bonaventurae, est saec. XV. exeuntis. Aliqui codices textum habent diffusiorem.

3. 4. *Fascicularius* et *de Pugna spirituali contra septem vitia capitalia* (Vat. tom. VII. pag. 106 seqq. et pag. 27). Prologus primi operis incipit: « Scire debes »; opus habet duas partes, quarum prima incipit: « Ut tibi de memoria peccatorum », secunda: « Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi ». Secundum opusculum incipit: « Eia, nunc milites ». Bonelli solus (Prodrom. col. 564 seqq.) utrumque opusculum Bonaventurae vindicare nititur contra Oudinum illud reprobantem; editores Veneti illud *dubium* esse volunt. Sbaralea (loc. cit. pag. 155) recte observavit, utrumque opusculum pluries iam impressum fuisse in celebri opere *Tractatus de reformatione virium animae,* cuius auctorem esse *Gerardum de Zutphania* (Zerbolt), omnino constat, teste etiam Thoma a Kempis, qui scripsit vitam eiusdem. Ipse, natus 1367, mortuus est iam anno 1398; fuit socius Gerardi Magni Daventriensis et unus e Clericis regularibus et Fratribus vitae communis. Liber Gerardi incipit: « Homo quidam descendit », atque habet, teste Sbaralea, capp. 54 et diffusiora, quam ea quae sunt in ed. Vaticana. Tandem Sbaralea dicit: « Haereo, num Gerardus a Bonaventura acceperit et auxerit, an autem aliquis, quod *verius videri possit,* a Gerardo descripserit quam plura et Bonaventurae attribuerit; qua in re iudicium non agam, sed aliorum iudicium opperiar ». — Quanti sua aetate illud opus Gerardi et aliud simile *de Spiritualibus ascensionibus* aestimatum sit, patet ex hoc, quod haec ab aliis auctoribus magna ex parte descripta sunt, ut a Mauburno in opere *Rosetum exercitiorum spiritualium,* et inde transierint in alia opera Hispanica, ut probatum est in quodam articulo publicato in periodico *Etudes* a PP. Soc. Iesu edito (cfr. fascic. 20 Octob. 1887 pag. 200 seqq.).

Aliud opusculum *de Pugna spirituali* in ed. Argentina an. 1495 (quae primo utrumque edidit) coniunctum est cum *Fasciculario;* etiam hoc invenitur in opere Gerardi.

His praemissis, non dubitamus, quin utrumque opusculum restituendum sit Gerardo (qui tamen non paucas sententias ex variis Bonaventurae opusculis et Fr. David operibus sumsisse videtur). Defectus enim idoneorum testimoniorum, praesertim codicum, non permittit, ut illud opus Bonaventurae tribuamus. Pro Bonaventura praeter ed. Argentinam, quam etiam alias errasse iam saepe comperimus, nullum codicem afferre possumus nisi duos minimae auctoritatis, scilicet saec. XVI. ineuntis et ideo illa editione posteriores. Illum vero Gerardi Tractatum pluries habemus in antiquioribus codicibus, ut *Traiecti ad Rhenum,* bibliotheca Academiae, cod. 240. S. E. membr. in 4. saec. XV. ineuntis. Fol. non numerato: *Tractatus de reformatione virium animae, in quo continetur ut pars integralis Passio breviter collecta ad modum fasciculorum; 1. fasciculus myrrhae* etc. Desinit: *sanctis operibus dignus introire gloriam eterne beatitudinis inveniaris. Amen.* Deinde sequitur: *Bonaventure de anime dispositione ad impetrandum dulcedinem divine inspirationis: Flecto genua mea* (est Soliloquium). — *Ibidem* est aliud exemplar in cod. 288. chart. cum nomine Gerardi a manu recente.

Gottwicii, bibliotheca Monasterii, cod. 286. (progress. 467.) chart. saec. XV. Post medium voluminis fol. r. non numerato

incipit sine titulo: *Homo quidam descendebat* etc. In eo sunt duo opuscula: *Fasciculus myrrhae* et *Eia nunc milites* (De pugna spirituali).

Basileae, cod. A. II. 36. chart. saec. XV. (ante annum 1438). Fol. 133. r.: *Incipit tractatus de reformatione virium anime bonus et devotus et maxime contemplativus. Homo quidem* (sic) *descendit*. Desinit fol. 153. r. Habet fol. 147. r. verba: *De duobus veris bellatoribus necessariis. Eia nunc milites* etc. — *Ibidem* aliud exemplar in cod. A. VI. 30. chart. an. 1436.

Monachii, bibliotheca Regia, cod. 5606. chart. an. 1457. Fol. 83. v.: *Tractatus fratris Gebrandi de Colonia de spirituali exercitatione reparationis lapsus humani. Homo quidam descendebat* etc.... *Passio Christi Domini breviter ad modum fasciculorum collecta. Fasciculus myrrhe*. — *Ibidem* est cod. 3037. chart. saec. XV. praedicto similis.

Colmariae, bibliotheca Civitatis, cod. non signatus saec. XV: *Tractatus devotus de reformatione virium anime editus per dominum Gerardum de Satthama* (!), *virum magne litterature, habitus inter Clericos in communi viventes*.

Cum igitur certo constet, opus de *Reformatione virium animae* a Gerardo esse compositum saec. XIV; cum *excerptum* illud, quod cum nomine *Bonaventurae* impressum est, probari non possit esse iam antea scriptum, sed secundum codices potius post illud; cum etiam indoles et stilus excerpti nullum vestigium praebeat ingenii Bonaventuriani: satis manifestum est, praefata duo opuscula expungenda esse ex elencho librorum Bonaventurae.

5. *De tribus ternariis peccatorum infamibus* (Vat. tom. VI. pag. 279).

Incipit: «Tres sunt ternarii peccatorum infames». Opusculum hoc est fragmentum, ut praenotatum est in ed. Vaticana. Non enim in eo explicatur nisi primus ternarius de peccato *originali, mortali* et *veniali*. Desiderantur secundus, de peccato *cordis, oris* et *operis*, atque tertius, de peccatis *concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum* et *superbiae vitae*. Hic defectus invenitur in omnibus codd. et edd., quarum prima est an. 1484, secunda Argentina an. 1495. In ed. Brixiensi an. 1504 et in cod. infra n. 4. relato desunt tria ultima capitula: « c. VI. De radice peccatorum, quae est amor sui; c. VII. Quare homo solus ex inferioribus creaturis possit peccare; c. VIII. Quare peccatum non vitatur, nisi prius cognoscatur». Reapse verisimile est, haec postea addita esse, sicut et verba ibi omissa: « Vide in Centiloquio de peccato veniali latius»; quae etiam ab aliis adiuncta esse videntur. Bonaventurae hoc fragmentum attribuitur in indiculis Mariani Florentini et Trithemii; Oudinus (loc. cit. col. 404) scribit, illud « esse Bonaventura non indignum »; Venetorum editorum *Diatriba* (pag. 102) negat, « lucubratiunculam hanc a Bonaventura elaboratam fuisse »; Bonelli vero (Prodrom. col. 541) vult, illud certum esse eiusdem opus. Principale argumentum ipsius est hoc: « Caput tertium (huius opusculi) ita concluditur: *Vide in Centiloquio de peccato veniali latius*. Ergo perinde certum ac ipsum Centiloquium ». Attamen, cum in Prologomenis ad tom. V. (pag. XLVIII) satis demonstraverimus, *Centiloquium* esse quoddam excerptum, praecipue ex operibus Bonaventurae, sed non ab ipso, sed potius a Fr. Marchesino a Regio, saec. XIV. auctore, elaboratum; iam patet, Bonaventuram non *posse* esse huius opusculi auctorem, *si constaret*, auctorem ipsum citasse illud *Centiloquium*. — Satis bene de hoc fragmento loquitur Sbaralea (loc. cit. pag. 154 seq.) inter alia dicens: « Ambigitur porro de auctore: primum, quia interdum serpit humi nec semper stilum S. Doctoris habet; deinde verbosior est, quam solet esse Bonaventura, et quam decet esse gravem doctorem; postremo, cum egerit S. Doctor de tribus peccatorum generibus in Breviloquio et Centiloquio [ut falso putavit Sbaralea] et potissime in Comment. ad II. Sent. d. 35. et 36. [et alibi], non apparet, cur iterum scribere ea de re voluerit ». Haec approbamus, concedentes, opusculum esse utile, convenire cum doctrina Bonaventurae, et quoad doctrinam non *indignum* esse Bonaventura; verumtamen nihil invenimus, quod ostendat proprietatem indolis et stili Bonaventuriani, sed potius cum Sbaralea contrarium. Editores Veneti praecipue offensi sunt voce pluries occurrente *discrasia*. Ad hoc respondet Bonelli: « Si Graeca vox *crasis* significat *temperamentum*... satis intelligitur infirmitas per *discrasiam*, quae illius est temperamenti sive proportionis destructio, eaque vox per metaphoram ad infirmitatem animae potest transferri ». Nihilominus confitendum est, in scriptis genuinis Bonaventurae hanc vocem non inveniri. — Praeterea magni momenti est, quod testimonia tantum recentiora et pauca pro Bonaventura afferri possunt, scilicet duo nullius auctoritatis codices saec. XVI. ineuntis, ac duo saec. XV, quorum antiquior est qui habetur 1. *Darmstadii*, bibliotheca Ducalis, cod. 696. chart. saec. XV. ante medietatem. — 2. *Leodii*, bibliotheca Universitatis, cod. 83. miscell. an. 1503. — 3. *Monachii*, bibliotheca Regia, cod. 11929. chart. circa an. 1500 vel paulo post. — 4. *Traiecti ad Rhenum*, bibliotheca Academiae, cod. 18. chart. saec. XV. post medietatem.

His consideratis censemus, fragmentum hoc ab *alio* theologo excerptum esse ex operibus aliorum Scholasticorum, praecipue S. Bonaventurae.

6. *De resurrectione a peccato ad gratiam* (Vat. tom. VI. pag. 277).

Incipit: *Paulus Apostolus*. Oudinus (loc. cit. col. 404) de hoc et de praecedenti censet: « Utrumque abiectum ac simplex, licet Bonaventura non indignum ». Mirum est, quod hac vice editores Veneti (Diatribae pag. 71 seq.), contra Oudinum insurgentes, libellum *genuinum* esse volunt, dum Sbaralea (loc. cit. pag. 158) et Bonelli (Prodrom. col. 695 seq.) illud dicunt esse *spurium*, scil. (ut primae editiones habent) «*ex dictis S. Bonaventurae excerptum*, aut *ex scriptis extractum*». Bonelli igitur refert, primas editiones factas esse Parisiis an. 1498 apud Petrum Le Dru (quam editionem invenit P. Fidelis a Fanna Cadorni in bibliotheca Civitatis) et an. 1502 typis Ioan. Gerlier, nec non Lugduni an. 1505 apud Ioan. de Platea, in qua legatur: « ex dictis S. Bonaventurae excerptus » Denique prodiit Venetiis an. 1497 cum hac additione: « ex scriptis D. Bonaventurae extractus ». Etiam unicus quem novimus, cod. idem confirmat, qui est *Traiecti ad Rhenum* in bibliotheca Academiae, cod. 250. S. E. membr. in 4. saec. XV. Nam post alia opera, fol. non numerato legitur: *Tractatus de resurrectione a peccato ad gratiam, admodum utilis* EX DICTIS *S. Bonaventurae. Paulus Apostolus*. Igitur sententia Sbaraleae et Bonelli tenenda est. Opusculum non invenitur in collectionibus impressis Argentinae an. 1495 et Venetiis 1504.

7. *Exercitia quaedam spiritualia* (Vat. tom. VII. pag. 105).

Opella, non implens unam ed. Vaticanae paginam, incipit: « Ut in virtutibus conserveris », exhibet 13 exercitia brevissima et in fine quandam considerationem sumtam ex Bernardo. Haec Exercitia, pro praxi salutaria, a Sbaralea sic recensentur: « Modicum quidem et phrasi neglecta simplicique tractatum opusculum parum Bonaventura dignum videtur ». Oudinus iudicat, illud esse *spurium*, editores Veneti *dubium*, solus Bonelli (Prodrom. col. 566) *dignum Doctore nostro*. Revera, omnia illa exercitia a Bonaventura variis locis commendantur, sed etiam in opere Fr. David ab Augusta et in operibus Thomae a Kempis. Inventum est idem in 6 codicibus, qui omnes scripti sunt saec. XVI. et cum nomine *Bonaventurae*, excepto uno, *Dusseldorpii*, bibliotheca Civitatis, miscell., nondum signato saec. XV. exeuntis sine nomine auctoris, sed post opuscula Thomae a Kempis. Bonelli allegat quendam codicem bibliothecae Monasterii Pollingani (in Bavaria), in quo deest in fine locus sumtus ex Bernardo, atque etiam versionem Italicam in codice bibliothecae Riccardianae (Florentiae), in quibus opella tribuitur Bonaventurae, quod non concedi potest nisi eo sensu, quod excerpta sit ex eius operibus.

8. *De septem gradibus contemplationis* (Vat. tom. VII. p. 104).

Incipit: « Contemplativorum aquilinos obtutus acui ». Reprobatur exiguum hoc opusculum ut *spurium* ab Oudino, ab editoribus Venetis et a Sbaralea (loc. cit. pag. 161), qui cum Possevino (Apparatus sac. tom. II. voce *Humbertus*) et Echardo (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 147 col. II, sed hic non assertorie) opusculum tribuit *Humberto de Romanis*, Mag. Generali Ord. Praed., amico S. Bonaventurae; Bonelli vero (Prodrom. col. 571 seqq.) opellam vindicare vult Bonaventurae.

Sed sciendum est primo, distinctionem illorum graduum sumtam esse ex Commentario S. Bonaventurae in Lucam (tom. VII. pag. 231 n. 48.), ubi legitur: « Quidam autem, licet simplici sermone, sed non scientia, Frater Aegidius, quem frequentissime rapi probatum est, sic distinguit gradus, dicens: Septem sunt gradus contemplationis: primus est *ignis;* secundus est *unctio;* tertius est *ecstasis;* quartus, *contemplatio;* quintus, *gustus;* sextus, *requies;* septimus, *gloria;* post quos non restat nisi *felicitas sempiterna*. — His igitur septem diebus pervenitur usque ad diem octavum gloriae; quos voluit in assignatione temporis Spiritus sanctus designare » (cfr. etiam quod praecedit n. 47. 48.).

Secundo, opusculum certo est saeculi XIII, quod testantur aliqui codices illius aetatis; sed (quod hucusque ignotum fuit) habet tres *recensiones non parum differentes,* licet conveniant in distinctione graduum, in summa doctrinae, in principio libelli et hinc inde in integris propositionibus, saepe tamen quoad ordinem et locum transpositis. Unaquaeque recensio repraesentatur pluribus codicibus etiam antiquis (saec. XIV. ineuntis), qui iterum inter se quoad multas lectiones discrepant. — Textus editus videtur esse antiquior et primitivus, tum quia aliae duae recensiones manifeste laborant, ut locutionem obscuram et insolitam plerumque verbis magis consuetis et sententiis magis claris emendent, tum quia omnium antiquior cod. saec. XIII. (Vindobonensis) et maior pars codicum desinunt iisdem fere verbis ut ed. Vaticana. — Secunda recensio est prolixior et desinit aliis verbis: « manuducens et finis perficiens et consummans, cui est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen ». Sic desinunt plures alii mss. etiam saec. XIV. ineuntis, ut probat quidam cod. Matritensis. In codice Florentino bibliothecae Nationalis (sign. M. 1817. B. 8.), qui repraesentat hanc recensionem, in principio habetur haec rubrica: « Incipit quidam libellus Abbatis Vercellensis super septem gradus contemplationis, secundum quod ex inspiratione divina sanctus Frater Egidius invenit ». In hoc codice post verba: « sed etiam baiulare, lacte virgineo educare, manibus eburneis contrectare » (vide ultimam propositionem in editis) legitur additamentum non exiguum, quod incipit: « Quomodo per unum ascenditur ad alterum ? Horum supradictorum graduum » etc., et desinit illis verbis iam citatis: « manuducens » etc. — Tertia recensio magis convenit cum secunda quam cum edita, est tamen brevior quam secunda, multas sententias transponit, de septimo gradu non habet nisi pauca verba, quae desinunt sic: « et aeternitatis speculum irrevelato contuitu contemplari ». Tum sequitur additamentum: « (Recapitulatio). De ordine graduum praedictorum. Ordinem graduum praedictorum resumentes dicimus, quod primo ignitur, ignita inungitur, inuncta rapitur » etc., quam propositionem et sequentem Vat. habet in principio libelli. Porro paucas lineas exhibet, quae summam praebent eorum quae recensio secunda satis diffuse explicat. Desinit autem verbis: « fit ascensus tam delectabilis quam admirabilis ». Iisdem verbis libellus desinit saltem in 25 codicibus, quorum plures sunt saec. XIV. Eorum unus (*Herbipoli*, bibliotheca Universitatis, sign. Mch. 102. chart. saec. XV.) libello praemittit epistolam incipientem: « Salutationis officio reverentiali humiliter premisso, noveritis, Domine suscipiende, quod devoti vestri domini Iohannis Herbordi instantia me sollicitavit, quatenus subscriptum contemplationis tractatulum vestre studiositati *communicarem*, quod et libens facere curavi » etc. Subscribitur epistola sic: « Iacobus, servus Iesu Christi humilisque vester ». Sequitur: « Prooemium: Contemplativorum aquilinos » etc. Desinit: « ascensus tam delectabiles quam admirabiles ». Si scriptor codicis hanc epistolam sumsisset ex antiquo codice (quod non constat), argui posset, in dicto Iacobo inveniri auctorem huius *recensionis*, licet non clare se auctorem esse dicat, sed hoc tantum insinuet verbis postea dictis: « Absit a me, ut vestre tam sapientie quam experientie quidquam doctrine superaddere pretendam ».

Inventi sunt 70 codices mss. huius opusculi (nonnulli sunt post an. 1500 exarati); antiquiores fere omnes sine nomine auctoris; 26 (duo saec. XIV.) nomen habent Bonaventurae, 5 inscribuntur Bernardo, 3 vero Abbati Vercellensi, unus saec. XIV. S. Thomae, sed a manu recentiore. Certum tamen est et ab omnibus, excepto Bonelli, concessum, stilum recensionis editae tam alienum a Bonaventuriano et exoticum esse, ut libellus ab ipso minime scriptus esse possit. Isti quidem septem gradus ab eo accepti sunt, sed explicatio est omnino aliena ab eiusdem indole. Nec probabile est, ab ipso ortam esse aliquam posteriorum recensionum, quae etiam minime eius ingenium et stilum manifestant.

9. *Amatorium* (Vat. tom. VII. pag. 250).

Incipit Prologus: « Praesens opusculum »; ipsum vero opus: « Ad te sermo meus dirigitur ». Oudinus censet, opusculum esse *spurium;* Sbaralea (loc. cit. pag. 55), esse *dubium;* Bonelli vero, *certum*, excepto *dubio* Prologo, qui a Mariano

Florentino omittitur quique re vera alienus ab indole Bonaventuriana esse apparet. Ipsum opus nihil aliud est nisi collectio locorum ex Augustino, Bernardo, Anselmo et praecipue ex Hugone a S. Victore sumtorum, ex quo in fine ultimae paginae transcriptae sunt. Opusculum primo publicatum est in ed. Argentina 1495 et deinde in aliis. Non inventus est nisi *unus* codex saec. XV. exeuntis *Giessae*, bibliotheca Universitatis, cod. M. S. IV. 725. chart. Loci collecti Ss. Patrum certe devoti et boni sunt, sed collectorem eorum fuisse Bonaventuram, non est verisimile.

10. *De remedio defectuum Religiosi* (Vat. tom. VII. pag. 669).

Incipit: « Simplicissimo animo », et est brevis epistola, continens 13 regulas devotionis. Opella reprobatur ab Oudino et editoribus Venetis; a Sbaralea (loc. cit. pag. 154) et Bonelli (Prodrom. col. 654) defenditur ut *S. Doctore dignam*, quod concedi potest, licet nec principium nec cap. XIII. sapiat Bonaventurae modum scribendi. Iam in ed. Vaticana notatum est, capitula illa, excepta praefatione, haberi etiam in spurio opere *Stimulus amoris* (in multis editionibus non *uno* loco), et a Sbaralea dicitur, ea exhiberi etiam in principio opusculi *Meditationum Fr. Iacobi, Lectoris Mediolanensis.* Hoc facile explicatur, quia fere certum est, istum Iacobum esse etiam primum compilatorem *Stimuli amoris,* qui ab aliis deinde multipliciter mutatus est. Attamen inde non sequitur, Bonaventuram esse huius opellae auctorem, cum constet, non omnes partes istius *Stimuli* esse sumtas ex genuinis libris Bonaventurae, sed etiam aliunde, omniaque a collectore fuisse varie mutata. Sententiae opellae conveniunt cum dictis in libello *Viginti quinque Memorialia* aliisque Bonaventurae libris. Probabile est, hanc epistolam postea ex *Stimulo amoris* sumtam esse, adiuncto prologo. Confirmatur haec nostra opinio, quia nullum antiquum testimonium suffragatur Bonaventurae. Unum tantum codicem saec. XV. exeuntis habemus, qui inter alia spuria opera etiam hoc habet, sed omisso prologo et etiam ultimo capitulo. Quaedam alia apographa nullius auctoritatis sunt saec. XVI. et XVII. Prima editio est Argentina 1495; invenitur etiam in catalogo Mariani Florentini, quem hic post dictam editionem scripsit. Proprium suum locum convenientius habebit in nova editione praedicti *Stimuli amoris.*

11. *Pharetra* (Vat. tom. VI. pag. 102-208).

Incipit prologus: « In conversionis meae primordio, cum ob mentis recreationem *auctoritates Sanctorum* legerem et legens varias corruptiones perciperem, placuit mihi, ut ad ipsum *fontem originalium* recurrerem et ob maiorem certitudinem ipsemet aliqua perciperem; quae postmodum, ut scivi, ordinavi » etc. Loci isti excerpti sunt secundum Bonelli computationem ex ultra 20 scriptoribus et distributi in IV libros, quorum quilibet habet multa capitula. Sbaralea (loc. cit. pag. 147) et Bonelli (Prodrom. col. 505-514) hoc opus censent esse *genuinum,* Oudinus et editores Veneti vero, *spurium.* Oudinus hanc affert rationem, quod, cum prologus (quam omnes fere codices et imprimis antiquiores habent) dicat, « in conversionis meae primordio » compilatam esse Pharetram, impossibile videatur, a *iuvene* Bonaventura tale laboriosum opus factum esse. Haec ratio maiorem vim habet, si cum Sbaralea et Bonelli recte tenemus, S. Bonaventuram aetatis suae anno 17. (non, ut ante illos communiter credebatur, anno 22.) habitum Ordinis Minorum sumsisse, et si insuper reflectimus ad supra relata verba, quae affirmant, auctorem in legendis vitiosis aliis *collectionibus auctoritatum* ad ipsa « originalia » recurrisse et meliorem collectionem fecisse. Quidquid dicat Bonelli, non est verisimile, iuvenem Bonaventuram ante inceptum studium theologiae tale opus perfecisse. Recurrendum tamen est ad auctoritatem codicum, qui hanc controversiam, ni fallimur, certo solvunt.

In commentariis P. Fidelis a Fanna descripti sunt 94 codices, quorum sufficiat hic generalem conspectum praebere. Codices fere omnes *antiqui* sunt, cum tantum 14 certo sint saec. XV, immo 26 ad saec. XIII. pertineant vel saltem illud attingant, quorum unus (*Salisburgi* in bibliotheca Monasterii, cod. IV. 34.) scriptus est 1264; eiusdem aetatis etiam alii aliqui esse videntur. Maior pars codicum est saec. XIV. ante vel post eius medietatem. In *nullo* horum 80 codicum antiquorum praefertur a prima manu nomen Bonaventurae, in valde paucis horum habetur a manu posteriore. In omnibus codicibus saec. XIII. et XIV. opus est penitus anonymum, exceptis duobus. Unus saec. XIII. cum suo apographo saec. XV. praefert nomen *Gilli* (sic) *de Gloucetre;* alter vero, qui est saec. XIV, nomen habet *Fratris Guillelmi de Furmenterie.* Porro exstat alius cod. saec. XIV, qui est *diversus ab editis,* cum inscriptione: « per quendam Dan(?) Ludovicum fratrem et monachum Carthusianum ». Alii etiam duo ab editis prorsus diversi, de quibus infra sermo erit, a Bonaventura compositi dicuntur. Denique inter illos 14 codices saec. XV. duo (unus an. 1422, alius eiusdem fere aetatis) a prima manu praeferunt nomen Bonaventurae, tertius idem habet in chartula foris affixa. — Hinc cum tres tantum *iuniores* codices pro Bonaventura testentur, praevalet silentium tot aliorum et antiquiorum, qui satis insinuant Pharetram *iam editam* ab alio auctore compositam esse.

Alia quaestio est de illa Pharetra ab edita differente, quam duo codices habent. Unus cod. est *Coloniae,* in bibliotheca Seminarii, cod. 138. chart. in 8. miscell. saec. XIV. et XV. post medium. In superiore marg. a prima manu scriptum est: « Hic liber nominatur *Pharetra,* compilatus a fratre Bonaventura Ord. Minorum, habens in se quinque distinctiones per capitula. Incipiunt capitula primi libri. De essentia eternitatis » etc. — Secundus est *Erfordiae,* bibliotheca Amploniana, cod. N. 12b. saec. XIV. ante medium, in quo deest nomen auctoris. Fol. 132. r. scriptum est a posteriore manu *Compendium theologiae.* Prologus incipit: « Desiderio meo volens satisfacere »; et desinit: « Sequentem contemplationem in quinque partes distinxi, in prima ponens ea que videntur ad Deum spectare principaliter... Liber primus. De essentia et trinitate ».

Utraque *Pharetra* habet eosdem quinque *libros* (distinctiones) et eadem *capitula.* Sed antiquior illa anonyma locos habet multo plures, quorum tamen maior pars et saepe eodem ordine habetur etiam in Coloniensi codice, praesertim in ultimis libris, non raro tamen loci referuntur brevius, et adduntur alii. Sine dubio auctor Coloniensis Pharetrae antiquius opus ante oculos habuit et in breviorem formam redegit. Minime autem credibile est, S. Bonaventuram hoc modo alienum opus sibi appropriasse, nec ullam habemus rationem attribuendi illi alteram anonymam. — Consideratis omnibus, concludendum, nec hanc nec editam Pharetram esse legitimum Bonaventurae opus.

12. Restat, ut de nonnullis illegitimis opusculis asceticis, quae tantum in *Supplemento* Bonelli habentur, pauca dicamus. Horum principale est *Ordinarium vitae religiosae,* sive *de*

Partibus domus religiosae, quod incipit: *Religio munda et immaculata*. De hoc iam supra (pag. LXXVI) diximus, illud non esse aliud quam *Regulam novitiorum* cum alio Prologo, alio ordine partium et nonnullis additis. Hic adiungimus, unicum quem novimus codicem esse *Bruxellis*, bibliotheca Regia (Ducs de Bourgogne), cod. 1612, chart. saec. XV. cum rubrica: « Incipit Ordinarium vite religiose, editum a Fratre Bonaventura cardinali de Ordine FF. Minorum ». In eo habentur multae lectiones diversae a textu edito et etiam longiora additamenta. Bonelli usus est codice Romano Collegii S. Isidori; sed erravit putans, libellum nondum esse editum. Invenitur enim in antiqua quadam collectione, cuius titulus est: « Liber eruditionis Religiosorum... et tunc compilavit magister Humbertus de Romanis, quondam Generalis Ord. Praedicatorum, quem noviter correxerunt et impressori tradiderunt Fratres Ordinis Minorum Conventus Parisiensis reformatores ».

13. *Tractatus de tribus virtutibus, humilitate, patientia et caritate* (Supplementum etc. tom. III. col. 246). Incipit: « Quae potavi de fontibus Salvatoris ». Editus est hic tractatulus ex codice Romano bibliothecae Chisianae saec. XIV. exeuntis vel XV. ineuntis, praeter quem nullus alius codex inventus est. Quidquid dicat Bonelli (ibi et Prodrom. col. 741), ut libellum *verisimiliter* esse Bonaventurae probet, profecto plura in eo non sapiunt indolem S. Bonaventurae, praesertim quod ita inepte ludit in litteris componentibus tria verba *putredo, tribulatio, caritas*.

14. 15. 16. *Cautelae ad castitatem servandam* (ibid. col. 338); de *Humano Iudicio* (col. 340); de *Silentio ad quandam monialem*. Primum est lacinea paucas tantum lineas explens, sine dubio excerpta ex aliquo de eadam materia tractatu vel sermone. Simile iudicium faciendum de secundo tractatulo. Tertium apud Bonelli est epistola ad quandam monialem, non indigna S. Doctore, qui iam alibi (de *Perfectione ad Sorores*, et *Regula ad novitios*) de eodem argumento paulo brevius scripsit. Invenitur haec epistola Bonaventurae inscripta in duobus codicibus saec. XV, sed in tertio sine forma epistolae, scilicet in bibliotheca Monasterii *Admont.* (cod. 209.), in quo habetur ut c. 2. praecedentis opusculi *de Humano Iudicio;* in quarto vero codice bibliothecae Ducalis Darmstadii opella differt ab edita in principio et fine. Hinc valde dubium est, hanc epistolam ab ipso Bonaventura esse scriptam. — Obiter notamus, duas illas *delineationes* cum titulo *Arbores de vitiis et virtutibus* (ibid. col. 225) sine sufficiente ratione Bonaventurae attribui.

17. *Legenda S. Clarae* (ibid. col. 985-1063). Nunc omnino constat, errasse Bonelli, qui hoc opus, cuius auctor certo est Fr. Thomas a Celano, attribuit S. Bonaventurae. — De aliis tertii tomi Supplementi operibus vel iam dictum est, vel alibi dicetur, scilicet de quibusdam *Orationibus*, de *Arte concionandi* variisque *Sermonibus*.

18. De tribus aliis opusculis non receptis in editionem Vaticanam nec in Supplementum Bonelli, tamen sub nomine Bonaventurae alibi impressis iam Sbaralea et Bonelli (Prodrom. col. 708 seq.) recte censuerunt, ea esse supposititia. Primum habet titulum *Pomum crucis*, editum Venetiis 1508; secundum, *Doctrina cordis*, Hispanice editum Toleti 1525 et alibi, cuius auctor est Gerardus Leodiensis Ord. Praed.; tertium, *De Castitate et munditia sacerdotum*, ter ab anno 1491 editum Lipsiae typis Conradi Kachelofen.

His adiicimus duo inedita opuscula, a nonnullis Bonaventurae falso tributa, nempe *De ortu scientiarum*, quod in multis codicibus tribuitur Fr. *Roberto Kilwardby* Ord. Praed., archiepisc. Cantuariensi, atque *Viridarium Consolationis*. De his vide Sbaraleam, loc. cit. pag. 166.

Articulus IV. **De aliis quibusdam opusculis in codicibus mss. Bonaventurae attributis, quae nunquam impressa sunt, saltem sub eiusdem nomine.**

Praescindimus a *Sermonibus*, quorum nondum editorum vix credibilis multitudo in plurimis codicibus Bonaventurae tribuitur. Horum criticum studium et examen ad ultimam horum Operum classem spectat magnamque difficultatem involvit. Sed et alia opuscula inedita plerumque ad res asceticas pertinentia examinanda erunt, quorum unum alterumque fortasse inter *dubia* opera recipi poterunt. Sed hoc examen bene fieri non potest, nisi postquam determinatum est, quinam sermones saltem probabiliter sint Bonaventurae, cum valde verisimile sit, plurium horum libellorum sententias depromptas esse ex quodam sermone et ab alio auctore ampliatas. Hinc horum examen ultimo huius editionis tomo reservamus.

Plurima talium operum initia et specimina iam indicata sunt a P. Fideli a Fanna in parte tertia libri *Ratio novae collectionis* etc. (pag. 247), ubi habetur: « Catalogus manuscriptorum operum hucusque inventorum, quae nomen praeferunt S. Bonaventurae neque sub eius nomine hactenus edita fuerunt, sive *illa sint certa, dubia aut spuria, vel etiam aliorum sub nomine impressa* ». De his adhuc pauca dicamus.

Complures horum libellorum ipse P. Fidelis agnovit esse spurios atque alii auctori tribuendos; nonnullos in hoc iam tomo recepimus ut Additamenta; de aliis *certo spuriis* hoc loco brevissime sententiam dicamus. Spurii sunt:

1. Omnes *Tractatus* et *Commentarii philosophici* sub n. 1-14. relati (ibid. pag. 248 seqq.).

2. Opusculum: *Incipiunt Ordinationes divini Officii. De pulsatione ad horas. Ad omnes Horas canonicas* (ibi n. 19.). Hae rubricae iam ante Bonaventuram a Generali Ordinis Haymone factae sunt et promulgatae in Capitulo Bononiensi an. 1242. (cfr. P. Ehrle S. I. Archiv für Literatur-und Kirchengeschichte, tom. VI. pag. 29).

3. *Explanatio quorundam articulorum ex Constitutionibus generalibus* (n. 21.). Hanc a nobis receptam ut dubiam vide infra pag. 450, notam 4. 5. et continuationem in notis pag. 451. 452.

4. *Regulae seu Maximae theologiae* (n. 27.). Non sunt Bonaventurae, sed Alani ab Insulis.

5. *De Antichristo* (n. 31.). Non est Bonaventurae, sed, ut vult Sbaralea (loc. cit. pag. 167), « Fr. Radulphi Ord. Min., testimonio Gulielmi Vorilongi in IV. Sent. d. 48. ». Cfr. etiam ibid. pag. 624.

6. *Scala fidei (Symbolum)*. Incipit: « Funiculus *triplex* difficile rumpitur ». Recte tribuitur Fr. Ildobrandino de Tuscanellis Ord. Praed., licet Echard. (Scriptores etc. tom. I. pag. 527) huius operis non faciat mentionem.

7. *Symbolica theologia* (n. 40.). Non est Bonaventurae et inventa est in uno tantum codice.

8. *De Pietate* (n. 47.). Excerptus est hic liber ex scriptis S. Bonaventurae et infra impressus pag. 19, Additamentum III, et pag. 23, Additamentum IV.

TABULAE

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM OMNIUM OPUSCULORUM

HUIUS OCTAVI TOMI.

Pro opusculo I. De triplici via.

A. Cod. Romanus (apud Spithoever) num. vacat (num. 19. [1]).
B. » Florentinus (bibliotheca Nationalis) II. II. 67. (n. 3.).
C. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 25. (n. 4.).
D. » Monacensis I. (bibl. Regia) 2657. (n. 5.).
E. » Monacensis II. (bibl. Regia) 5950. (n. 6.).
F. » Monacensis III. (bibl. Regia) 7971. (n. 7.).
G. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 8439. (n. 8.).
H. » Monacensis V. (bibl. Regia) 9612. (n. 9.).
I. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 15311. (n. 10.).
K. » Monacensis VII. (bibl. Regia) 16064. (n. 11.).
L. » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 16456. (n. 12.).
M. » Monacensis IX. (bibl. Regia) 17837. (n. 13.).
N. » Monacensis X. (bibl. Regia) 18779. (n. 14.).
O. » Monacensis XI. (bibl. Regia) 19855. (n. 15.).
P. » Monacensis XII. (bibl. Regia) 23861. (n. 16.).
Q. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VII. D. 43. (n. 17.).
R. » Parisiensis (bibl. Nationalis) 14976. (n. 18.).
S. » Tudertinus I. (bibl. sancti Fortunati) 174. (n. 20.).
T. » Tudertinus II. (bibl. sancti Fortunati) 182. (n. 21.).
U. » Venetus (bibl. Seminarii) F. III. 16. (n. 22.).
V. » Nostri Collegii, num. vacat. (n. 1.).
Z. » Cortonensis (bibl. Civitatis) 209. (n. 2.).
aa. » Castelli Tabernarum (bibl. Hospitalis) 20. C. progress. 43. (cfr. pag. 19, nota 13.).
bb. » Pragensis I. (bibl. Universitatis) III. D. 17. (n. 202.).
cc. » Pragensis II. (bibl. Universitatis) XIII. G. 5. (n. 203.).

Pro opusculo II. Soliloquium.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 9625. (num. 6.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 14767. (n. 7.).
C. » Monacensis III. (bibl. Regia) 14821. (n. 8.).
D. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 16440. (n. 9.).
E. » Monacensis V. (bibl. Regia) 16512. (n. 10.).
F. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 21412. (n. 11.).
G. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 25. (n. 5.).
H. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VI. D. 33. (n. 12.).
I. » Trevirensis (bibl. Publica) 772. progress. 572. (n. 2.).
K. » Gratianopolitanus (bibl. Civitatis) 842. (n. 4.).
L. » Florentinus (bibl. Riccardiana) CCCCLXX. (n. 3.).
M. » Assisiensis (bibl. Communalis) I. V. 10. (n. 1.).

---

[1] Numeri infra parentheses inclusi indicant locos, ubi codd. in respectivis §§ describuntur.

Pro opusculo III. Lignum vitae.

A. Cod. Assisiensis I. (bibliotheca Civitatis) 23. (num. 1.).
B. » Assisiensis II. (bibl. Civitatis) 28 et alius, qui num. vacat (n. 2. et 3.).
C. » Assisiensis III. (bibl. Civitatis) num. vacat (n. 4.).
D. » Romanus I. (bibl. principum Barberini) XI. 4. (25.).
E. » Florentinus (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XIX. Dext. 10. (n. 8.).
F. » Balneoregiensis (bibl. Seminarii) num. vacat (n. 5.).
G. » Parisiensis I. (bibl. Nationalis) 14976. (n. 22.).
H. » Parisiensis II. (bibl. Mazzarinea) 902. (n. 23.).
I. » Parisiensis III. (bibl. Nationalis) 2975. (n. 24.).
L. » Lovaniensis (bibl. Universitatis) 15a. (n. 9.).
M. » Monacensis I. (bibl. Regia) 7781. (n. 11.).
N. » Monacensis II. (bibl. Regia) 9805. (n. 12.).
O. » Monacensis III. (bibl. Regia) 11430. (n. 13.).
P. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 13102. (n. 14.).
Q. » Monacensis V. (bibl. Regia) 14831. (n. 15.).
R. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 15312. (n. 16.).
S. » Monacensis VII. (bibl. Regia) 9598. (n. 17.).
T. » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 21232. (n. 18.).
U. » Monacensis IX. (bibl. Regia) 23444. (n. 19.).
V. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VI. D. 33. (n. 21.).
W. » Tudertinus I. (bibl. Conventus sancti Fortunati) 174. (n. 27.).
X. » Tudertinus II. (bibl. Conventus sancti Fortunati) 140. (n. 28.).
Z. » Nostri Collegii I. num. vacat (n. 29.).
aa. » Romanus II. (bibl. principum Corsini) XL. E. 8. (n. 26.).
bb. » Nostri Collegii II. num. vacat (n. 6.).
cc. » Monacensis X. (bibl. Regia) 5861. (n. 20.).
dd. » Cortonensis (bibl. Communalis) 209. (n. 7.).
ee. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 25. (n. 10.).

Pro opusculo IV. De quinque festivitatibus pueri Iesu.

A. Cod. Trevirensis I. (bibliotheca Seminarii) R. VII. 1. (num. 1.).
B. » Trevirensis II. (bibl. Publica) 774. progress. 573. (n. 2.).
C. » Trevirensis III. (bibl. Publica) 853. progress. 580. (n. 3.).
D. » Trevirensis IV. (bibl. Publica) 175. progress. 161. (n. 4.).
E. » Darmstadiensis (bibl. Ducalis) 1021. (n. 5.).
F. » Leodiensis (bibl. maioris Seminarii) 6. M. 26. (n. 6.).
G. » Monacensis (bibl. Regia) 18650. (n. 7.).

Editiones.

1. Coloniensis an. 1486.
2. Argentinensis an. 1489.

Pro opusculo V. De praeparatione ad Missam.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 3596. (num. 4.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 11887. (n. 5.).
C. » Monacensis III. (bibl. Regia) 14808. (n. 6.).
D. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 11923. (n. 7.).
E. » Monacensis V. (bibl. Regia) 15181. (n. 8.).
F. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 18391. (n. 9.).
G. » Monacensis VII. (bibl. Regia) 18577. (n. 10.).
H. » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 18647. (n. 11.).

I. Cod. Monacensis IX. (bibl. Regia) 24810. (n. 12.).
K. » Monacensis X. (bibl. Regia) 9087. (n. 13.).
L. » Monacensis XI. (bibl. Regia) 18648. (n. 14.).
M. » Monacensis XII. (bibl. Regia) 6174. (n. 15.).
N. » Romanus (bibl. sancti Isidori) 88. (n. 17.).
O. » Gorlitiensis (bibl. Publica) A. B. 78. (n. 2.).
P. » Monasteriensis (bibl. Paulina) 425. (n. 16.).
Q. » Florentinus (bibl. Nationalis) C. VIII. 1165. (n. 1.).
R. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 25. (n. 3.).

Pro opusculo VI. De perfectione vitae ad Sorores.

A. Cod. Monacensis (bibliotheca Regia) 11923. (num. 1.).
B. » Salisburgensis (bibl. Monasterii sancti Petri) b. VIII. 17. (n. 6.).
C. » Pragensis I. (bibl. Universitatis) XII. b. 16. (n. 3.).
D. » Pragensis II. (bibl. Ecclesiae metropolitanae) B. LXXIX. (n. 4.).
E. » Parisiensis (bibl. Mazzarinea) 902. (n. 2.).
F. » Pragensis III. (bibl. Ecclesiae metropolitanae) A. LXXIX. (n. 5.).

Pro opusculo VII. De regimine animae.

A. Cod. Trevirensis I. (bibliotheca Publica) 598. (761.) (num. 1.).
B. » Trevirensis II. (bibl. Publica) 271. (683.) (n. 2.).
C. » Assisiensis (bibl. Communalis) (n. 6.).
D. » Parisiensis (bibl. Mazzarinea) 902. (n. 5.).
E. » Monacensis I. (bibl. Universitatis) 15a. (n. 4.).
F. » Monacensis II. (bibl. Regia) 9068. (n. 3.).

Pro opusculo VIII. De sex alis Seraphim.

Cod. Monacensis (bibliotheca Regia) 18933. (num. 1.).

EDITIONES.

1. Argentinensis an. 1495.
2. Veneta an. 1504.

Pro opusculo IX. Officium de passione Domini.

A. Cod. Giessensis (bibliotheca Universitatis) 877. (num. 4.).
B. » Romanus (bibl. principum Burghesiorum) 54. (n. 7.).
C. » Trevirensis (bibl. Civitatis) 649. (n. 1.).
D. » Darmstadiensis (bibl. Ducalis) 1021. (n. 2.).
E. » Monacensis I. (bibl. Regia) 4649. (n. 5.).
F. » Monacensis II. (bibl. Regia) 8258. (n. 6.).
G. » Florentinus (bibl. Nationalis) stanz. 21. E. B. IX. 201. (n. 3.).

Pro opusculo X. Vitis mystica.

A. Cod. Darmstadiensis I. (bibliotheca Ducalis) 1081. (num. 1.).
B. » Darmstadiensis II. (bibl. Ducalis) eiusdem num. (n. 2.).
C. » Lentiensis (bibl. Pnblica) P. N. 6. (n. 4.).
D. » Monacensis I. (bibl. Regia) 18648. (n. 5.).
E. » Monacensis II. (bibl. Regia) 18649. (n. 6.).
F. » Zwettellensis (bibl. Monasterii) 76. (n. 8.).
G. » Gottwicensis (bibl. Monasterii) 294. (274.) (n. 3.).
H. » Vindobonensis (bibl. Palatina) 4178. (n. 7.).

EDITIONES.

1. Editio Maurina Operum S. Bernardi.
2. Bonelli, Supplement. tom. III. col. 6 seqq.

Pro opusculo XI. Apologia pauperum.

A. Cod. Florentinus I. (bibliotheca Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. Dext. 9. (num. **2.**).
B. » Tudertinus I. (bibl. Conventus sancti Fortunati) 174. (n. 7.).
C. » Tudertinus II. (bibl. Conventus sancti Fortunati) 64. (n. 6.).
D. » Florentinus II. (bibl. Nationalis) B. III. 1283. (n. 3.).
E. » Pragensis (bibl. Ecclesiae metropolitanae) A. LXXIX. (n. 5.).
F. » Perusinus (bibl. Communalis) E. 58. (n. 4.).
G. » Assisiensis (bibl. Communalis) 121. (n. 1.).

Editiones.

1. Editio sine loco, probabiliter an. 1484.
2. Romana an. 1773.

Pro opusculo XII. De tribus quaestionibus ad magistrum innominatum.

A. Cod. Wolfenbuttensis (bibliotheca Ducalis) 680. (num. 14.).
B. » Florentinus I. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVII. Dext. 9. (n. 3.).
C. » Florentinus II. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXXI. Sin. 3. (n. 4.).
D. » Monacensis I. (bibl. Regia) 8090. (n. 5.).
E. » Monacensis II. (bibl. Regia) 23446. (n. 6.).
F. » Monacensis III. (bibl. Regia) 23595. (n. 7.).
G. » Trevirensis (bibl. Publica) 776. progress. 1268. (n. 2.).
H. » Romanus I. (bibl. principum Burghesiorum) 271. (n. 13.).
I. » Romanus II. (bibl. Collegii sancti Isidori) 5. (n. 9.).
K. » Assisiensis (bibl. Communalis) 111. (n. 1.).
L. » Parisiensis (bibl. Mazzarinea) 1129. (n. 8.).
M. » Romanus III. (bibl. Collegii sancti Isidori) 77. (n. 10.).
N. » Romanus IV. (bibl. Collegii sancti Isidori) 45. (n. 11.).
O. » Romanus V. (bibl. Collegii sancti Isidori) 84. (n. 12.).
P. » Wratislaviensis (bibl. Universitatis) Class. I. in 4. 83. (n. 29.).

Editiones.

1. Editio sine loco, probabiliter an. 1484.
2. Brixiensis an. 1502.

Pro opusculo XIII. Determinationes quaestionum circa Regulam Fratrum Minorum.

A. Cod. Wratislaviensis (bibliotheca Universitatis) Class. IV. 4. 12. (num. 3.).
B. » Wolfenbuttensis (bibl. Ducalis) 680. (n. 2.).
C. » Monacensis (bibl. Universitatis) 15a. (n. 1.).

Editio pro prima parte.

Veneta an. 1504.

Editiones pro secunda parte.

1. Argentinensis an. 1495.
2. Veneta an. 1504.
3. Romana an. 1773.

Pro opusculo XIV. Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant.

A. Cod. Wolfenbuttensis (bibliotheca Ducalis) 550. (num. 1.).
B. » Romanus (olim bibl. Collegii sancti Isidori) (n. 2.).

Editiones.

1. Veneta an. 1504.
2. Romana an. 1773.

Pro opusculo XV. Epistola de sandaliis Apostolorum.

Cod. Monacensis (bibliotheca Universitatis) 15.

EDITIONES.

1. Editio sine loco, probabiliter an. 1484.
2. Veneta an. 1504.

Pro opusculo XVI. Expositio super Regulam Fratrum Minorum.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Collegii sancti Isidori) 5. (num. 7.).
B. » Florentinus (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XV. Dext. 12. (n. 3.).
C. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VII. G. 48. (n. 4.).
D. » Trevirensis (bibl. Publica) 776. progress. 1268. (n. 1.).
E. » Romanus II. (bibl. Vaticana) 522. (n. 6.).
F. » Perusinus (bibl. Communalis) E. 58. (n. 5.).
G. » Nostri Collegii, num. vacat (n. 2.).

EDITIONES.

1. Brixiensis an. 1502.
2. Veneta an. 1504.

Pro opusculo XVII. Sermo super Regulam Fratrum Minorum.

Cod. Nostri Collegii, num. vacat.

Pro opusculo XVIII. Constitutiones Generales Narbonenses.

Cod. Romanus (bibl. Vaticana) 7339. (num. 13.).

Pro opusculo XIX. Epistolae Officiales.

Pro Epistola I.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Collegii S. Isidori) 84. (num. 6.).
B. » Romanus II. (bibl. Collegii S. Isidori) 68. (n. 5.).
C. » Romanus III. (bibl. Collegii S. Isidori) 5. (n. 4.).
D. » Magdeburgensis (bibl. Civitatis) XII. oct. 2. (n. 2.).
E. » Trevirensis (bibl. Publica) 776. progress. 1258. (n. 1.).
F. » Romanus IV. (bibl. Vaticana) 480. (n. 3.).

EDITIONES PRO I. ET II. EPISTOLA.

1. Editio sine loco, probabiliter an. 1484.
2. Waddingi Annales.

Pro Epistola II.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Collegii S. Isidori) 77. (num. 1.).
B. » Romanus II. (bibl. Vaticana) 480. (n. 2.).
C. » Romanus III. (bibl. Vaticana) 9403. (n. 3.).

Pro aliis Epistolis vide notam ad titulum earum, quae ad calcem posita est.

Pro opusculo XX. Regula novitiorum.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Vallicelliana) F. 52. (num. 9.).
B. » Romanus II. (bibl. principum Corsini) 41. E. 28. (n. 10.).
C. » Cortonensis I. (bibl. Communalis) 204. (n. 2.).
D. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VII. F. 35. (n. 5.).
E. » Florentinus (bibl. Riccardiana) CCCCXLV. (n. 3.).
F. » Parisiensis (bibl. Mazzarinea) 902. (n. 6.).

G. Cod. Romanus III. (bibl. Vaticana) 8596. (n. 7.).
H. » Romanus IV. (bibl. Vaticana) 7690. (n. 8.).
I. » Monacensis (bibl. Universitatis) 15. (n. 4.).
L. » Cortonensis II. (bibl. Communalis) 45. (n. 1.).

Editio Brixiensis an. 1495.

Pro opusculo XXI. Epistola continens viginti quinque Memorialia.

A. Cod. Trevirensis I. (bibliotheca Ecclesiae cathedralis) 49. (num. 1.).
B. » Trevirensis II. (bibl. Publica) 191. progress. 668. (n. 2.).
C. » Neapolitanus (bibl. Nationalis) VII. G. 48. (n. 4.).
D. » Monasteriensis (bibl. Universitatis) 345. [580.] (n. 3.).
E. » Romanus I. (bibl. principum Barberini) XLIV. 2. (n. 5.).
F. » Romanus II. (bibl. Casanatensis) B. VI. 13. (n. 6.).
G. » Romanus III. (bibl. principum Corsini) 41. E. 28. (n. 7.).

Editio sine loco, probabiliter an. 1484.

Pro opusculo XXII. Epistola de imitatione Christi.

A. Cod. Parisiensis (bibliotheca Nationalis) 18327. (num. 3.).
B. » Neapolitanus I. (bibl. Nationalis) VII. F. 35. (n. 1.).
C. » Neapolitanus II. (bibl. Nationalis) XIV. C. 35. (n. 2.).
D. » Romanus (bibl. Collegii S. Isidori) 68. (n. 4.).

Editio Bonelli, Supplement. tom. III. col. 1132.

Pro opusculo XXIII. Legenda S. Francisci.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca Vaticana) 7570. (num. 10.).
B. » Assisiensis I. (bibl. Communalis) B. IX. 6. (n. 1.).
C. » Assisiensis II. (bibl. Communalis) 23. (n. 2.).
D. » Assisiensis III. (bibl. Communalis) 24. (n. 3.).
E. » Assisiensis IV. (bibl. Communalis) 98. (n. 4.).
F. » Assisiensis V. (bibl. Communalis) 110. (n. 5.).
G. » Assisiensis VI. (bibl. Communalis) 46. (n. 6.).
H. » Romanus II. (bibl. Collegii S. Isidori) 40. (n. 12.).
I. » Florentinus I. (bibl. Nationalis) C. IX. 2878. (n. 7.).
K. » Montis Alvernae (bibl. Conventus) num. vacat. (n. 9.).
L. » Romanus III. (bibl. Vaticana) 121. (n. 11.).
M. » Florentinus II. (bibl. Nationalis) C. IX. 1188. (n. 8.).

Editio Florentina an. 1509.

Pro opusculo XXIV. Legenda minor S. Francisci.

A. Cod. Romanus (bibliotheca Casanatensis) D. VI. 12. (num. 2.).
M. » Florentinus (bibl. Nationalis) C. IX. 1188. (n. 1.).

Editio Bonelli, Supplement. tom. III. col. 1064.

PRO OPUSCULIS IN APPENDICE.

Pro opusculo I. Speculum disciplinae ad novitios.

A. Cod. Neapolitanus I. (bibliotheca Nationalis) VII. F. 35. (num. 4.).
B. » Neapolitanus II. (bibl. Nationalis) VII. G. 51. (n. 5.).
C. » Monacensis I. (bibl. Regia) 8094. (n. 2.).

D. Cod. Monacensis II. (bibl. Regia) 9068. (n. 3.).
E. » Moguntinus (bibl. Publica) oct. 8. progress. CCCCVI. (n. 1.).

EDITIONES.

1. Argentinensis an. 1495.
2. Brixiensis an. 1495.

Pro opusculo II. Speculum conscientiae.

Cod. Basileensis (bibl. Publica) A. V. 38. (num. 1.).

EDITIONES.

1. Brixiensis an. 1495.
2. Argentinensis an. 1495.

Pro opusculo III. Summa de gradibus virtutum.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 11923. (num. 1.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 12296. (n. 2.).
C. » Pragensis (bibl. Universitatis) X. B. 24. (n. 3.).
D. » Wratislaviensis I. (bibl. Universitatis) I. class. in fol. 642. (n. 5.).
E. » Wratislaviensis II. (bibl. Universitatis) I. class. in fol. 657. (n. 4.).

EDITIONES.

1. Veneta 1504.
2. Veneta 1564.

Pro opusculo IV. Collatio de contemptu saeculi.

Cod. Parisiensis (bibliotheca Mazzarinea) 902. (num. 1.).

EDITIONES.

1. Veneta 1504.
2. Veneta 1564.

Pro opusculo V. Compendium de virtute humilitatis.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 18651. (num. 1.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 19817. (n. 2.).
C. » Monacensis III. (bibl. Regia) 5014. (n. 3.).
D. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 3037. (n. 4.).
E. » Monacensis V. (bibl. Regia) 4775. (n. 5.).
F. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 11740. (n. 6.).

EDITIO Bonelli, Supplement. tom. III. col. 228.

Pro opusculo VI. Epistola ad quendam novitium insolentem.

A. Cod. Berolinensis I. (bibliotheca Regia) theol. lat. 153. (num. 1.).
B. » Berolinensis II. (bibl. Regia) theol. lat. 172. (n. 2.).
C. » Parisiensis (bibl. Nationalis) 18327. (n. 3.).

Pro opusculis rhythmicis (VII).

Num. I. Laudismus de sancta cruce.

A. Cod. Monacensis I. (bibliotheca Regia) 9003. (num. 2.).
B. » Monacensis II. (bibl. Regia) 19139. (n. 3.).

C. Cod. Dusseldorpiensis (bibl. Civitatis) vacat signo (n. 1.).
D. » Romanus (bibl. principum Corsini) 41. E. 28. (n. 4.).

Editio sine loco, probabiliter an. 1484.

Num. II. Philomena.

A. Cod. Moguntinus (bibliotheca Publica) 556. progress. CCCXI. (num. 12.).
B. » Parisiensis (bibl. Nationalis) 1544. (vide infra pag. 669, notam 3.).

Editio Hamburgensis.

Num. III. De septem verbis Domini in cruce.

Cod. Parisiensis (bibliotheca Mazzarinea) 902. (num. 1.).

Editiones.

1. Bonelli, Supplement. col. 1163.
2. Sbaralea in Supplemento ad Scriptores Ord. Min. pag. 149.

Num. IV. Planctus de passione Domini.

A. Cod. Romanus I. (bibliotheca principum Corsini) 41. E. 28. (num. 1.).
B. » Romanus II. (bibl. Collegii sancti Isidori) 1. 88. (n. 2.).

Num. V. Corona B. Mariae Virginis.

De hoc Officio vide pag. 677, notam 6.

PRAEFATIO.

Nonum hoc nostrae editionis volumen multos exhibet sermones S. Bonaventurae, id est totius collectionis omnium operum eiusdem quintam et ultimam classem; de qua divisione actum est in praefatione generali ad tom. I. pag. XXXVII. Non omnes S. Doctoris sermones hic habentur, cum opuscula tomi V, quae vocantur *Collationes in Hexaëmeron,* item *Collationes de Donis Spiritus S.* et *de Decem Praeceptis,* constent veris de indicatis materiis sermonibus, et quidem ab aliena manu reportatis, quibus additi sunt pauci alii sermones theologici. Etiam in tomo sexto illae *Collationes in Ioannem* non sunt nisi schemata quaedam sermonum. De ratione, quare nos, exemplum praecedentium editionum secuti, dictos sermones separaverimus ab illis qui de speciali themate tractant, agitur in prolegomenis ad praefata volumina.

Huius noni voluminis sermones, exceptis paucis, hucusque inediti et ignoti erant magnoque laboris et temporis dispendio ex pluribus codicibus a nobis selecti et correcti sunt. Nemini igitur videbitur mirum, nos fere quatuor annos insumsisse, ut hunc ultimum genuinorum S. Bonaventurae operum tomum absolveremus. Laudes et gratiae sint summo omnium bonorum Largitori, qui arduum hunc fere triginta annorum laborem feliciter ad finem perducere dignatus est!

Restat quidem adhuc aliquid minoris momenti faciendum. Nam praeter indicem rerum in his sermonibus contentarum, exponendus est conspectus syntheticus operum totius collectionis cum indicio critico de pluribus operibus editis et praecipue de multis manuscriptis, de quibus vel nulla vel nimis brevis critica in praecedentibus prolegomenis facta est; insuper convenit, etiam de vita et scriptis auctoris plura adhuc in medium proferre.

Haec omnia in alium, scilicet decimum tomum, aliis voluminibus multo minorem reiecimus, ne hic nonus iam satis amplus nimis mole excrescat.

Denique benevolo lectori communicandum esse censemus, a pluribus viris, quorum magna est apud nos auctoritas, observatum esse, inter opuscula certo spuria et a nobis non recepta nonnulla inveniri primitus saepius edita, studiose lecta et frequenter citata, quae certe digna essent, ut eorum memoria non pereat. Quapropter in animo nobis est, ut haec a nobis magis corrigantur atque separatim et in forma minori, ad usum magis accomodata iterum publicentur. Inter haec opuscula nominanda sunt praesertim *Stimulus amoris,* cuius auctor maximam sententiarum partem sumsit ex ipso Bonaventura; deinde *Meditationes de vita Christi,*

quod opusculum media aetate valde in usu erat; denique *Speculum maius B. Mariae Virginis,* scriptum a fratre Conrado de Saxonia; et fortasse etiam quaedam alia.

Memoriam denique moesto simul et grato animo faciamus confratris carissimi et per multos annos indefessi collaboratoris, P. Hyacinthi Deimel O. F. M., Subpraefecti nostri Collegii, qui die 28 Februarii anni 1900 pia morte nobis ereptus est.

Ex honesta familia natus est an. 1838 die 26 Septembris Briloniae, quae est civitas Westfaliae. A iuventute pie educatus, studia humanitatis inchoavit in gymnasio patriae et continuavit Warendorpii. A Patre luminum ad altiora vocatus, 1 Maii 1856 habitum nostri Ordinis assumsit Warendorpii, in novitiatu Provinciae Saxoniae S. Crucis, atque subito verum se S. Francisci filium comprobabat puritate vitae et ardenti perfectionis acquirendae studio. Post professionem primo se tradidit studiis philosophicis et theologicis Paderbornae, deinde, cum luculenta ad studia altiora apprehendenda et docenda indicia monstraret, missus est in Belgicam Provinciam, ut ibi biennio eadem studia in conventu S. Trudonis prosequeretur. Revocatus in propriam Provinciam, anno 1862 die 14 Iunii sacerdotio initiatus est. Subinde philosophiae clericis nostris tradendae officium suscepit, quod tredecim annorum decursu omni virium contentione et superiorum et discipulorum laude et plausu exsecutus est. Eo iam tempore philosophiae Scholasticorum in scholis nostris instaurandae toto studio operam navabat et philosophiae cursum, doctrinam S. Thomae praecipue secutus, diligenter scripto elaboravit, licet simul S. Bonaventurae et Alexandri Halensis opera continue evolverit. Cum aliis etiam laboribus assidue attenderet, graviter aegrotavit et per totam vitam imbecilliore erat valetudine.

Ab anno 1871, quando P. Fidelis a Fanna b. m. pro nova operum S. Bonaventurae editione praeparanda laborare incepit, P. Hyacinthus pro suo erga seraphicum Doctorem amore huic Patri variis subsidiis opitulatus est, praesertim in aliquibus opusculis describendis vel cum editis conferendis. Anno 1875, cum in Borussia persecutio Religiosos in exilium ire cogeret, idem Pater a Rmo P. Generali Bernardino a Portu Romatino delectus est, ut socius adesset P. Fideli in visitandis Germaniae et Austriae bibliothecis; porro alibi in multis locis, praesertim Parisiis, Oxonii, Monachii cum aliis confratribus strenue laboravit in antiquis manuscriptis vel describendis, vel conferendis. Stabilito an. 1879 pro adornanda nova Seraphici Doctoris editione Collegio S. Bonaventurae, cum pluribus Patribus etiam P. Hyacinthus eidem aggregatus est, in cuius ingenio et diligentia Praefectus Collegii, P. Fidelis a Fanna, summam semper fiduciam collocabat. Cum acri et subtili ingenio coniunctam habebat diligentiam etiam in minimis accuratissimam et fere anxiam; unde in rebus difficilibus vel dubiis vix sibi sufficere poterat, non cessans volumina revolvere, ut tutam sequi posset rationem. Miram prorsus assiduitatem et patientiam adhibuit in inquirendis et accurate notandis locis SS. Patrum aliorumque auctorum, qui a S. Doctore vel allegantur vel supponuntur; quod praecipue praestitit quoad loca Aristotelis aliorumque philosophorum. Si nova illa editio a viris doctis commendata est propter amplam et accuratam locorum et fontium citationem, haec laus defuncto socio carissimo nostro praecipue competit. Solitudinis amans, non parcebat laboribus et praeter frequentiam orationis in decursu anni vix aliquam recreationem admittebat.

Hoc eo magis aestimandum est, cum post periculosum cordis morbum per multos annos singulis diebus affectus esset molesta quadam nervorum infirmitate, quae

per modum febris mane per duas circiter horas eum ita affligebat, ut inhabilis fieret ad quaevis agenda; quare, ut has horas praeveniret, celebrare solebat mane hora quinta. Accessit gravis stomachi infirmitas, ita ut non nisi pauca ciborum genera simplicissima et in quantitate valde exigua sumere posset.

Nihilominus, quod sane mirum est, in conversatione cum aliis longe ab ipso aberat tristitia vel morositas, sed e contrario se praesentabat semper facie hilari suaque festivitate et iocosis verbis etiam alios exhilarantem.

Puritate conscientiae excellens, ubique lucis exempla monstrabat perfecto totius vitae ordine, summo erga res divinas et orationem studio, suavitate morum et rara erga omnes caritate, quae *gaudet cum gaudentibus et flet cum flentibus* (Rom. 12, 15.). Anni 1899 aestate propter magnam corporis debilitatem rediit ad propriae Provinciae conventus; sed ibi mense Augusti malum in peiorem partem versum est, ita ut vires valde deficerent. Sed magno in Collegium suum revertendi desiderio motus, die 23 Decembris reversus est, et non obstante magna sua debilitate, ad consuetos labores se accinxit. Primis tamen Februarii diebus morbus ille, quem vocant *influentiam,* eum graviter invasit; quo, ut videbatur, superato, die Cinerum (28 Februarii) ante meridiem morbus cardiacus subintravit. Ipse sponte requisivit extrema Sacramenta, quibus devote susceptis, et retento usque ad ultimam respirationem usu rationis et loquelae, sine agonia eodem die post horam octavam placidissime exspiravit.

Verus ipse fuit *Nathanaël, in quo dolus non fuit* (Ioan. 1, 47.); insuper et *fidelis servus,* qui talenta a Deo accepta non tenuit *in sudario reposita* (Luc. 19, 20.), sed cum usuris restituit. Sperare igitur licet, post mortalem cari consodalis vitam iustum Iudicem benigno vultu eum esse allocutum: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (Matth. 24, 21.).

In Collegio S. Bonaventurae, die 22 Augusti 1901.

PP. EDITORES.

Postquam praefationem huius voluminis die 22 Augusti h. a. iam scripsimus et officinae typographicae tradidimus, nuntium tristissimum accepimus de obitu Reverendissimi P. **ALOYSII LAUER**, Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, qui die 21 Augusti e vita migravit in conventu nostro Sigmaringensi Gorheim. Cuius eximii viri iacturam totus moeret Ordo. Non est hic locus de defuncti Patris vita, virtutibus et magnis in totum Ordinem et nominatim in Collegium nostrum meritis plura dicere, quod alibi et ab aliis viris convenientius fiet; tamen consentaneum esse videtur, hac occasione opportuna hic memoriam tam bene meriti Patris nostri defuncti facere atque nostri animi et dolorem et gratam pietatem erga eundem exprimere.

PROLEGOMENA

IN NONUM TOMUM.

CAPUT I.

De multis sermonum sancto Bonaventurae tributorum editionibus, quae hucusque impressae sunt.

I. De editione Vaticana.

In tertio istius editionis tomo, qui in titulo habet annum impressionis 1596, exhibentur 294 sermones de Tempore, 57 sermones in Proprio de Sanctis et 47 in Communi Sanctorum, in toto 398 sermones. Editor Angelus Rocca O. S. Aug. in epistola nuncupatoria ad Papam Clementem VIII, cum plura dixisset in laudem sermonum S. Bonaventurae, asserit, se collegisse et segregasse hos sermones « puros et genuinos, qui antea aliorum sermonibus, utpote Bonaventurae Paduani, Petri Aureoli et Francisci Mayronis, confuse permixti erant, et summo labore ab infinitis erroribus expurgasse ». Quibus verbis satis indicat, se ante oculos habuisse antiquam editionem Basileensem an. 1502, de qua infra n. VIII. sermo erit.

Editio Vaticana reimpressa est Lugduni 1609, Moguntiae an. 1675 et alio ordine Venetiis 1759, denique ab anno 1864 Parisiis, curante domino Peltier.

Surrexerunt tamen ante plura saecula viri critici, qui negaverunt, praedictos sermones esse genuinos. Iam Casimirus Oudinus in suo Commentario, tom. III. col. 400, omnes istos saltem inter dubios posuit, dum editores Veneti eosdem ut suppositilios exploserunt. Oudinus insuper asseruit: « Unde maior debet esse certitudo eorum quos an. 1521. Parisiis Iodocus Badius Ascensius publicavit, quam eorum qui habentur in Vaticana ». Sed in hoc valde erravit; e contrario enim nunc exploratum est, omnes a Badio vulgatos sermones esse spurios et Fr. Conrado de Saxonia restituendos.

Etiam P. Bened. Bonelli, in suo Prodromo (col. 670 seqq.), assentiens P. Sbaraleae, recte iudicavit, non paucos sermones Vaticanae editionis esse dubios, immo iam suspicatus est, multos eorum tribuendos esse Conrado de Saxonia (cfr. ibid. col. 718). Nunc tamen res est omnino explorata, ut infra n. IX, X. testimonio codicum probatur.

Primo dicendum est de prima parte sermonum Vaticanae, scilicet de sermonibus de Tempore. Inter hos solummodo 53 sermones auctorem habent Bonaventuram, reliqui omnes sunt Fr. Conradi de Saxonia, auctoris opusculi *Speculum maius B. Mariae Virginis*, qui floruit in principio saeculi XIV. Genuini illi sermones in nostra editione semper primum locum occupant et a nobis subsidio quatuor codicum a multis vitiis sunt emendati. Hi codices, de quibus vide infra c. II. n. I, praedictos sermones tribuunt S. Bonaventurae. Impressi sunt etiam, exclusis omnibus Conradi sermonibus, in editione Basileensi an. 1502. Quod legitime S. Doctori tribuantur, probatur non tantum hoc testimonio codicum, sed etiam tota eorum indole. Immo non est dubium, ipsum S. Bonaventuram hos sermones collegisse et litteris consignasse, ipso hoc testante in sermone I. Domin. XIII. post Pentecosten his verbis: « Ego servus crucis, Bonaventura, qui volumen praesens sermonum ad laudem nominis Christi et sanctae crucis honorem compegi » (infra pag. 404 col. I.). Haec verba habentur in citatis codicibus, sed vox *Bonaventurae* habetur in sole cod. F. Cum fere omnes sermones Bonaventurae ab aliis sint reportati, vel abbreviati; patet, quanti valoris sint hi 53 sermones, cum verba ipsa Bonaventurae contineant. Tamen pro more illius saeculi auctor tantum sententias sine apparatu rhetorico litteris demandavit. Ex aliis enim longioribus sermonibus reportatis videmus, ipsum consuevisse magis rhetorice et diffusius e suggestu verbum divinum proponere.

Secundo dicendum est aliquid de eiusdem editionis *Proprio Sanctorum* et de *Communi Sanctorum*. Primo notamus, horum nullos convenire cum sermonibus Conradi de Saxonia. Porro etiam Bonelli et Sbaralea valde dubitant, utrum hi sermones Vaticanae sint genuini, quin tamen de singulis iudicium ferant. Idem putat dominus Peltier in edit. Parisiensi tom. XIII. et XIV; quare hos sermones minoribus typis imprimi fecit. Dicit enim tom. XIII. pag. 493, nota 1: « Hucusque in edendis Bonaventurianis sermonibus typis consuetis usi sumus; nunc vero minoribus utendum est, non quod sermones omnes, qui praecedunt, pro authenticis, omnes vero, qui sequuntur, pro suppositiliis habeamus; sed tum uniformitatis gratia, tum quia frequentiores Valerii Maximi et ceterorum

gentilium, quae in sequenti parte occurrunt, citationes maiorem ingerunt suspicionem falsitatis ».

Plerique horum sermonum habent passim sententias et aliquas divisiones a Bonaventura non alienas, sed ita ab aliis sunt transformati, hinc inde adaucti, vel ut plurimum abbreviati et cum alienis laboribus permixti, ut quid proprie pertineat ad Bonaventuram, discerni non possit. Multi eorum habentur in diversis editionibus et codicibus, sed non sine additionibus, omissionibus et multis variantibus. Hac ratione ducti, nullum horum sermonum in nostram editionem recepimus.

II. De editione an. 1479.

Antiquior inter omnes editiones, quae habent collectiones sermonum S. Bonaventurae, est editio facta Zwollis an. 1479. Fol. 1 incipit: « Hoc praesenti volumine, cui vere competit illud comici: Invidiosum bonum, et quod priores absconditum servavere in amicitiam coniunctissimis, plerisque facile desideratu, sed comparatu difficile: ventura bona docentis seraphici doctoris Bonaventure sacrosancte Romane ecclesiae cardinalis dignissimi: sermonum de tempore simul et sanctis, et si invidiosum non tamen infructuosum opus: hactenus absconditum et occultum: nunc tandem impressoria arte palam procedit in lucem.

De adventu Sermo.

Veniet desideratus cunctis gentibus, Aggaei 2 ».

In fine habetur: « Ventura bona docentis seraphici doctoris Bonaventure sacrosancte Romane ecclesie Cardinalis dignissimi de tempore simul et sanctis perfructuosum opus Zwollis impressum: Feliciter explicit: Anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono ».

Sermones de Tempore sunt 127, de Proprio Sanctorum sunt 54 et de Communi Sanctorum tantum 17.

Huius editionis sermones de *Tempore* non conveniunt cum editis, neque in Vaticana neque in nostra editione, nisi hinc inde in nonnullis divisionibus et sententiis, etiam si uterque sermo est de eodem themate. Hoc patet, si comparamus ex. gr. secundum sermonem de I. Dominica Adventus: *Veniet desideratus cunctis gentibus*, Aggaei secundo, cum sermone secundo Bonaventurae pro Dominica I. Adventus, cuius divisio principalis est haec: « Primo notatur *benignitas* ex parte Filii Dei venientis, secundo *animi sinceritas* ex parte populi appetentis, tertio *utilitas* ex parte finis subsequentis ». Antiqua illa editio habet hanc sermonis divisionem: « Dico, quod sancti Patres adventum Dominicum aspirabant, quia natura *incitabat;* secundo, quia amor *intendebat;* tertio, necessitas *perurgebat* ». Porro exponit *aliam* divisionem sic: « In quo utique verbo monstratur et Domini venientis *humilitas* et exspectantis populi desideriorum *immensitas* et etiam populi subsequentis universalis *utilitas*. Notandum ergo, quod circa Dominum venientem sunt quatuor attendenda; nam in Domino veniente debemus attendere *maiestatem* divinam, *naturam* assumptam, *humilitatem* praecipuam et *utilitatem* omnimodam ».

Hinc patet, hunc sermonem esse a Bonaventuriano prorsus diversum; aliqui tamen sermones ibidem magis conveniunt. Plerumque tamen ipsa non refert ex Bonaventura nisi aliquod membrum divisionis, exponens illud aliis sententiis et multis rationibus philosophicis, ut vix ingenium Bonaventurae deprehendi possit.

Observandum est, plures huius editionis sermones de Tempore quoad Dominicas Adventus inveniri etiam in codice bibliothecae Vaticanae n. 5933. saec. XIII., qui ibi inscribuntur: *Sermones dominicales fr. Iacobi,* sed a manu paulo posteriore. Similiter conveniunt cum ipsa novem sermones dominicales, scilicet in Dominicis post Pentecosten, qui habentur in bibliotheca Basileensi, cod. B. X. 4. membr. saec. XIV., ubi sunt plures sermonum collectiones, quarum secunda continet praedictos novem sermones, a manu recentiore Bonaventurae tributos. Denique etiam *Giessae* in Hassia, bibliotheca Universitatis, cod. 779. habentur saltem quatuor eiusdem editionis sermones cum nomine Bonaventurae.

III. De editione tertia an. 1481.

In fine eiusdem legitur: *Ventura bona docentis seraphici doctoris Bonaventura* (sic!) *sacrosancte Romane ecclesie cardinalis dignissimi de tempore simul et sanctis cum communi sanctorum perfructuosum opus. Impressum per Iohannem Zainer: feliciter explicit Anno Domini Millesimoquadringentesimooctuagesimoprimo.*

In principio est registrum ordine alphabetico collectum. Numeri foliorum desunt. Deinde sequitur: « Hoc presenti volumine cui vere competit illud comici: invidiosum bonum: et quod priores absconditum servaverunt in amicitiam coniunctissimis plerisque facile desideratum sed compertum difficile: Ventura bona docentis seraphici doctoris Bonaventure sacrosancte romane ecclesie cardinalis dignissimi sermonum de tempore simul et sanctis, et si invidiosum non tamen infructuosum opus hactenus abditum et occultum nunc tandem impressoria arte palam procedit in lucem.

De adventu Sermo primus: Veniet desideratus cunctis gentibus, Aggaei secundo. Si sancti patres Domini desiderabant » etc.

Ut iam insinuatur ex his notitiis descriptis, haec editio, excepto registro, omnino convenit cum praecedenti editione.

IV. De editione sine loco et tempore.

Alia editio antiqua inscribitur: *Seraphici doctoris S. Bonaventure de tempore et de Sanctis cum communi Sanctorum.*

Folio primo legitur: « Sermones de tempore simul et de sanctis et de communi Sanctorum. Ventura bona docentis seraphici et nunc sancti doctoris Bonaventure Or. fra. min. sacrosancte r. ecclesie card. a revmo papa nostro Sixto quarto canonizati in praesentia domini Comitis Eberhardi senioris de Wirtenberg et de monte Pelligardo Dominica in Albis An. 1482 » (qui est dies et annus canonizationis). Habet sermones de tempore 30, de proprio Sanctorum 90, de Communi 16; ceterum convenit cum editione impressa Zwollis.

V. De editione an. 1485.

Haec facta est in Reutlingen praedicto anno, in quarto magno. Inscribitur: *Bonaventure sermones de tempore et Sanctis.* De tempore sunt 30, qui incipiunt: *Dominica prima Adventus. Veniet desideratus cunctis gentibus. Si sancti Patres* etc.; concludunt iisdem verbis ut secunda: « Et contumeliis gaudebant ». Sequuntur sermones de Sanctis, qui conveniunt cum impressis in editione Zwollensi: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Narrat Valerius Maximus, quod tanta in antiquis Romanis* etc. Desinunt: *Exterminatio*

daemoniorum, a qua Angeli desertoresque exciderunt. Sequuntur sermones de Communi Sanctorum, qui incipiunt et terminant ut in praedicta editione. In fine habetur: *In Reutlingen autumni tempore complevimus; unde gratias referimus Domino humilium exaltatori. An. Domini MCCCCLXXXV.*

VI. De editione an. 1496. facta in Hagenau.

Folio primo legitur: *Sermones de tempore et Sanctis cum Communi Sanctorum.* Folio secundo recto: *Sermones de tempore et Sanctis ac de communi Sanctorum. Ventura bona docentis,* ut supra n. II, III. Habet eosdem sermones ut editio praecedens.

VII. De editione Argentina an. 1496.

Legitur folio primo recto: *Sermones mediocres sancti Bonaventure de tempore.* — Folio secundo est tabula alphabetica, post quam: *Incipiunt sermones mediocres sancti Bonaventure.* Dominica I. in Adventu: *Ecce, dies veniunt, dicit Dominus, Ieremie vigesimo quinto.* Desinit fol. 161 v.: *Qui autem perseveraverit usque in finem, ad quem nos* etc. *Expliciunt sermones de Epistolis et Evangeliis dominicalibus per circuitum anni ad honorem D. N. I. Christi compilati a sancto Bonaventuro.* Folio 162 r. sequuntur adhuc alii sermones, ut de septem causis institutionis Eucharistiae, de quinque mirabilibus in Eucharistia etc. Desinit fol. 158. In fine: *Impressus est libellus iste Argentine Anno Domini MCCCCXCVI. finitus in die sancti Gregorii Papae.* — Auctor horum sermonum certo non est S. Bonaventura, cum sequatur methodum a modo illius prorsus diversam.

VIII. De editione Basileensi an. 1502.

Post monitum ad Lectorem sequuntur tituli *sermonum peregrinorum sive extravagantium in hoc libro insertorum.* Ibi numerantur 23 sermones, quorum 9 sunt Petri Aureoli, archiepiscopi Aquensis, 8 magistri Francisci de Mayronis, et alii anonymi. Deinde tabula alphabetica sermonum dominicalium. — Sequitur: *Sermones aurei atque subtiles de tempore et de sanctis cum communi sanctorum sti. Bonaventure doctoris seraphici: sacrosancte Romane ecclesie cardinalis et epi. Albanens. ex divo minorum ordine, veri et indubitati. Diversique ab his aliquando impressis et sancto Bonaventure falso adscriptis: a devio erroris accuratissime castigati atque emendati.* Folio secundo r.: *Incipiunt sermones aurei sancti Bonaventure doctoris Seraphici: sacrosancte Romane ecclesie Cardinalis et epi. Albanensis: ex ordine minorum. Dominica prima adventus domini. Sermo primus. His autem incipientibus respicite et elevate capita vestra, quoniam etc., Luce XXI. Quoniam in evangelio hodierno ponuntur presagia secundi adventus* etc.

Revera sequuntur illi genuini 53 sermones, quos habet editio Vaticana, sed commixtos cum sermonibus Conradi. Haec vero editio non habet alios sermones nisi illos quos recte aliis auctoribus, scil. Aureoli et Francisci de Mayronis, inscripsit. Approbanda est etiam illa censura, quod in aliis editionibus Bonaventurae falso adscripti sint varii sermones.

Folio 184 v. legitur: *Expliciunt sermones formalissimi seraphici doctoris sancti Bonaventurae cum aliquibus aliis sermonibus: domni Aureoli Archiepiscopi aquensis: et doctoris illuminati Francisci de Mayronis: suis in locis annotati de tempore. Anno 1502 die vero XV Aprilis.*

Sequitur: *Tabula alphabetica super sermones de sanctis sanctissimi Bonaventure* etc. Deinde: *Tituli sermonum de festivitatibus sanctorum.* Tunc: *Sermones formales de sanctis per circuitum anni celebratissimi patris sancti Bonaventure Cardinalis etc.* Deinde cum nova numeratione folio 1 r.: *Sermones de sanctis per circulum anni formales sancti Bonaventure etc.*

De sancto Andrea Apostolo sermo primus: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini Nostri iesu christi, Gal. ultimo. Narrat Valerius Maximus, quod tanta in romanis antiquis cupido gloriae fuit etc. — Folio 97 v.: *Expliciunt sermones de sanctis sanctissimi Bonaventure etc. impressi per magistrum Iacobum pfortzhemium Civem Basileensem Anno salutis et gratie millesimo quingentesimo secundo.* Deinde: *Sermones de communi sanctorum subtilissimi atque formales sancti Bonaventure etc.* Sequuntur de Communi Sanctorum, et desinunt folio 87 v. In fine: *Expliciunt,* ut supra et repetitur: *Iacobi pfortzhemii civis Basileensis impressi. Anno 1502.*

In editione, qua utimur, sequuntur adhuc: « Sermones Amici ex corrupto reintegrati quibus praefixae sunt distinctiones idest explicationes in forma alphabetica de rebus praedicabilibus in sermones Amici ».

Praedicti sermones de Sanctis et praesertim de Communi Sanctorum maxima ex parte satis conveniunt cum Vaticanae sermonibus de Sanctis; habent tamen interdum additamenta et adiiciunt circa sex novos sermones.

Ed. Vaticana textum 53 genuinorum sermonum sumsisse videtur ex hac editione Basileensi, cum illam etiam in vitiis plerumque sequatur. Locos tamen Scripturae ex textu transponit ad marginem.

Praeter has antiquiores editiones horum sermonum a nonnullis recensentur aliae, quas non vidimus, scilicet Parisiensis an. 1495 (cfr. Bonelli Prodromus col. 330 n. 28.) et Norimbergensis in folio an. 1497, insuper ibidem alia in 4. an. 1521 memoratur.

IX, X. De editionibus an. 1521. et 1597.

Hae duae editiones non habent nisi sermones Fratris Conradi de Saxonia. Post utriusque descriptionem testimonio dein antiquorum codicum probabimus, verum horum sermonum auctorem esse dictum Conradum.

Prima illa editio impressa est Parisiis an. 1521. in 8, curata a Iodoco Badio Ascensio, qui in epistola nuncupatoria hos sermones de Tempore, de Sanctis et de Communi Sanctorum S. Bonaventurae attribuit, sed falso. Ibi omittuntur omnes genuini de Dominicis sermones, qui sunt in editione Vaticana.

Altera editio, quae facta est Brixiae an. 1596. apud Polycetum Tulinum, praecedentem omnino reimprimit. Typographus ad lectorem dicit, se iam longo tempore inutiliter sermones Bonaventurae ad imprimendum quaesivisse. « Et ecce, fortuito et inopinato eventu accidit, ut cuiusdam Religiosi et eruditi viri manu ordinis capucinorum sancti Francisci, ad me ex longinquis partibus fuerint deportati, eos veluti thesaurum apud se detinentis, quandoquidem nullibi eorumdem copiam reperiri, sibi persuasum haberet ». Addidit, se hac ratione ductum eosdem iterum typis mandasse. Titulus operis est: *D. Ioannis Eustachii Bonaventurae seraphici Doctoris etc. Sermones per annum praedicatoribus perutiles* ».

6. Similiter *Monasterii* (in Westfalia), bibliotheca Paulina, cod. 547. membr. in 8. saec. XIV., in duas partes divisus, quarum prima continet sermones de Tempore; fol. 1: *In Adventu Domini: Veniet desideratus cunctis gentibus, Aggei secundo. Quoniam ad misericordiam pertinet* etc. Habet 40 sermones, qui conveniunt cum nostra editione. Ultimus est: *Confide filia.*

II.

Multorum sermonum, praesertim de Tempore, tantum *schemata* nobis licuit publicare. Haec sumsimus praecipue ex duobus codicibus, quorum primus unicuique sermoni praefigit rubricas ratione historiae non exigui momenti. De hoc plura dicenda sunt.

7. *Mediolani,* bibliotheca Ambrosiana, cod. A. 11. membr. saec. XIII. vel XIV. ineunt. folior. 156. Litterae initiales pictae sunt coloribus alternatim rubris et caeruleis. — Fol. 1 r. sic absolute incipit: *Sermo fratris Bonaventure coram rege Franciae in palatio extra Parisius apud nemus in prima Dominica de Adventu ante Natale. Ecce odor Filii mei* etc. — Desinit: *Expliciunt sermones fratris Bonaventure de cunctis dominicalibus totius anni.*

De hoc insigni codice diffuse loquitur P. Fidelis a Fanna *Ratio novae collectionis* etc. pag. 90-141 probatque, ipsum esse fide dignissimum. Omissis argumentis ibi allatis, hic solummodo observamus, nos non raro diffusiori sermoni, qui aliunde ut Bonaventurianus dignoscitur, subiecisse *schema* sermonis ex hoc codice sumtum, quod secundum substantiam ita convenit, ut de identitate sermonis nequeat dubitari, nec de fide, quam merentur schemata huius codicis.

Iste codex est collectaneus, id est variorum auctorum sermones continens, qui quidem auctores Bonaventurae coaevi sunt omnes, et eorum nomen refertur. Patet, hos sermones habitos in locis tam dissitis ex ore Bonaventurae praedicantis excipere neminem potuisse, nisi esset socius, qui ipsum itinerantem fuerit comitatus.

Referuntur 342 schemata sermonum, quorum maxima pars, id est 279 sermones, est S. Bonaventurae; aliorum auctorum sunt tantum 26. Hi auctores sunt Fr. Eustachius Ord. Min., qui certe non est Bonaventura, licet hic a Graecis etiam vocaretur Eutychius; sed non Eustachius, uti non pauci antiqui et recentes erronee asseruerunt. Fr. Guillelmus magister, Fr. Guillelmus de Lamara, Fr. Guillelmus de Ligniaco, Fr. Guillelmus de Vaglon, Fr. Humbertus Ord. Praed., Fr. Ioannes de Celano, Fr. Ioannes de Pechamo, Fr. Ioannes de Rupella, Fr. Petrus de Tarantasia (cuius 5 sermones referuntur), Fr. Raymundus Ord. Praed., Fr. Robertus de Villiaco, Fr. Thomas de Aquino, qui habet 3 sermones.

In praefixis rubricis recensentur plurimi loci Galliae et Italiae, ubi hi sermones pronuntiati sint; et praeterea nominantur etiam Colonia et provincia Alemanniae superioris atque Barcinona. Diversi sermones habiti sunt coram summis Pontificibus Clemente IV., Urbano IV., Gregorio X. et cardinalibus, coram praelatis in synodo, coram regibus Galliae, Navarrae et eorum familiis, multi coram Universitate Parisiensi, coram plurium Religionum alumnis, coram monialibus et etiam coram populo. — Signatur A.

8. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, cod. 14595. in 4. membr. saec. XIV. ineuntis habet multa eiusdem S. Bonaventurae sermonum schemata, modo aeque contracta, modo paululum longiora ac S. Bonaventurae tributa. Habet tamen tantum sermones in Gallia praedicatos.

Fol. 1 sic incipit: « In isto volumine continentur mixtim quedam memoralia Fr. Bonaventure Generalis Ministri Ordinis Minorum et aliorum Ministrorum et predicatorum compilata per solas distinctiones absque expositionibus et adaptationibus et dilatationibus et exemplificationibus. Ideo si quis ibi aliquid minus solidum inveniat, tedio et ignorantie scriptoris sive compilatoris attribuat et semper id quod hinc decerpet, discutiat et caveat sicut prudens et pius, maxime cum ponantur quandoque ibi quedam impropria et magis verbosa quam realia sive utilia propter brevitatem et curiositatem compilatoris, qui dimisit quandoque, quae realiter erant et melius soli sibi consulens et vias sive occasiones cogitandi tantummodo querens et discendi ». Fol. 1 in margine legitur: *Sermo I. Dominica prima Adventus.* — Sermo incipit: *Veniet desideratus gentibus* etc.

Haec schemata excepta sunt manifeste ab alio scriptore, quam qui schemata codicis A composuit. Ordo saepe mutatus est, interdum plura omittit, interdum alia addit. Ipso usi sumus, ut vitia codicis A corrigeremus et interdum, ut eiusdem lacunas suppleremus. — Signatur B.

His duobus codicibus subiungimus duos, qui similiter non habent nisi sermonum schemata.

9. *Zwickau,* in civitate Saxoniae, bibliotheca Civitatis, cod. I. XV. IV. membr. in 8. saec. XIV. a diversis manibus exaratus. — Fol. 3 r. a prima manu: *Dominica I. in Adventu Domini.* Deinde a posteriori manu: *Bonaventure collationes. Ecce veniet desideratus cunctis gentibus, Aggei II. Sanctos patres et Patriarchas.* — Signatur O. — Cum ipso ibidem convenire videtur cod. I. XV. I. membr. saec. XIV, qui post aliud opusculum fol. 26 r. in initio habet: *Incipiunt collationes et sermones Boneventure per totum annum. — Ecce, veniet desideratus gentibus.* Agg. II. *Et sancti Patres* etc.

Schemata primi illius codicis plerumque admodum contracta sunt, et plura eorum non conveniunt cum sermonibus notis Bonaventurae.

Interdum hunc codicem infra citavimus, scil. pag. 289, nota 2; pag. 293, nota 11; pag. 306, nota 4; pag. 309, nota 5.

10. Alia schemata habentur *Monachii,* bibliotheca Regia, cod. Lat.. 8739. (olim Franciscan. Monac. 39.) membr. saec. XIV. — Fol. 118 v. col. II.: *Egredietur virga* etc. *Sacro inspiratus flamine, Isaias explicat nobis multifarie incarnationis mysterium et describit tripliciter, scilicet quantum ad nobilitatem Virginis concipientis, ibi: Egredietur; quantum ad puritatem singularis conceptionis, ibi: et flos de radice; quantum ad sublimitatem concepte prolis, ibi: Et requiescet super eum* etc.

Similium schematum in toto sunt 28. Maior horum pars exhibent legitimos Bonaventurae sermones, cum eorum expositio longior inveniatur alibi et S. Doctoris esse probetur.

III.

Alias collectiones sermonum sive impressas sive scriptas, quae non nisi *legitimos* Bonaventurae sermones contineant, invenimus nullas. Sunt quidem nonnullae, Bonaventurae inscriptae collectiones, sed vel sunt permixtae cum aliorum sermonibus, vel hi sunt ita transformati, ut non exhibeant verum eiusdem spiritum et indolem. Coacti igitur sumus, ex multis variisque

codicibus singulos sermones seligere, conferre et examinare, qui sane labor erat difficilis et taediosus.

Invenimus igitur saepe unum solum codicem et non raro vitiosum, qui genuinum sermonem exhibuit; aliquoties idem sermo in duobus, vel pluribus codicibus inventus est, plus minusve inter se convenientibus, ut textus emendari, vel etiam suppleri potuerit. Hoc loco sufficiat enumerare singulos codices, quibus secundum circumstantias diverso modo usi sumus, vel textum ex ipsis describendo, vel ipsum cum alio conferendo, vel lacunas aliunde supplendo, vel sermonis authenticitatem ex aliquo alio comprobando. In notis ad calcem cuiusvis sermonis hoc distinctius adnotatur. — Post descriptionem codicis hic pagina et nota solummodo citatur. In hoc syllabo multorum ad sermones Bonaventurae spectantium codicum non posuimus illos qui Fr. Conrado de Saxonia suos sermones vindicant, de quo supra sermo est c. I. n. I. pag. XIV., nec etiam non paucos codices, qui habent speciatim sermonem de Modo vivendi infra pag. 723.

11. *Assisii,* bibliotheca Communalis, cod. membr. in 4. saec. XIII. vel saec. XIV. ineuntis, folior. 112. — Cum hic et sequens cod. nullo esset numero distinctus, a P. Fidele a Fanna illi primo num. 58., altero n. 59. datus est. In novo eiusdem bibliothecae catalogo desunt operibus praedicabilibus indicia sufficientia, ut utriusque numerus assignetur. Hic cod. habet sine nomine auctoris primo sex sermones vel de B. M. V., vel de Angelis et deinde 32 de Sanctis in *Communi;* sequuntur alii 11 sermones.

Fol. 1: *Sermo de B. V. Maria. Suspice caelum et numera stellas* etc. *Virgo regia.* Codex iste est a nostris cum Vat. collatus habetque plurimas variantes. In fine codicis longa est additio, ex qua manifeste apparet, ignotum quendam fratrem multum laborasse, ut hanc collectionem perficeret. Inter alia se excusat, quod « pauca posuerit ex naturalium rerum exemplis », et addit: « Sed si quis copiosius desiderat esse in exemplis... *libellum nostrum,* cuius titulus est *de naturalibus Exemplis,* studeat legere et memoriae commendare. Quia tanta ibi aggregata est multitudo exemplorum, ut nulla sit materia, de qua multa non possint inveniri exempla. Si quid ergo in istis utile dictum est, ille solus laudes accipiat, qui dedit incipere, dedit medium ponere et ad finem deducere et tectum parietibus ac fundamento adiungere, ut mandavit. Quidquid fuerit vitiosum pravo intellectui imputetur librorum, quibus carui, dum ista dictarem. Valete, fratres, et orate pro me »!

Ex hoc testimonio satis apparet, collectorem praefatorum sermonum non esse S. Bonaventuram; sermonesque iuste non esse a nobis receptos, quamvis saepe alibi cum eiusdem nomine sint impressi et etiam in codicibus descripti; ceterum nec a Sbaralea nec a Bonelli invenimus huius codicis esse mentionem factam.

12. *Ibidem,* cod. 59. in 4. saec. XIV. — Habet sermones de proprio Sanctorum, non tantum eos, qui impressi sunt in Vaticana, sed et alios plures. Ex eodem codice sumsit Bonelli (Supplem. III. col. 611 seqq.) quatuor sermones, quos publicavit ibi sub nomine *de Sermonibus diversis;* cfr. supra c. I. n. XI. Praeter 48 sermones editos remanent adhuc 25 inediti. Hunc codicem citavimus pag. 708, nota 9. et pag. 712, nota 2.

13. *Basileae,* bibliotheca Publica, cod. B. X. 4. membr. in 8. saec XIII. exeuntis, vel XIV. ineuntis. — Habet quatuor sermonum collectiones, quarum prima a manu saec. XV. inscribitur: *Sermones super Epistolas et Evangelia ab Epiphania usque ad quinquagesimam.* Secunda a fol. 13 implet folia 96 et a manu recentiore inscribitur: *Sermones sancti Bonaventure,* quae verba etiam in indice repetuntur exadversum sermones. Horum plurimi conveniunt cum editionibus an. 1479 et 1481. Cfr. supra c. I. n. II. et III; alii vero cum his non conveniunt, quorum duo a nobis fide aliorum codicum recepti sunt.

Hunc codicem citavimus infra pag. 281, nota 4. et pag. 446, nota 8.

14. *Berolini,* bibliotheca Regia cod. 31. — Folio 1 r. a posteriore manu notatur: *Sermones de Sanctis, quos fecit Bonaventura cardinalis de Ordine fratrum Minorum.* Hic continet multos sermones de Tempore et de Sanctis, quorum fere omnium habemus apographa. Exemplo huius collectoris probatur, quanta libertate multi usi sint Bonaventurae operibus et sententiis, ita ut tales sermones potius transformati quam genuini censeri debeant. Tamen unum solum sermonem exempli gratia recepimus, qui revera multa habet ex Bonaventura. Citatus est infra pag. 97, nota 8. et pag. 695, nota 6. — Sign. N.

15. *Carolopoli* (Charlesville), bibliotheca Civitatis, cod. 31. membr. in 8. saec. XIII. in XIV. — Post opusculum *de Triplici via* aliaque antiquitus Bonaventurae tributa opuscula sequuntur sermones plurimi, et etiam aliqui Bonaventuriani, inter quos fol. 42 r. est sermo satis diffuse reportatus: *Ecce, intelliget servus meus, exaltabitur* etc., quem scripsit Bonaventura, quando incepit in scholis commentarium in Ioannem (cfr. tom. VI. pag. 239). Habet etiam plura schemata, quae conveniunt cum eis quos sumsimus ex cod. Ambrosiano A.

Citavimus hunc cod. infra pag. 173, nota 11; pag. 181, nota 10; pag. 183, nota 5; pag. 195, nota 2; insuper pag. 569, nota 10, ubi agitur de sermone reportato.

16. *Düsseldorpii,* bibliotheca Civitatis, cod. in 12. non sign. incat. saec. XV. — Fol. 60 r.: *Incipit libellus compositus a bonaventura doctore devoto de modo vivendi. Quisquis es, qui per fidem* etc.

Hunc sermonem publicavimus infra pag. 723 seqq.

17. *Florentiae,* bibliotheca Nationalis (olim Angel.), cod. saec. XV. in fol. binis columnis conscriptus sign. 1017. E. 6. — Continet diversos sermones S. Bonaventurae. Fol. 25 r. est rubrica: *In Nativitate Domini. Transeamus usque Bethlehem.*

Citatur a nobis infra pag. 79, nota 3; pag. 102, nota 7; pag. 110, nota 8; pag. 151, nota 4; pag. 195, nota 2; pag. 246, nota 5; pag. 345, nota 5; pag. 351, nota 13; pag. 390, nota 3; pag. 514, nota 4; pag. 560, nota 6; pag. 562, nota 11. — Signatur U.

18. *Ibidem,* cod. 47. I. II. (olim S. Marci), membr. saec. XIV. a pluribus manibus exaratus. — Continet sermones de Tempore et festivos. Fol. 10 v. incipit: *Videbit omnis caro salutare Dei* etc. Desinit fol. 12 r: *Quam spem ipse nobis* etc.

Hic codex a nobis citatur pag. 151, nota 4. — Signatur aa.

19. *Gottwici* (Göttweig) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 177. (216.) membr. in 8. saec. XIV. — Continet *Speculum B. V. M.* et varios sermones. Fol. 205 v. in fine est rubrica: *De Virgine. Surrexit rex in occursum matris* etc. Sermo continuatur duobus foliis interiectis, quae ad ipsum non pertinent; fol. 208 r. in principio: *Quam multiplici figura Salomon ille nostrum respiciat Salomonem* etc. Desinit fol. 209 v.: *que cum filio regnat in s. s. Amen. Explicit sermo fratris boneventure. Amen.* Folia 211-220 desunt.

Hunc sermonem publicavimus infra pag. 693 seqq.

20. *Hilarini* (Wilhering) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 36. membr. saec. XIII. — Fol. 31 v. est rubrica: *In die circumcisionis fratris bo.event.* Desinit fol. 34 r.

Hic codex continet nonnullos sermones S. Bonaventurae, quos infra impressimus pag. 133 seqq.; pag. 381 seqq.; pag. 470 seqq. et pag. 667 seqq.

21. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. V. 127. N. 29. membr. in 8. saec. XIV. ante medium, foliorum 110. — Habet diversos sermones, qui ex parte conveniunt cum editione Vaticana.

Hic codex refertur a nobis in II. sermone de Ss. Apost. Petro et Paulo, infra pag. 549 seqq.

22. *Lovanii* in Belgio, bibliotheca Universitatis, cod. recenter sign. 15. A. chart. saec. 15. — Hic codex praeter *Soliloquium* continet etiam schema cuiusdam sermonis S. Bonaventurae de 28 mirabilibus s. eucharistiae.

Hoc publicatum est a nobis infra pag. 255.

23. *Monachii,* bibliotheca Regia plures codd. praebuerunt nobis plurimos sermones. De uno eorum, scil. cod. 8739, qui exhibet 28 *schemata*, iam locuti sumus supra c. II. n. II. (pag. XVI).

A nobis citatur pag. 120, nota 12; pag. 128, nota 4; pag. 321, nota 15; pag. 510, nota 7; pag. 546, nota 10; pag. 573, nota 5; pag. 687, nota 7; pag. 699, nota 1. et pag. 706, nota 8.

24. *Ibidem*, cod. Lat. 7776. (olim Ind. 375.) membr. in 4. saec. XIV. — Continet quatuor collectiones sermonum. Fol. 1 r. praemittitur indiculus sermonum de Sanctis et de Tempore exaratus *Anno Domini 1487*. Sequenti fol. primo numerato incipit prima collectio, quae desinit fol. 4 v.; deinde fol. 5 r. incipit secunda collectio sermonum, qui licet sint anonymi, tamen magna ex parte videntur esse Ioannis de Rupella; desinit fol. 112 v.; tertia collectio incipit fol. 113 r.; sermones sunt anonymi Minoritae, sed ultimus, qui incipit fol. 187: *Astitit regina* etc., est Ioan. de Rupella. Quarta collectio continens sermones diversos de Tempore et de Sanctis incipit fol. 190 v.: *Praeparate corda vestra Deo* etc.; desinit cum sermone: *Cum descendisset Iesus de monte* etc. In hac quarta collectione inveniuntur varii authentici sermones S. Bonaventurae.

Citatur a nobis pag. 88, nota 1; pag. 99, nota 7; pag. 124, nota 6; pag. 133, nota 6; pag. 151, nota 4; pag. 161, nota 5; pag. 163, nota 14; pag. 246, nota 5; pag. 270, nota 1; pag. 309, nota 4; pag. 326, nota 4; pag. 337, nota 4; pag. 339, nota 8; pag. 341, nota 4; pag. 485, nota 5; pag. 590, nota 7; pag. 648, nota 5; pag. 649, nota 12; pag. 653, nota 9; pag. 659, nota 11; pag. 667, nota 2; pag. 671, nota 8; pag. 677, nota 8; pag. 682, nota 4; pag. 699, nota 1; pag. 706, nota 8; pag. 708, nota 9; pag. 712, nota 2; pag. 715, nota 2; pag. 721, nota 6. et pag. 725, nota 4. — Signatur W.

25. *Ibidem,* cod. Lat. 16029. (S. Nicol. 29.) membr. in 4. saec. XIV. circa medium. — Codex continet duplicem collectionem sermonum. Fol. 1 r. incipit *Excerptum theutonici,* in quo habentur duo sermones S. Bonaventurae: primus incipit fol. 2 v.: *Sermo secundus. Quis det te mihi in fratrem meum,* et secundus, fol. 10 r. cum rubrica: *Dominica tertia. Sic nos existimet homo* etc. Secunda collectio incipit fol. 100 r. cum rubrica: *Excerptum Conradi.* Desinit fol. 137 v.: *deliciis affluens innixa super dilectum suum.*

Hic codex allegatur a nobis pag. 88, nota 1. — Signatur X.

26. *Ibidem,* cod. Lat. 8438. (Mon. Aug. 138.) miscell. chart. in fol. saec. XV. — Fol. 1 r. incipit: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* etc. Sequuntur varii sermones de Sanctis, quorum multi conveniunt cum edit. Vaticana; finiunt fol. 86 v. Postea fol. 88 r. a verbis: *Funiculus triplex difficile rumpitur* sequitur altera collectio 45 sermonum, qui desinunt fol. 148 r.: *Deus charitas est. Explicit scala fidei et sufficientia XII articulorum fidei.* A fol. 149 ad fol. 156 est tabula rerum non alphabetica operis antecedentis.

Citatur a nobis pag. 543, nota 5. et pag. 549, nota 6.

27. *Ibidem,* cod. Lat. 23595. (zz 595.) membr. in 8. saec. XIII. foliorum numeratorum modo 194; sed olim erant 253. Multa ergo folia a barbara manu decerpta sunt. Fol. 1 non numerato v. a consueta manu saec. XIV. ineuntis ut in aliis codicibus Assisiensibus litteris cursivis habetur: *Iste liber est sacri conventus sancti Francisci de Assisio.* Fol. 3 r. a manu altera saec. XIV. litteris formosis et grandioribus scriptum est: *In isto libro sunt infrascripti tractatus;* post quos tractatus fol. 125 v. incipiunt varii sermones. Fol. 158 r. est rubrica: *In festo S. Antonii. Iste pauper clamavit* etc.

Hic codex a nobis refertur pag. 250, nota 3; pag. 535, nota 5. et pag. 500, nota 7.

28. *Ibidem,* cod. Lat. 15744. (olim C. 106. Bas.) membr. in 4. saec. XIV. ante medium, foliorum 76, tabulis corio obductis, et olim catenatus, facilis lectu, bene conservatus, binis columnis scriptus. — Post nonnullos alios tractatus fol. 73 v. incipit: *Sermo fratris Boneventure de nativitate Domini* (apud nos sermo I. in Vigil. Nat. Dom.). *Quis mihi det te fratrem meum* etc. Desinit fol. 75 v.: *id est sapientiam, que est Christus Dominus.* Dein statim sequitur: *Sermo bone venture de arbore ligni vite. Christo confixus sum cruci* etc. Est prologus opusculi *Ligni vitae,* qui desinit: *et postremis versiculis postulatur.*

Iste codex citatur infra pag. 85, nota 14. et pag. 88, nota 1. — Signatur Y.

29. *Ibidem,* cod. Lat. 14761. (Rat. S. Em. 761.) membr. in 8. saec. XIII. — Continet 241 sermones diversorum auctorum innominatorum, estque codex Gallicus, uti ex scriptura et Gallicis vocabulis, quae sermonibus immiscentur, colligitur. Fol. 213 v. incipit: *Intrantes domum invenerunt puerum* etc. Desinit fol. 216 r.: *inveniet vitam eternam et gloriam.*

Hunc codicem citamus pag. 151, nota 4.

30. *Ibidem,* cod. Lat. 9604. (Ober-Altaich 104.) membr. in 8. saec. XIV. — Fol. 1 r. a manu saec. XV.: *Incipit novus saxus de sanctis.* In fine fol. 140 v. ab eadem manu scribitur: *Explicit novus saxus de Sanctis.* Sed fol. 99 v. habet sermonem S. Bonaventurae: *De nativitate Virginis. Vas admirabile opus excelsi.*

In nostra editione est sermo quartus infra pag. 713, nota 11.

31. *Ibidem,* cod. Lat. 9606. (Ober-Altaich 106.) membr. in 8. saec. XV. — Post diversos alios sermones pag. 302-305. v. incipit: *Item sermo de assumptione beate. Hec est speciosior sole* etc. In fine additur: *Explicit sermo bonus boneventure.*

A nobis nominatur pag. 691, nota 4.

32. *Monasterii,* bibliotheca Paulina, cod. 519. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis. — Continet sermones de Tempore, quorum plurimi habent nomen *Rusticani,* unus autem Bonaventurae. Fol. 232 r. in superiore margine grandioribus litteris

scriptum est: *Sermo bonaventure de gloriosa virgine Maria. Signum apparuit in celo.* Desinit fol. 236 v.

Hic sermo sine dubio est genuinus, sed in codice hoc vitiose reportatus. Citavimus eum infra pag. 23, nota 1. et pag. 700, nota 8. — Signatur L.

33. *Oxoniae* in Anglia, bibliotheca Bodleiana (Asmoleana), cod. 757. membr. in 4. saec. XIII. — De hoc codice cfr. Prolegomena ad tom. V. pag. XL § 3.

Sermones S. Bonaventurae in hoc codice contenti a nobis impressi sunt infra pag. 208 seqq.; pag. 314 seqq.; pag. 633 seqq. et pag. 695 seqq.

34. *Parisiis,* bibliotheca Nationalis, cod 15956. (olim Sorbon. 816.) in 4. membr. saec. XIII. — Fol. 228 v. in margine est rubrica: *De omnibus sanctis Bonaventura. Ego Iohannes vidi sanctam civitatem* etc. Desinit fol. 30 v.

Hic sermo a nobis exhibetur infra pag. 600 seqq.

35. *Ibidem,* cod. 16481. (olim Sorbon. 1692.) in 4. saec. XIII. foliorum 342. — Continet varios sermones ab una manu exaratos, inter quos duos sermones S. Bonaventurae de S. Marco cum nomine auctoris. Fol. 216 r. est rubrica: *Sermo fratris Bonaventure ad S. Antonium in festo sancti Marchi evangeliste in mane. Eodem die. et hora ad beginas. Sapientiam sine fictione didici* etc.

Hi duo sermones infra impressi sunt pag. 519 seqq. et pag. 524 seqq.

36. *Ibidem,* cod. 16499. (Sorbon. 1719.) saec. XIII. nigris et parvis litteris. — Hic codex praeter sermones de *Decem Praeceptis* continet nonnullos alios sermones S. Bonaventurae.

A nobis impressi et infra recensiti sunt pag. 71 seq.; pag. 72 seqq.; pag. 126 seqq.; pag. 224 seqq.; pag. 255 seqq.; pag. 262 seqq.; pag. 267 seqq.; pag. 463 seqq.; pag. 478 seqq.; pag. 505 seqq.; pag. 510 seqq.; pag. 535 seqq.; pag. 538 seqq.; pag. 554 seqq.; pag. 558 seqq.; pag. 569 seqq.; pag. 640 seqq; pag. 713 seqq. et pag. 729 seqq. — Signatur S.

37. *Ibidem,* cod. mss. Lat. 14557. in fol. membr. saec. XIII. binis columnis exaratus. — Praeter quaestiones de *Perfectione evangelica* et nonnullos alios tractatus continet etiam primam partem II. sermonis in festo omnium Sanctorum.

Citatur a nobis pag. 600, nota 10.

38. *Ibidem,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 970. in 8. parvo saec. XIV. — Continet Collationes de *septem Donis Spiritus S.* Deinde fol. 124 v. incipit: *Sermo in cena. Vidi et ecce in medio throni* etc. Desinit fol. 134; deinde statim est rubrica: *Sermo de mysterio redemptionis nostre. Vidi et ecce* etc. Desinit fol. 142 v.: *in tabernaculis peccatorum.*

A nobis hic codex allegatur infra pag. 247, nota 3. et pag. 259, nota 6.

39. *Ibidem,* bibliotheca Nationalis, cod. 14595. membr. in 4. saec. XIII. et XIV., olim S. Victoris. — Continet plures sermones; vide supra pag. XVI. n. 8.

Citatur a nobis pag. 96, nota 6.

40. *Ibidem,* cod. 14899. (olim R R. 26. S. Victoris). — Post diversas quaestiones Petri a Tarantasia a fol. 43 sequuntur in hoc codice multi sermones diversorum auctorum; dein a fol. 162 ad fol. 170 continet: *Quaestiones de quodlibeto a magistro Eustachio et Salvatio.*

Huius codicis mentionem facimus pag. 349, nota 5.

41. *Ibidem,* cod. 14952. (olim S. Victor. R R. 13.) membr. in 4. saec. XIII., foliorum 229, binis columnis exaratus. — Fol. 1 v. non numerato sequens ponitur indiculus: *Tabula hic contentorum.* Est summa quaedam sermonum de Tempore, sumtis thematibus ex Epistola aut Evangelio Dominicarum per anni circulum a fol. 1 usque ad fol. 192; item, habet sermones 9 de Sanctis a fol. 193 usque ad fol. 209; dein sequuntur sermones alii, scilicet in Natali fol. 218, in Epiphania fol. 220, in Purificatione fol. 225, in Annuntiatione Dominica fol. 228.

Hic codex a nobis allegatur pag. 303, nota 8; pag. 349, nota 5; pag. 360, nota 12; pag. 364, nota 6. et pag. 438, nota 4.

42. *Ibidem,* cod. 16500. (olim 1648.) saec. XIII. — Continet collectionem variorum sermonum. Fol. 222 r. in margine est rubrica: *fr. Bonaventura de beato Nicholao,* et fol. 226 r. in superiore margine a prima manu, sed litteris nigris, habetur: *Bonaventura in die epiphanie. Intrantes domum* etc.

Vide infra pag. 156, notam 9. et pag. 472, notam 9.

43. *Ibidem,* cod. 18188. membr. in 16. saec. XIII. — Continet diversos sermones auctorum Ordinis Minorum.

Hic codex a nobis citatur infra pag. 582, nota 11.

44. *Ibidem,* cod. Lat. 15034. (olim S. Victoris 945.) membr. saec. XIII. exeuntis et XIV. ineuntis, initialibus rubris et caeruleis, ornamentis ad marginem superiorem et inferiorem. — Fol. 1 non numerato a posteriore manu, est indiculus. Deinde fol. 95 r. in superiore margine grandioribus litteris, sed vix legibilibus, certe a prima manu, habetur: *Tractatus fris bonaventure de X praeceptis legis.* Tandem fol. 109 r. legitur: *Incipit sermo fratris bone fortune in cena Domini, parasceve et sabbato sancto Pasche.* Desinit fol. 116 r.: *Rogabimus Dominum etc. Amen. Explicit sermo fratris bone fortune.*

Hi tres sermones iam ab Uccelli editi a nobis denuo ope huius aliorumque codicum castigati et infra pag. 255 seqq.; pag. 262 seqq. et pag. 267 seqq. impressi sunt.

45. *Romae,* bibliotheca Vaticana, cod. 1265.

Quatuor sermones S. Bonaventurae sumti ex hoc codice referuntur infra pag. 472 seqq.; pag. 582 seqq.; pag. 585 seqq. et pag. 622 seqq.

46. *Rothomagi,* bibliotheca Civitatis, cod. A 584. 546/549. membr. saec. XIV. in 16. — Hic codex continet S. Bonaventurae Collationes de *Donis Spiritus S.* et nonnullos alios sermones aliorum auctorum. Fol. 65 est rubrica: *In nativitate Domini. Terra dedit fructum suum* etc.

Hic sermo ex parte exhibet sermones IV. et V. in Vigil. Nat. Dom. A nobis refertur pag. 93, nota 10.

47. *Stamsii* (Stams) in Tyroli, bibliotheca Monasterii, cod. absque numero. — Continet diversos sermones; post medium voluminis fol. r. est rubrica: *In assumptione beate Marie Virginis. Hec est speciosior sole* etc.

Hic codex a nobis infra allegatur pag. 691, nota 4.

48. *Trecis,* bibliotheca Civitatis, cod. Lat. 951. (olim Claravallens. O. 38.). membr. in 4. saec. XIII. et XIV. miscellan. — Praeter varios tractatus et sermones diversorum auctorum hic codex continet etiam sermones S. Bonaventurae de *Decem Praeceptis* cum nonnullis aliis.

Hi a nobis infra editi sunt pag. 59 seqq.; pag. 102 seqq.; pag. 106 seqq.; pag. 110 seqq.; pag. 145 seqq.; pag. 151 seqq.; pag. 208 seqq.; pag. 501 seqq.; pag. 575 seqq.; pag. 609 seqq.; pag. 633 seqq. et pag. 719 seqq. — Signatur Q.

49. *Ibidem*, cod. 1464. (Claravallens. O. 16.) in 4. membr. binis columnis nitide exaratus, est tabulatus, corio obductus. — Fol. 2 r. est tabula contentorum. Codex inter multos aliorum sermones exhibet etiam sat multos genuinos.

S. Bonaventurae sermones, qui a nobis editi sunt infra pag. 303 seqq.; pag. 456 seqq.; pag. 463 seqq.; pag. 517 seqq.; pag. 528 seqq.; pag. 530 seqq.; pag. 534 seqq.; pag. 546 seqq.; pag. 554 seqq.; pag. 558 seqq.; pag. 569 seqq.; pag. 573 seqq.; pag. 598 seqq.; pag. 600 seqq.; pag. 605 seqq.; pag. 607 seqq.; pag. 618 seqq.; pag. 619 seqq.; pag. 640 seqq.; pag. 657 seqq. et pag. 687 seqq.

50. *Ibidem*, cod. 1893. (Claravallens. N. 63.) in 8. foliorum 263, saec. XIV. ineuntis miscellan. — Praesens codex habet numerosos sermones.

Ex his tamen solummodo tres Bonaventurae adiudicandi sunt, qui infra impressi inveniuntur pag. 255 seqq.; pag. 262 seqq. et pag. 276 seqq.

51. *Ibidem*, cod. 2052. (olim Claravallens. absque numero) in 12. membr. foliorum 207, saec. XIV. ineuntis, binis columnis nitide exaratus. — Continet varios sermones incerti auctoris.

Tamen nonnulli S. Bonaventurae attribuendi sunt; vide infra pag. 276 seqq.; pag. 281 seqq.; pag. 296 seqq. et pag. 321 seqq.

52. *Tuderti*, bibliotheca Civitatis, cod. 165. membr. in 8. saec. XIV. foliorum 223.

Ex variis sermonibus in hoc codice contentis unus tantum S. Bonaventurae adscribendus est, quem infra pag. 499 ut sermonem XIV. publicavimus.

53. *Ibidem*, cod. 115. membr. in 8. saec. XIV. ineuntis, nitide grandioribus litteris binis columnis exaratus. — Hic codex continet multos sermones, qui partim cum editione Vaticana conveniunt.

Pauci tantum a nobis infra pag. 93 seq.; pag. 110 seqq.; pag. 126 seqq. et pag. 174 seq. impressi sunt. — Signatur H.

54. *Ibidem*, cod. 104. in 8. saec. XIII. et XIV. foliorum 282, pluribus in locis valde detritus, binis columnis exaratus. — Numerosi sermones huius codicis passim cum editione Vaticana conveniunt.

Alii plures genuini S. Bonaventurae sermones habentur infra pag. 23 seqq.; pag. 27 seqq.; pag. 53 seqq.; pag. 110 seqq.; pag. 126 seqq.; pag. 171 seqq.; pag. 174 seqq.; pag. 178; pag. 179 seqq.; pag. 183 seqq.; pag. 188 seqq.; pag. 192 seqq.; pag. 195 seqq.; pag. 198 seqq.; pag. 201 seqq.; pag. 222 seqq.; pag. 231 seqq.; pag. 237 seqq.; pag. 241 seqq.; pag. 289 seqq.; pag. 293 seqq.; pag. 306 seqq.; pag. 309 seqq.; pag. 330 seqq.; pag. 349 seqq.; pag. 357 seqq.; pag. 375 seqq. et pag. 387 seqq. — Signatur G.

55. *Ibidem*, cod. 143. saec. XIII. et XIV. — Cod. habet multos sermones, e quibus quidam cum Vaticana concordant; alios S. Bonaventurae attribuendos vide infra pag. 23 seqq.; pag. 27 seqq.; pag. 53 seqq.; pag. 183 seqq.; pag. 250 seqq. et pag. 253 seqq.

56. *Ibidem*, cod. 144. saec. XIII. exeuntis.

Continet collectionem sermonum de Tempore; a nobis citatur infra pag. 364, nota 6.

57. *Ibidem*, cod. 161. saec. XIV. ineuntis. — Cum rubrica: *Videbit omnis caro salutare Dei* etc. incipiunt sermones varii.

Hic codex a nobis refertur pag. 79, nota 3; pag. 349, nota 5. et pag. 562, nota 11. — Signatur V.

58. *Ibidem*, cod. 111. saec. XIV. — Habet sermones editionis Vaticanae.

A nobis citatur pag. 57, nota 1; pag. 433, nota 4; pag. 549, nota 6. et pag. 552, nota 7. — Signatur P.

59. *Ibidem*, cod. 177. in 8. saec. XIV. — Praeter multos sermones de Sanctis, qui partim cum editione Vaticana conveniunt, habet etiam tres sermones S. Bonaventurae. Post ultimum sermonem legitur: *Expliciunt sermones per anni circulum.* Sequitur tabula quaedam non alphabetica, post quam fol. v. additur: *Qui scripsit scribat semper cum Deo vivat. Anno divine incarnationis MCCCLII.*

Genuini impressi sunt infra pag. 543 seqq.; pag. 549 seqq. et pag. 552 seqq.

60. *Ibidem*, cod. 182. membr. in 8. parvo saec. XIV. ineuntis, foliorum 269, miscellan. — In hoc codice continentur *Itinerarium*, *Incendium amoris*, opusculum *de 7 gradibus contemplationis* etc. plurimique sermones.

Horum magna pars a nobis impressa est infra pag. 102 seqq.; pag. 124 seqq.; pag. 133 seqq.; pag. 151 seqq.; pag. 163 seqq.; pag. 214 seqq.; pag. 296 seqq.; pag. 302 seqq.; pag. 337 seqq.; pag. 339 seqq.; pag. 341 seqq.; pag. 370 seqq.; pag. 390 seqq.; pag. 485 seqq.; pag. 514 seqq.; pag. 535 seqq.; pag. 565 seqq.; pag. 590 seqq.; pag. 648 seqq.; pag. 649 seqq.; pag. 659 seqq.; pag. 667 seqq.; pag. 671 seqq.; pag. 677 seqq.; pag. 699 seqq.; pag. 706 seqq.; pag. 708 seqq.; pag. 712 seqq. et pag. 725 seqq.

61. *Ibidem*, cod. 168. in 8. saec. XIV. miscellan. — Fol. 6 r. cum rubrica: *Dominica I. de Adventu. Abiiciamus opera tenebrarum* incipiunt sermones genuini S. Bonaventurae.

Inveniuntur infra pag. 124 seqq.; pag. 133 seqq.; pag. 163 seqq.; pag. 296 seqq.; pag. 326 seqq.; pag. 328 seqq.; pag. 514 seqq.; pag. 535 seqq.; pag. 590 seqq. et pag. 682 seqq.

62. *Ibidem*, cod. 140. membr. in 8. parvo saec. XIV. foliorum 456. — In hoc codice invenitur *Lignum vitae*, necnon variae collectiones sermonum, quorum diversi sunt S. Bonaventurae.

Vide infra pag. 43 seqq.; 110 seqq.; 174 seq.; 281 seqq.; 349 seqq. et 360 seqq. — Signatur K.

63. *Ibidem*, cod. 64. membr. in 8. saec. XIII. et XIV. miscellan., foliorum 116, binis columnis exaratus. — In principio a posteriore manu saec. XV. est rubrica: *Apologia fratris bone venture Ord. Minor. de Balneo regio.* Dein fol. 47 r. incipiunt diversi sermones saec. XIV.

Ex his plures impressos invenies infra pag. 43 seqq.; pag. 57 seqq.; pag. 110 seqq. et pag. 120 seq. — Signatur M.

64. *Ulyssipone*, bibliotheca Nationalis, cod. 117. membr. in 8. foliorum 157, saec. XIII. exeuntis et saec. XIV. — Codex continet collectanea sermonum a diversis manibus conscripta ac dein in unum volumen compacta, ut non solum ex diversa forma foliorum, verum et ex diversa ipsorum numeratione patet. Sermones non conveniunt cum Vaticana.

A nobis hic codex allegatur pag. 590, nota 7. et 671, nota 8.

65. *Venetiis*, bibliotheca R. P. Morchio Filippino della Fava, cod. n. 14. (olim 386.) membr. in 4. parvo, saec. XIII. post medium quoad I. partem usque ad fol. 175; II. pars paulo recentior est; habet fol. 263 et est in Gallia scriptus. — Continet sermones de Tempore et de Sanctis; fol. 59 r. incipit sermo in assumtione B. V. M.: *Fons parvus crevit in fluvium* etc.

Hic in hac editione impressus est infra pag. 695 ut sermo IV.

66. *Voravii* (Vorau in Styria), bibliotheca Canonicae, cod. CXLIX. membr. in 8. saec. XIII. foliorum 195. — Sermones continet de Tempore et de festis Sanctorum. Scripturae forma est Gallica, et a medio circiter volumine usque ad finem in sermonibus semper occurrunt, praesertim in initio, verba Gallica. Sermones plurimi habiti sunt coram Universitate et scholaribus Parisiensibus.

Duos sermones S. Bonaventurae inde publicavimus infra pag. 590 seqq. et pag. 671 seqq.

CAPUT III.

De ratione et via, quam in hac editione observavimus.

Nonnulla dicenda sunt tum de *selectione* sermonum huius tomi, tum de eorum *correctione,* et primo de *selectione.*

Collectio illorum de Tempore sermonum, qui censendi sunt genuini, ab ipso Bonaventura facta est; similiter habemus collectionem multorum schematum; de utrisque iam dictum est in capite I. et II. Aliorum autem sermonum, quos recepimus, nullam collectionem invenimus; sed *singuli* ex diversis codicibus a nobis selecti sunt. Haec selectio sine longo studio fieri non potuit propter duplicem difficultatem: prima consistebat in eo, quod codices sermonum medii aevi, quorum numerus fere in infinitum excrescit, plerumque solent esse anonymi. Exemplum huius praebent multi illi a nobis citati codices bibliothecae Tudertinae et etiam bibliothecae Monacensis. Alia difficultas erat, quod etiam antiquae sermonum collectiones saepissime solent permiscere aliorum auctorum opera vel partes eorum cum sermonibus eius cuius nomen prae se ferunt. Plurima huiusmodi exempla inveniuntur in sex tomis B. Haurréau, *Notices et extraits de quelques manuscrits latins* etc.

Ut igitur origo anonymi alicuius sermonis determinari possit, multi codices examinandi sunt, si forte alibi nomen auctoris inveniatur expressum. Hac via praefatus Haurréau invenit in codicibus Parisiensibus auctores plurium sermonum. Eandem viam tenuit P. Fidelis a Fanna, sed modo magis amplificato, cum praeter dictos codices Parisienses multas alias bibliothecas perscrutatus sit. Ipse suorum studiorum commentarios nobis reliquit. Sed sola haec alicuius codicis testificatio non semper sufficit, quia non semper illi fides potest adhiberi, praesertim quando recentiores sunt codices, qui nomen alicuius auctoris exhibent; quare etiam ipsius sermonis examinatio instituenda est.

Hac igitur via multi sermones, qui in pluribus codicibus erant anonymi, S. nostro Doctori vindicari potuerunt. Hoc modo multi sermones apud Tudertinos anonymi subsidio aliorum codicum inventi sunt esse S. Bonaventurae. Praeterea, inter sermones anonymos alicuius antiquae collectionis interdum reperti sunt aliqui sermones, qui ita perfecte indolem, stilum et modum exponendi Scripturam S. Bonaventurae proprium repraesentant, ut nullum de eorum genuinitate dubium oriri potuerit. Hoc tum praecipue evenit, cum iam constet, quod in eadem collectione iam alii certe Bonaventuriani sermones habentur. Duce igitur P. Fidele a Fanna, et novo examine a nobis instituto, ex quibusdam collectionibus, quae habebant genuinos sermones, aliquos recepimus, quin nomen Bonaventurae alicubi inveniri potuerit. Hoc factum est respectu aliquorum codicum Tudertinorum, Trecensium et codicis Monacensis W.

Quod autem *correctionem* horum sermonum attinet, alia gravissima difficultas communiter tunc occurrebat, quando unus solus codex dedit sermonem et insuper male reportatum et mendosissime scriptum. Quo in casu iste codex vel eius apographum attentissime legi et relegi oportebat et accuratissime examinari, ut praestare possemus textum saltem clarum ad intelligendum. Quilibet, qui usu et experientia didicit, quam misere depravati sint multi illius aetatis codices, facile nobis veniam praestabit, si non semper omnia vitia eliminare potuerimus. Deliberatum enim nobis et fixum erat *ex proprio sensu* nihil corrigere, addere vel mutare, sed tantum, si post accuratum studium ipse contextus et usus Bonaventurianus aliquam correctionem in notis ad calcem indicatam postulabant; attamen interdum unum alterumve verbum intra parenthesim claritatis causa addidimus; vel si defectum corrigere non potuimus, hoc saltem indicavimus signo interrogativo (?).

Opinamur autem, exceptis paucissimis locis, nos improbo labore hoc assecutos esse, ut sententia auctoris sine difficultate intelligi possit.

Locos Scripturae et SS. Patrum laboriose indagare et correcte indicare conati sumus.

Summa sermonum et schematum in hoc tomo editorum ascendit ad 475, qui, exceptis paucis, hucusque fuerunt inediti, immo plerumque ignoti. Iam in tomo V. et VI. habentur alii sermones Bonaventurae reportati in Praefatione, ut dictum est supra.

Habes igitur hic eventum et fructum nostrorum studiorum, cuius conspectum iam breviter subiicimus.

Primo loco habendi sunt genuini illi 53 sermones de Tempore, quos ipse S. Doctor scripsit et testibus quatuor codicibus, collegit. Iam antequam illud codicum testimonium nobis innotuit, totum dicendi genus perfecte Bonaventurianum nobis fere persuasit, ipsum S. Doctorem hoc sermones scripsisse.

Secundo loco habendi sunt sermones ab aliena manu diffuse reportati, qui saepe longiores praecedentibus sunt et magis modum rhetoricum, id est communicandi cum auditoribus, prae se ferunt. Saepe habent tum prothema tum collationem; unde insinuatur, eos Parisiis esse e suggestu pronuntiatos (cfr. de his Introductio pag. 6 col. II. nota 2.). Mirum non est, hos sermones habere hinc inde lacunas aliosque plures defectus, cum illa aetate modus excipiendi verba loquentis imperfectior fuerit, quam est nostra stenographia. Quoad perfectum et correctum *dicendi genus* postponendi sunt praecedentibus sermonibus.

Manifeste alii reportati apparent magis contracti, quam publice erant pronuntiati, et quoad gradus huius contractionis magna invenitur differentia receptorum sermonum; quidam eorum fere similes sunt quoad diffusionem illis sermonibus, quos scripsit ipse Bonaventura, alii autem ita contracti sunt, ut fere accedant ad modum schematum.

Inter sermones de Tempore multi sunt purum putumque schema; et inter haec nonnulla tantum divisionem textus exhibent, et deinde non de singulis membris divisionis locos S. Scripturae proferunt, sed, ut dicunt, *de toto*. Dolendum sane est, quod per reductionem ad schemata valde infirmatus sit valor sermonum. Nihilominus sola divisio thematum auctoris ostendit ingenium.

Putamus autem, eos qui non verborum artificialem compositionem et recentem in sermocinando morem, sed sententiarum abundantiam ubertatemque ac Scripturae copiam in sermonibus S. Bonaventurae quaerunt, posse messem opimam colligere ex hoc volumine.

TABULA

CODICUM, QUIBUS USI SUMUS PRO EDENDIS SERMONIBUS

HUIUS NONI TOMI.

1. Cod. Altovadensis (bibliotheca Monasterii) 71. — Sign. I.
2. » Assisiensis I. (bibl. Communalis) cod. non sign. in 4.
3. » Assisiensis II. (bibl. Communalis) cod. non sign. in 4.
4. » Bambergensis (bibl. Civitatis) A, V, 41. — Sign. F.
5. » Basileensis (bibl. Publica) B. X. 4.
6. » Berolinensis (bibl. Regia) theol. Lat. 31. — Sign. N.
7. » Brunopolitanus (bibl. Civitatis) 54. — Sign. D.
8. » Bruxellensis (bibl. Regia) 1997.
9. » Carolopolitanus (bibl. Civitatis) 31.
10. » Düsseldorpiensis (bibl. Civitatis) cod. non sign. in 12.
11. » Erlangensis (bibl. Universitatis) 566. — Sign. E.
12. » Florentinus I. (bibl. Laurentiana) Plut. XXXIV. sinist. cod. 2. — Sign. C.
13. » Florentinus II. (bibl. Nationalis) 1017. E. 6. — Sign. U.
14. » Florentinus III. (bibl. Nationalis) 47. I. II. — Sign. aa.
15. » Gottwicensis (bibl. Monasterii) 177. (216.).
16. » Hilariensis (bibl. Monasterii) 36.
17. » Hispalensis (bibl. Columbina) V. 127. N. 29.
18. » Lovaniensis (bibl. Universitatis) 15. A.
19. » Mediolanensis (bibl. Ambrosiana) A. 11. — Sign. A.
20. » Monacensis I. (bibl. Regia) 8739.
21. » Monacensis II. (bibl. Regia) 7776. — Sign. W.
22. » Monacensis III. (bibl. Regia) 16029. — Sign. X.
23. » Monacensis IV. (bibl. Regia) 8438.
24. » Monacensis V. (bibl. Regia) 23595.
25. » Monacensis VI. (bibl. Regia) 15744. — Sign. Y.
26. » Monacensis VII. (bibl. Regia) 14761.
27. » Monacensis VIII. (bibl. Regia) 9604.
28. » Monacensis IX. (bibl. Regia) 9606.
29. » Monasteriensis I. (bibl. Paulina) 547.
30. » Monasteriensis II. (bibl. Paulina) 519. — Sign. L.
31. » Oxoniensis (bibl. Bodleiana) 757.
32. » Parisiensis I. (bibl. Nationalis) 14595. — Sign. B.
33. » Parisiensis II. (bibl. Nationalis) 15956.
34. » Parisiensis III. (bibl. Nationalis) 16481.
35. » Parisiensis IV. (bibl. Nationalis) 16499. — Sign. S.
36. » Parisiensis V. (bibl. Nationalis) 14557.
37. » Parisiensis VI. (bibl. Mazzarinea) 970.
38. » Parisiensis VII. (bibl. Nationalis) 14899.
39. » Parisiensis VIII. (bibl. Nationalis) 14952.
40. » Parisiensis IX. (bibl. Nationalis) 16500.
41. » Parisiensis X. (bibl. Nationalis) 18188.

42. Cod. Parisiensis XI. (bibliotheca Nationalis) 15034.
43. » Romanus (bibl. Vaticana) 1265.
44. » Rothomagensis (bibl. Civitatis) A 584. 546/549.
45. » Stamsiensis (bibl. Monasterii) cod. absque numero.
46. » Trecensis I. (bibl. Civitatis) 951. — Sign. Q.
47. » Trecensis II. (bibl. Civitatis) 1464.
48. » Trecensis III. (bibl. Civitatis) 1893.
49. » Trecensis IV. (bibl. Civitatis) 2052.
50. » Tudertinus I. (bibl. Civitatis) 165.
51. » Tudertinus II. (bibl. Civitatis) 115. — Sign. H.
52. » Tudertinus III. (bibl. Civitatis) 104. — Sign. G.
53. » Tudertinus IV. (bibl. Civitatis) 143.
54. » Tudertinus V. (bibl. Civitatis) 144.
55. » Tudertinus VI. (bibl. Civitatis) 161. — Sign. V.
56. » Tudertinus VII. (bibl. Civitatis) 111. — Sign. P.
57. » Tudertinus VIII. (bibl. Civitatis) 177.
58. » Tudertinus IX. (bibl. Civitatis) 182.
59. » Tudertinus X. (bibl. Civitatis) 168.
60. » Tudertinus XI. (bibl. Civitatis) 140. — Sign. K.
61. » Tudertinus XII. (bibl. Civitatis) 64. — Sign. M.
62. » Ulyssiponensis (bibl. Nationalis) 117.
63. » Venetianus (bibl. P. Morchio Filippino) 14.
64. » Voraviensis (bibl. Canonicae) CXLIX.
65. » Zwickauensis (bibl. Civitatis) I. XV. IV. — Sign. O.